3 1761 05722598 9

COLLECTION

DE

DOCUMENTS INÉDITS

SUR L'HISTOIRE DE FRANCE

PUBLIÉS PAR LES SOINS

DU MINISTRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE

PREMIÈRE SÉRIE

HISTOIRE POLITIQUE

HF.E.

LES OLIM

OU

REGISTRES DES ARRÊTS

RENDUS PAR LA COUR DU ROI

SOUS LES RÈGNES DE SAINT LOUIS, DE PHILIPPE LE HARDI
DE PHILIPPE LE BEL, DE LOUIS LE HUTIN ET DE PHILIPPE LE LONG

PUBLIÉS

PAR M. BEUGNOT

MEMBRE DE L'INSTITUT

TOME III

DEUXIÈME PARTIE

1312—1318

33021
16/3/94

PARIS

IMPRIMERIE NATIONALE

M DCCC XLVIII

K
F8157
05
t. 3
pt. 2

ENQUÊTES ET PROCÈS.

INQUESTE ET PROCESSUS

PER CURIAM JUDICATI IN PARLAMENTO OCTABARUM HYEMALIS FESTI BEATI MARTINI,

ANNO DOMINI MCCCXII.

I. Mota discordia, coram gentibus nostris, inter magistrum Guillelmum le Targeur, ex parte una, et Rogerium dictum des Bouz et ejus uxorem, ex altera, super eo quod dicebat dictus magister Guillelmus, dictos conjuges, tam racione cujusdam arbitralis sentencie, quam quorumdam aliorum judicatorum, pro dicto Guillelmo, contra predictos conjuges, per certos judices prolatorum, necnon ex certis et legittimis causis aliis, sibi fore efficaciter obligatos; petens dictos conjuges in predictis pecuniarum summis sibi condempnari seu execucionem fieri contra eos, predictis conjugibus in contrarium asserentibus se in nullo dicto Guillelmo teneri, et dictum Guillelmum, tam racione expensarum ab ipso in domo eorumdem factarum, quam ex pluribus aliis causis, sibi fore obligatum, in certis pecuniarum summis; super quibus omnibus precipit curia nostra veritatem inquiri: Visis igitur pluribus processibus, super hoc, factis, et diligenter attentis eis que nostram curiam movere, super hoc, debuerunt, auditaque relacione quorumdam de auditoribus, super hoc, ex parte nostra, deputatis, quia inventum est legittime, tam per dictos processus et judicata ac sentenciam arbitralem, quam per confessiones parcium predictarum, dictos conjuges predicto magistro Guillelmo, ex certis causis, teneri et esse efficaciter obligatos, videlicet, ex una parte, in ducentis et quadraginta libris Parisiensi- PHILIPPE IV, 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

bus monete currentis, anno trecentesimo sexto, in festo beati Bartholomei apostoli; item, ex alia parte, in quadraginta quatuor solidis ejusdem monete, et ex alia parte, in viginti quinque libris Parisiensibus monete currentis, eodem anno, die veneris ante Ramos Palmarum; item, ex alia parte, in tresdecim libris et quatuordecim denariis ejusdem monete, et ex alia parte, in quadraginta libris Turonensibus monete currentis, anno trecentesimo septimo; item, ex alia parte, in viginti una libris et undecim denariis Parisiensibus monete currentis, predicti conjuges heredesque dicti Rogerii, nunc defuncti, eidem magistro Guillelmo in predictis pecuniarum summis solvendis, in valore in quo erat moneta temporibus supradictis, per curie nostre judicium, condempnati fuerunt.

Dominica post Sanctum-Andream.

Roya reportavit.

II. Cum liberi et amici carnales defuncti Guillelmi Paelet de Cathalano, nobis exponi fecissent, quod prefatus Guillelmus, Remis, in hospicio Symonis Postel de Tilio et Eude, ejus uxoris, quodam sero, fuerat interfectus, quodque prefati conjuges, Martonna, filia et Boreta, pedisseca eorumdem, de morte hujusmodi culpabiles existebant, et quod a prisione dilecti et fidelis nostri archiepiscopi Remensis, in qua, propter hoc, positi fuerant, per laicalem justiciam dicti archiepiscopi, collusione, nulla debita punicione secuta, fuerant liberati, nosque de hiis mandassemus inquiri, per certos commissarios, veritatem, et, per inquestam, super premissis factam et in nostro novissime preterito Parlamento nostre curie reportatam, inventum fuisset dictos commissarios minus sufficienter in ipso negocio processisse, per arrestum nostre curie, dictum fuisset quod alii deputarentur commissarii qui de maleficio, collusionibus et aliis, in priori commissione contentis, inquirerent, vocatis evocandis, plenius veritatem, et inquestam hujusmodi, ad diem ballivie Viromandensis nostri presentis parlamenti, nostre curie reportarentur; ad que facienda certi fuerunt auditores, per nostram curiam, deputati, qua commissione

pendente, quidam malefactores, Remis capti, pro aliis eorum maleficiis, extiterunt, qui confessi fuerunt se predictum homicidium, alibi quam in domo ipsorum conjugum, ac, ipsis conjugibus inscientibus, perpetrasse; eosdem conjuges, filiam et pedissecam predictas, super facto hujusmodi, dum ad ultimum supplicium ducerentur, et ante super hoc diligencius requisiti, in suarum animarum periculum totaliter disculpantes, prout per informacionem quam ballivus noster Viromandensis, in nostro presenti parlamento, de mandato nostre curie, fecit super hoc, ipsi nostre curie constiterit evidenter: Quibus attentis et quia predicti liberi et amici ejusdem defuncti ob premissa, a prosecucione hujusmodi destiterunt, curia nostra dictos conjuges et filiam ac pedissecam eorumdem absolvit totaliter a facto predicto. PHILIPPE IV, 1312.

Dominica post Sanctum-Andream.

Non habui processum.

III. Lite mota, coram ballivo Viromandensi, inter prepositum Montis-Desiderii, pro domino Rege, et dictum prepositum, in quantum eum tangit, racione dicti officii, ex parte una, et majorem et juratos dicti loci, ex altera, super eo quod petebat dictus prepositus quasdam prisias, inobediencias, violencias et rescussas factas eidem, per dictos majorem et scabinos et eorum servientes, in persona dicti Guilebace, cubantis et levantis in juridicione domini Regis, ut dicebat, debite puniri et domino Regi et sibi competenter emendari; dictis majore et juratis in contrarium asserentibus se nullas rescussas seu inobediencias eidem preposito fecisse, et se dictum Guilebace, quia prisionem dicte ville fregerat in juridicione sua cepisse, et in prisione dicte ville, pro dicto delicto, posuisse, prout eisdem competebat, tam de usu et consuetudine quam eciam per punctum carte eisdem, a domino Rege, concesse: Facta igitur, de mandato dicti ballivi, super premissis, inquesta, curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, auditis que dicte partes proponere voluerunt, et visa dicta carta, attentis modo et qualitate dicti facti, predicti major et scabini, per judicium curie nostre, nobis in emen-

PHILIPPE IV, 1312.

dam centum librarum Parisiensium condempnati fuerunt et in residuo absoluti.

Veneris post Sanctum-Nicholaum hyemalem.

Roya reportavit.

IV. In causa que pendet, in curia nostra, inter ducem Aquitanie, ex una parte, et abbatem et conventum Blaysmontis, ex altera, super omnimoda juridicione castri Blaysmontis et pertinenciarum ejusdem, auditis partibus, super processu, super hoc, inter dictas partes facto, quem processum dicebant dicti religiosi esse completum vel pro completo haberi debere, procurator vero dicti ducis dicebat quod non est completus, immo sunt ibi aliqui testes examinandi et aliqui, de quibus facta est retencio, producendi, curia nostra precepit quod dictus processus videatur, ad illum finem ad quem poterit videri, et, si sit completus, judicetur, sin autem perficiatur: Viso igitur, per curiam nostram, processu predicto, et diligenter examinato, quia inventum est, in dicto processu, aliquos testes juratos et non examinatos et quod retencio facta fuit, ex parte dicti ducis, de aliis testibus producendis, per curie nostre judicium, dictum fuit, predictum processum, ex parte dicti ducis, non esse completum et quod, ad ipsum perficiendum, certi dabuntur auditores.

Veneris post Sanctum-Nichoalum hyemalem.

M. Droco de Karitate reportavit.

Facta est commissio super hoc magistris Matheo de Curtibus-Jumellis, Andree Ruffi, et P. de Roffiaco, militi, et remissus processus eisdem.

V. Cum, per heredes defuncti dicti Daufart, et procuratorem nostrum prepositure Parisiensis, impositum fuisset Johanni dicto Gosse de Vailliaco, quod idem Johannes, in manu tunc ballivi nostri Viromandensis, fidejussorem, tanquam major dicti ville de Vailliaco, se constituerat de reponendo, coram dicto ballivo, Adam dictum Capon, qui, pro suspicione falsitatis cujusdam cyrographi, ut dicitur, per

dictum ballivum tenebatur in statu in quo ipse Adam erat, absque declinacione fori, ad penam duorum millium librarum nobis solvendarum, si dictus Johannes deficeret in premissis, dictusque procurator noster, dicens eum non implevisse predicta, diceret eundem, erga nos, incurrisse penam predictam, et peteret eandem ab ipso levari; dicto Johanne premissa negante: Visa inquesta super hoc facta et diligenter examinata, quia, per eam non est inventum quod dictus Johannes, tempore facte dicte fidejussionis, esset major de Vailliaco, nec eciam inventum fuerit, per eam, quod ipse fecerit fidejussionem predictam, idem Johannes, ab impeticione predicta dictorum heredum et procuratoris nostri, fuit, per curie nostre judicium, absolutus, salvo tamen in hujusmodi, contra majorem dicte ville et quoscumque alios, jure nostro.

PHILIPPE IV. 1312.

Veneris post Sanctum-Nicholaum hyemalem.

M. Droco de Karitate reportavit.

Crispinus de Fillanis erat tunc major, et ipsum habuit sine pena.

VI. Lite dudum mota, coram ballivo Alvernie, inter capitulum Claromontensem, ex una parte, et dominum Montis-Ferrandi, ex altera, super saisina omnimode justicie Podii de Croella et pertinenciarum ejusdem; dictoque capitulo proponente se esse et fuisse in saisina exercendi omnimodam justiciam in Podio supradicto; dicto domino Montis-Ferrandi e contrario proponente se esse et fuisse in saisina justicie predicte; tandem predictus ballivus, vocatis dictis partibus, et aliis evocandis super hoc, duas inquestas fecit super eisdem articulis ut melius et lacius testes, super hoc, producti, interrogarentur, in secunda inquesta, quam interrogati fuissent in prima; quas inquestas idem ballivus ad curiam nostram remisit, et cum dictus dominus Montis-Ferrandi diceret et proponeret, coram nobis, quod illi et iidem testes qui fuerant examinati in prima inquesta, debuerunt examinari in secunda, et non alii, quod forsitan factum non fuerat, ut dicebat, cum eundem defensorem non habuisset, ut asserebat; nos vero certis commissariis, a nobis, super hoc, deputatis, pluribus et

PHILIPPE IV, 1312.

pluries mandavimus et commisimus, ut ipsi informarent se si illi et iidem testes qui fuerant examinati, in prima inquesta predicta, fuerunt examinati in secunda, et quod, si ipsi invenirent ita factum fuisse, ipsi nobis rescriberent, qui et quot fuerant illi testes, et cujus condicionis existerent et quibus videretur eis major esse fides adhibenda, qui, tam informacionem quam inquestas predictas super hiis factas, ad nostram curiam remiserunt : Visis igitur et diligenter inspectis inquestis predictis, quia in eisdem repertum est dominum Montis-Ferrandi melius et per plures testes et antiquiores, quibus eciam major fides est adhibenda, et per plura expleta et meliora suam intencionem probasse quam capitulum antedictum, per curie nostre judicium, saisina omnimode justicie dicti Podii de Croella, cum pertinenciis ejusdem, domino Montis-Ferrandi fuit adjudicata, salva dicto capitulo, in predictis, questione proprietatis, prout fuerit racionis.

Veneris post Sanctum-Nicholaum hyemalem.

R. de Sancto-Benedicto reportavit.

VII. Cum episcopus Suessionensis ac decanus et capitulum ejusdem ecclesie nobis conquesti fuissent super eo quod, indebite et de novo et in eorum prejudicium, ut dicebant, major et jurati ville Suessionensis, lite pendente coram nobis, inter ipsas partes, super prisiis faciendis in civitate et suburbiis Suessionensibus, publice et notorie proclamari et edici fecerant, quod nullus, nisi esset de ipsa communia Suessionensi, ausus esset capere, infra metas dicte communie, aliquam personam, sive clericum, sive laicum, et quod, si ab alio captus, in alium carcerem quam in eorum beffredum duceretur, fieret sibi rescussa, dictique major et jurati, ex adverso, proponerent se, sub alia forma, dictam proclamacionem seu edictum fecisse; mandavimus, super premissis, vocatis ipsis partibus, veritatem diligenter inquiri : Facta igitur, super premissis, inquesta, et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, quia per eam inventum est dictos majorem et juratos dictum bannum seu proclamacionem, sub predictis verbis, a dictis episcopo et capitulo propositis, vel similibus

eandem vim habentibus, lite predicta pendente coram nobis, inter ipsas partes, publice, ad sonum campane, proclamari fecisse, per judicium curie nostre, dicti major et jurati, ad publice revocandum proclamacionem predictam, et ad solvendum nobis centum libras Parisienses, pro emenda, et dictis episcopo, decano et capitulo, pro suis dampnis et interesse, alias centum libras Parisienses, propter factum hujusmodi, condempnati fuerunt. Philippe IV, 1312.

Dominica post Sanctam-Luciam.

Roya reportavit.

VIII. Cum Hugo Amelii, civis Matisconensis, conquestus fuisset curie nostre quod Johannes Quinsonet, post assecuramentum sibi prestitum, coram preposito Matisconensi, eum injuriose verberaverat, requirens factum hujusmodi sibi emendari, mandatum fuit ballivo Matisconensi quod, super hoc, inquireret veritatem, et dictam inquestam, sub suo sigillo, curie nostre mitteret judicandam; facta igitur, super hoc, inquesta, et curie nostre remissa, visa et diligenter examinata, quia ad plenum non fuit inventum factum predictum esse probatum contra predictum Johannem, quamvis, per presumpciones, suspectus, super hoc, appareret, iterato mandatum fuit dicto ballivo, partibus, super hoc, auditis, quod, super facto predicto, plenius et diligencius inquireret veritatem, et inquestam hujusmodi, sine debito, terminaret; commissione itaque super hoc concessa, partibus presentibus, prefatus Hugo, post recessum dicti Johannis, aliam obtinuit, a nostra curia, litteram super facto predicto, nulla facta mencione de prima commissione, partibus presentibus, concessa; quam quidem litteram dictus Hugo ballivo Matisconensi presentavit, petens et requirens quod, secundum commissionem quam impetraverat, dictus ballivus procederet in predictis, dicto Johanne, ex adverso, plures raciones proponente, et dicente quod dictus ballivus, secundum tenorem prioris commissionis, partibus presentibus, concesse, procedere debebat, non obstantibus racionibus propositis ex adverso; super quibus litteris, mota discordia inter ipsos, dictus ballivus ne-

Philippe IV, 1312.

gocium hujusmodi certis auditoribus commisit; a quarum audiencia, quia dicti Johannis raciones non admittebant, idem Johannes ad nos appellavit; quam appellacionis causam, certis aliis auditoribus, curia nostra commisit, qui pronunciaverunt dictum Johannem bene appellasse; postea vero dictus ballivus, advocans ad se dictum negocium, partibus auditis, pronunciavit, non obstantibus racionibus, ex parte dicti Johannis propositis, dictos secundos commissarios male judicasse; a cujus ballivi judicato, tanquam falso et pravo, idem Johannes iterato ad nostram curiam appellavit; quam appellacionis causam, curia nostra, magistro Johanni de Blanasco et Guillelmo, rectori ecclesie Sancti-Petri Matisconensis, commisit, ut ipsi, vocatis evocandis, inquirerent, super hiis, veritatem, et inquestam hujusmodi curie nostre remitterent judicandam; qui commissarii inquestam, vocatis partibus, super hiis per eos factam, curie nostre remiserunt: Visa igitur predicta inquesta, et diligenter examinata, et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Johannem bene appellasse et dictum ballivum male judicasse, et quod iterato fiet commissio super facto principali predicto, ad finem pecuniarie emende.

Dominica post Sanctam-Luciam.

R. de Brienchon reportavit.

IX. Coram dilectis et fidelibus Yvone de Laudunaco, clerico, et Johanne Roberti, milite, nostris commissariis deputatis a nobis, ad inquirendum super excessibus commissis in senescallia Petragoricensi et Caturcensi, et eos puniendum, lite mota, inter procuratorem nostrum dicte senescallie, pro nobis, ex una parte, et Ratherium, dominum de Castro-Novo, domicellum, ex altera, super eo quod petebat dictus procurator noster, nomine quo supra, injurias, violencias et excessus commissos per dictum Ratherium et suos in personam Bernardi Civade, nostri servientis, in nostri prejudicium et contemptum, puniri, et nobis debite emendari, videlicet quod, cum dictus serviens noster, servientis officium exercendo, armis compe-

tentibus, et baculo regio, more servientis munitus, per mansum de la Genebrade transiret, et bajulus dicti Ratherii eundem servientem, sine causa, arrestasset et detinuisset ibidem, dictus Ratherius, audito quod dictus serviens noster intraverat terram suam, una cum pluribus sibi coadunatis, cum lanceis, ensibus, balistis et aliis armis prohibitis, more hostili, veniens ad dictum mansum, interrogavit dictum Bernardum si serviens noster esset, et responso ab eodem quod sic, et ostensis eidem super hoc litteris suis, dictus Ratherius dictum servientem cepit, et eidem abstulit seu auferri precepit baculum regium seu sergenterie et arma que deferebat, et eundem, ad nos vel senescallum Petragoricensem appellantem, ligatis manibus, duxit seu duci fecit ad quendam locum suum vocatum la Barte, et in compedibus poni fecit, et die sequenti, ligatis manibus, ad castrum suum vocatum Castrum-Novum, eundem servientem duci fecit viliter, et ibidem, in carcerem detrudi, et sic eum per sex dies detinuit, in diversis locis, carceri mancipatum; dicto Ratherio in contrarium proponente quod dictus serviens, sine mandato, cum armis, terram suam, in quam omnimodam juridicionem habere dignoscitur, intraverat, et habitatoribus dicti mansi de la Genebrade plures violencias intulerat, et alios quamplures excessus in terra sua commiserat : Facta igitur, super propositis, ex utraque parte, inquesta, et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictus Ratherius, pro dictis excessibus, nobis in quingentis libris Turonensibus, nomine emende, et dicto servienti pro suis injuriis, dampnis et interesse, fuit in triginta libris Turonensibus condempnatus.

Philippe IV, 1312.

Dominica post Sanctam-Luciam.

Housseya reportavit.

X. Mota controversia inter episcopum Belvacensem, ex una parte, et ballivum Silvanectensem, pro nobis, ex alia, super eo quod dictus episcopus, nomine sui episcopatus, asserebat se esse in saisina justicie cujusdam chemini siti inter aquam de Ysara et Maynillium-Episcopi extra Pontem-Sancte-Maxencie, quare petebat quosdam homines, ibi-

PHILIPPE IV, 1312.

dem captos, per gentes nostras, melleiam facientes, et ad manum nostram, tanquam superioris, propter debatum parcium, positos, sibi reddi et se in saisina justicie dicti chemini predicti debere custodiri, et impedimentum eidem super hoc oppositum, ex parte dicti ballivi, amoveri; dicto ballivo, pro nobis, in contrarium asserente nos esse in saisina justicie chemini predicti, et per consequens dictos homines ad justiciandum apud nos debere remanere, et impedimentum super hoc appositum, ex parte dicti episcopi, debere removeri: Tandem, inquesta, de mandato nostro, super hoc facta, visa et diligenter examinata, quia inventum est per eam, dictum episcopum melius probavisse suam saisinam dicte justicie, in dicto chemino, in casu melleye, saisina dicte justicie, in dicto loco, quantum ad casum melleie tantummodo, dicto episcopo, per curie nostre judicium, fuit adjudicata, et fuit dictum quod homines predicti, racione melleye capti, sibi reddentur, salva nobis, in hujusmodi questione proprietatis, et salvo, tam nobis quam episcopo, in casibus aliis, jure nostro et suo in saisina et proprietate.

Dominica predicta.

Bocellus reportavit.

XI. Cum, ex parte Aymerici de Fontangis, militis, nobis intimatum fuisset quod castellanus noster de Crebacor, in fraudem et lesionem juris dicti militis, nostram draeriam sive locum per quem animalia consueverunt ascendere in montana, consuetum ab antiquo esse de juridicione dicti militis, sine dominio alieno, et in qua draeria consueverimus accipere duodecim solidos redditus annuatim, sine causa racionabili, tradiderat hospitali de Califranceschi, dissaisiando nos et ipsum militem saisina et jure predictorum, quare petebat dictus miles, tam saisinam quam proprietatem predicte draerie sibi reddi, et jus super hoc sibi fieri, et dampna que, per hoc, sustinuerat sibi emendari. Item cum dictus miles proposuisset quod, ipso Parisius existente, pro suis negociis ibidem expediendis, et terra sua esset in manu nostra et custodia speciali, gentes

dicti hospitalis terram ejus pignoraverunt, et, super hoc eundo, in multis dampnificaverunt, super quibus petebat sibi justiciam exhiberi, quare mandavimus certis commissariis ut super predictis inquirerent, vocatis partibus, veritatem; coram quibus preceptor dicti hospitalis plures raciones ad sui defensionem proposuit, inter cetera proponendo et dicendo quod tercia pars dicte draerie, pro indiviso, ad hospitale pertinebat predictum: Visa igitur inquesta super hiis facta et nostre curie reportata, quia per eam repertum est dictum Aymericum suam intencionem sufficienter probasse, quantum ad jus et possessionem draerie supradicte, per curie nostre judicium, dicta draeria, tam in proprietate quam in possessione, adjudicata fuit eidem, et in ceteris, per eundem, contra dictum preceptorem propositis, idem preceptor fuit, per dictum judicium, absolutus, salvis nobis, super draeria predicta, dictis duodecim solidis annui redditus, per dictum militem confessatis. Philippe IV, 1312.

Dominica post Sanctam-Luciam.

Sanctus-Benedictus reportavit.

XII. Cum Johannes de Nulevillers, clericus, curie nostre, conquerendo, monstrasset quod, cum Renerius Coullart et quidam frater suus ipsum Johannem insidiose et cum armis invasissent, et sibi quandam manum amputassent, senescallus, major et scabini Abbatis-Ville ipsum Johannem, pro eo quod quendam de dictis fratribus, in dicto conflictu, vulneraverat, ex quibus vulneribus idem vulneratus decessit, licet dictus Johannes proponeret se predicta fecisse licite et se defendendo, banniverunt injuste, licet idem clericus, per judicem suum ordinarium, inquisita super hoc veritate, vocatis evocandis, super premissis fuisset legittime absolutus, propter quod mandatum fuit senescallo, majori et scabinis predictis ut ipsi, absque difficultate, revocarent bannum predictum, et bona sua et dictam villam redderent eidem Johanni; et, quia ipsi dictum bannum non revocaverunt, mandatum fuit ballivo Ambianensi, per litteras nostras, quod, si, vocatis evocandis, sibi constaret de premissis, bannum

PHILIPPE IV, 1312.

hujusmodi faceret revocari, nec ipsum clericum, occasione dicti interfecti aut pretextu dicti banni, permitteret molestari, in corpore vel in bonis: Facta igitur inquesta per dictum ballivum, vocatis partibus, super hiis, et ad curiam nostram reportata, visa diligenter et examinata, cum, per eam, liquido sit probatum dictum Johannem se licite et se defendendo premissa fecisse, et quod idem clericus, per suum ordinarium, vocatis evocandis, super premissis fuit legitime absolutus, per curie nostre judicium, dictum fuit quod bannum predictum totaliter revocabitur, sicut publice fuit factum, et quod bona sua, capta et detenta per predictos senescallum, majorem et scabinos Abbatis-Ville, occasione dicti facti, cum fructibus et exitibus exinde perceptis, ex integro sibi restituentur, et reddetur sibi villa predicta.

Dominica post Sanctam-Luciam.

M. R. de Briençon reportavit.

XIII. Cum, ex denunciacione Petri Grimoardi, ad senescallum Petragoricensem pervenisset quod Raymondus et Vesianus de Turre, fratres, ipsum Petrum, in itinere publico domini Regis, invaserant et injuriose vulneraverant, dictus senescallus, vocatis evocandis, inquiri fecit super hoc veritatem, per quam inquestam predictus senescallus dictos fratres in ducentis libris Turonensibus domino Regi, pro emenda sua, et in centum libris dicto Petro Grimoardi, pro suis dampnis et injuriis, sentencialiter condempnavit; a qua sentencia, tanquam ab iniqua, dicti fratres ad nostram curiam appellarunt; quare mandatum fuit dicto senescallo ut ipse adjornaret, Parisius, ad diem dicte senescallie Petragoricensis parlamenti nostri, procuratorem nostrum dicte senescallie et dictum Petrum, in causa appellacionis hujusmodi processuros, et quod dictus senescallus, ad illam diem, una cum actis et processibus, ad dictam causam spectantibus interesset, dictam sentenciam suam defensurus; ad quam diem, comparentibus predictis partibus, proposuerunt dicti fratres plures raciones ad illum finem quod dicta sentencia, per nostram curiam, nulla seu iniqua pronunciaretur, dictis senescallo, procuratore nos-

tro ac Petro plures raciones proponentibus ex adverso : Auditis igitur partis utriusque racionibus, et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse, et dictos fratres male appellasse, et quod dicta sentencia mandabitur execucioni. PHILIPPE IV, 1312.

Sabbato ante Nativitatem Domini.

R. de Briençon reportavit.

XIV. Cum, per inquestam, de mandato senescalli Petragoricensis, partibus vocatis, factam super pluribus excessibus Raymondo de Valon, in persona et rebus suis, ut dicebatur, violenter et cum armis, turba coadunata, illatis, per Arnaldum de Guerra, Raymondum de Verreriis, Raymondum de Arragonia, Bozonem Vassalli, Petrum Naisha, domicillos, cum suis complicibus, in dicta inquesta nominatis, dicti Arnaldus et sui complices, in ducentis libris Turonensibus nobis, pro emenda nostra, et dicto Raymondo in centum libris ejusdem monete, pro suis injuriis, per sentenciam magistri Petri de Haya, judicis majoris dicte senescallie, condempnati fuissent, dictus Arnaldus de Guerra, pro se suisque complicibus, a dicta sentencia, tanquam iniqua, ad nostram curiam appellavit, et in dicta appellacionis causa, contra procuratorem nostrum et dictum Raymondum articulos suos tradidit; super quibus articulis, necnon et super defensione partis adverse, mandavit curia nostra, vocatis dictis partibus, veritatem inquiri : Facta igitur super premissis inquesta, et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, viso eciam processu cause principalis predicte, quia inventum est sufficienter probatum predictos Arnaldum et suos complices dictos excessus commisisse, et in prosecucione dicte appellacionis minus diligentes fuisse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum judicem bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod dicta sentencia mandabitur execucioni.

Sabbato predicta.

Roya reportavit.

Philippe IV, 1312.

XV. Cum Philippus de Bello-Monte, racione mortis Theobaldi Lenvenime, per ballivum Silvanectensem teneretur carceri mancipatus, amici et affines ipsius nobis, pro eo, fecerunt exponi quod, cum idem Theobaldus, excogitata malicia ac pensatis insidiis, ipsum Philippum, evaginato gladio, invasisset ac de quodam baculo adeo crudeliter percussisset et vulnerasset quod ipse Philippus aliter mortis periculum evadere non poterat nisi vim repellendo, quendam cutellum evaginasset, et coram se, ut dicti invasoris conatibus resisteret, extendisset, dictus Theobaldus, ardore proprio, contra dictum cutellum se ingerens, vulneravit se ipsum, de qua lesione ipse decessit; super quo facto, ad instanciam ejusdem Philippi, per dictum ballivum inquiri mandavimus, vocatis evocandis, veritatem: Visa igitur, per curiam nostram, inquesta super hoc facta, cum per eandem, premissa ex parte dicti Philippi proposita, reperta fuerint sufficienter probata, per curie nostre judicium, idem Philippus, super morte predicta dicti Theobaldi, fuit sentencialiter absolutus, ac de prisione Castelleti Parisiensis in quo, propter factum hujusmodi, tenebatur, omnino liberatus, cum omnibus bonis suis propter hoc arrestatis.

Dominica post Nativitatem Domini.

XVI. Cum, super discordia, in curia comitis Rouciaci, apud Syssonam, racione saisine quorumdam pasturagiorum, mota inter homines ville de Syssona, ex una parte, et homines ville de Chivre, ex altera, facta fuisset quedam inquesta, et, per eandem inquestam, homines dicti comitis Rouciaci, judicantes in curia sua, apud Syssonam, judicatum suum, in dicta causa tulissent, pro dictis hominibus de Chivre, contra predictos homines de Syssona, ipsi condempnati, a judicato predicto, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellarunt. Constitutis igitur dictis partibus in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et inquesta predicta ad curiam nostram reportata, cum hujusmodi debatum dictarum partium inter cetera consisteret super eo maxime quod dicti appellantes inquestam predictam se habere suspectam dicebant, et specialiter ex eo quod ser-

viens, a ballivo Viromandensi deputatus, ad reportandum sibi inquestam predictam, eam non sigillatam invenerat penes Matheum de Vaupois, hominem curie de Syssona comitis supradicti; tandem auditis super hoc hinc inde propositis, ac relacione ballivi predicti, inter cetera continente, quod dictus serviens sibi reportaverat quod ipse dictam inquestam non sigillatam, in quodam cofino, penes dictum Matheum invenerat, et eam sic inventam, sigillari fecerat, sigillis dicti Mathei, presbiteri dicte ville, et suo, presentibus scabinis ville ejusdem, per arrestum curie nostre, dictum fuit quod inquesta predicta aperiretur et videretur, et, si inventa foret sine suspicione, judicaretur, alioquin curia nostra procederet ad faciendum eam refici, prout racio suaderet : Visa igitur dicta inquesta et diligenter examinata, quia plures defectus in ea reperti fuerunt, videlicet quod testes in ea producti non inveniuntur ibidem sufficienter interrogati[1] fuisse, et quod plures reprobaciones, contra testes hinc inde productos, proposite, et per dictos auditores admisse fuerunt ad probandum, videlicet quod procuratores de Syssona fuerant admissi ad probandum minas, ut dicebant, factas per illos de Buissi et de Sancta-Proba contra testes productos pro hominibus de Chivre, si ferrent testimonium contra homines de Syssona, in hac causa; item quod dicti auditores, ex adverso, admiserunt procuratores de Chivre ad probandum minas factas, ut dicebant, per Robertum de Syssona, commorantem apud Boncourt, per Geraldum de Buri et Robertum le Fornier contra testes productos pro illis de Syssona, si ferrent testimonium contra dictos homines de Chivre, in hac causa, et quod Petrus de Vermiu, uxor, liberi ac familia ipsius, testes pro villa de Syssona producti sunt, commorantes in una dictarum duarum villarum de Syssona, et quod ipsi tenent ibidem hospicium et sunt talliabiles dicte ville de Syssona; item quod procuratores de Syssona admissi fuerunt ad probandum conspiracionem quam proposuerant contra partem adversam, videlicet quod, si homines ville de Chivre

PHILIPPE IV. 1312.

[1] Lisez *interrogatos*.

PHILIPPE IV, 1312.

possunt acquirere saisinam dictorum pasturagiorum, per testimonium illorum de Buissi et de Sancta-Proba, illi eidem de Sancta-Proba et de Buissy debent participare, cum illis de Chivre, in dictis pasturagiis; super quibus reprobacionibus, minis et conspiracione ad probandum admissis, non inveniuntur ibidem alique probaciones producte; propter quos defectus, non potest nec debuit inquesta predicta, in statu in quo est, judicari, per curie nostre judicium, dictum fuit quod certi auditores deputabuntur, per dictam curiam nostram, qui iterato diligenter examinabunt testes tantummodo in dicta inquesta ab utraque parte productos, super articulis ipsarum parcium in eadem inquesta contentis, super principali questione predicta, necnon testes alios recipient super predictis reprobacionibus, minis et conspiracione per dictos auditores admissis, si dicte partes eas probare voluerunt, et inquesta, quam super hiis facient, totaliter completam remittent ad diem ballivie Viromandensis futuri proximo parlamenti, per nostram curiam judicandam, quam diem dictis partibus assignabunt, ad eam judicari videndam.

Dominica post octabas Epiphanie.

M. Droco reportavit.

XVII. Lite mota, in curia nostra, inter Agnetem, dominam de Bella-Valle, relictam defuncti Roberti quondam domini de Bella-Valle, militis, Johannem et Johannam ac Aelipdim, liberos dictorum conjugum, ex una parte, et Robertum nunc dominum de Bella-Valle, militem, primogenitum militis antedicti, ex altera, super eo quod dicta domina, contra dictum Robertum, inter cetera proponebat quod dictus maritus suus, in tractatu matrimonii eorumdem, promiserat dicte domine assidere sexentas libratas terre ad Parisienses, scilicet trecentas ad hereditandum dominam supradictam et alias trecentas ad dotandum eandem et ad hereditandum liberos ex eis procreandos. Item quod dictam assisiam debebat dictus Robertus primogenitus facere dicte domine, suis expensis, quod non fecerat, ut dicebat, quare in hoc dampnificatam se dicebat in quadraginta

libris Parisiensibus, pro expensis commissariorum qui iverunt, pro dicta assisia facienda. Item quod, lite pendente inter eos, dictus Robertus levavit, per spacium sex annorum, fructus et exitus ducentarum quadraginta libratarum terre adjudicate dicte domine, quare petebat, ab eodem, mille et quingentas libras Parisienses, racione fructuum predictorum. Item quod, propter defectum assignacionis maneriorum de Bove et de Braete que sibi debuerunt, per eum, ut dicebat, assignari, ipsa dampnificata fuerat, ut dicebat, propter dicti militis culpam, in ducentis libris Parisiensibus. Item quod, cum dictus Robertus teneretur solvere omnia debita quondam dicti defuncti, cum ipsa renunciasset mobilibus et conquestis, communibus inter eos, ipsa solvit, coacta per judicem competentem, Roberto de Hangart, creditori dicti mariti sui, sexdecim libras Parisienses, quas petebat ab eodem Roberto sibi reddi. Item quod dictus maritus suus, in tractatu matrimonii eorumdem, promisit dicte domine assignare melius manerium quod ipse haberet, maneriis de Bella-Valle et de Dullendio duntaxat exceptis, una cum hereditate predicta, ad opus liberorum ex dicto matrimonio procreandorum et ad hereditandum eosdem, quod factum non fuerat, ut dicebat, et petebat fieri et compleri. Item, petebat vevas suas quas ducentas libras Parisienses estimabat. Item, petebat dicta domina sexaginta solidos Parisienses, pro reparacione cujusdam furni dotalicii sui. Item, cum dicta domina posuisset in partem sui dotalicii turrim de Dullendio contra furnum Columbel et manerium de Rique-Mesnil et redditum du quay turris Dullendii, et, per judicium, dictum fuerit, ut dicebat, quod dicta turris non cadebat in partem, tanquam manerium principale, petebat dicta domina habere medietatem rerum contra hoc partitarum, vel, ad minus, quartam partem valentem quatuor libras Parisienses redditus annualis. Item petebat quod sibi redderentur littere que fuerunt apud Dullendium deposite, facientes mencionem de empcionibus factis per dictum maritum suum pro ea et ejus liberis supradictis. Item, dicte domicelle, scilicet Johanna et Aelipdis, filie dictorum conjugum, petebant a dicto Roberto, mi-

PHILIPPE IV, 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

lite, fratre suo, mille et quingentas libras Parisienses quas, ut dicebant, dictus pater earumdem, donacione facta inter vivos, eisdem donaverat, ad maritandum easdem, et assignaverat eas supra terram dicti Roberti, fratris earumdem; ad que omnia premissa, petebant dicta domina et dicte domicelle, nominibus quibus supra, dictum Robertum sibi condempnari et compelli, dicto milite premissa negante, et in contrarium asserente se ad premissa, pluribus racionibus, non teneri; ceterum dictus miles dicebat quod, cum dicta domina debuisset duo millia et octingentas libras Parisienses, in contractu dicti matrimonii, asportasse, de quibus non asportaverat nisi mille septingentas et sexaginta libras Parisienses, petebat dictus miles quod illud, quod deficiebat de summa predicta, perficeretur eidem, aut quod tantumdem diminueretur de terra dicte domine assignata. Item, dicebat dictus miles quod, cum ipse ducentas libratas terre ad Parisienses, dicte domine, supra terram de Bella-Valle assignasset, et alias ducentas et sexaginta libratas terre, ad Parisienses, alibi, et residuum, implendo judicatum pro dicta domina factum super hoc, eidem domine assignare vellet in cofris nostris, vel apud Escanbeque, ballivus Ambianensis, vel ejus commissarii dictum residuum, eidem domine in terra de Bella-Valle, et non secundum dicti judicati tenorem, in prejudicium dicti militis, assiderunt, quare petebat gravamen in hoc sibi factum, per predictos ballivum et commissarios, amoveri. Item, cum dicta domina posuisset in partem dotalicii sui feudum de Milliaco, et propter opposicionem dicti militis, ut dicitur, per judicium, dictum fuerit quod ipsa de dicto feodo non debebat habere nisi quartam partem, et, lite super hoc pendente, ipsa levaverit, de dicto feodo usque ad valorem quadringentarum librarum Parisiensium, ultra suam quartam predictam, petebat dictus miles quod dicte quadringinte libre redderentur eidem, aut illud quod boni homines super hoc estimarent. Item, petebat dictus miles ablaia sua de terra de Milliaco que dicta domina levaverat, ut dicebat, cum mobilia reputentur, et dicta domina mobilibus renunciasset. Item, petebat a dicta domina, dictus miles,

quadraginta libras Parisienses, pro terra dicte domine quam, ad ejus requisicionem excoli fecerat. Item, dicebat quod terre que fuerunt dicte domine et suis liberis per commissarios datos super hoc, deliberate, vacue appreciate fuerunt, quare petebat dictus miles quod fructus tunc existentes super dictas terras redderentur eidem, cum eas de suo excoli fecisset. Item, cum dicta domina habuisset plura maneria, pro suo dotalicio, in bono statu sibi tradita, qui nunc, ob culpam ipsius domine, ut dicebat, multum deterriorata sunt, petebat dictus miles quod in statu pristino reponerentur, aut sibi redderentur. Item, cum dicta domina habuisset certam domum, in dotalicium, ipsa devastavit locum eundem, scindindo merenum et in suam utilitatem convertendo, usque ad valorem quinquaginta librarum Parisiensium, quare petebat miles predictus, a dicta domina, dictas quinquaginta libras Parisienses sibi reddi. Item, cum dicta domina et Johannes de Bella-Valle, ejus filius, habeant terram in partem, per convenciones predicti matrimonii, petebat dictus miles quod ipsi compellantur ad solvendum debita dicti patris sui, secundum quantitatem porcionis predicte; dictis domina et Johanne ejus filio, predicta negantibus, et, pluribus racionibus, asserentibus se ad premissa non teneri; super quibus omnibus et singulis supradictis, mandavimus, vocatis dictis partibus, veritatem diligenter inquiri : Factis igitur, super predictis, pluribus inquestis et curie nostre reportatis, visis et diligenter examinatis, visisque litteris, instrumentis et judicatis a dictis partibus hinc inde productis, quia inventum est dictam dominam, quantum ad sexentas libratas terre predictas, eo modo quo premissum est, et, de dampnis suis, pro expensis commissariorum dicte assisie faciende usque ad triginta libras Parisienses, et, de dictis ducentis quadraginta libratis terre collectis et levatis, per sex annos, a milite supradicto, valentibus, per dictos sex annos, mille quadringentas quadringenta libras Parisienses, et quod dictus maritus eidem domine promiserat, in tractatu matrimonii eorumdem, assignare melius manerium quod ipse haberet, exceptis turre de Dullendio et castro de Bella-Valle ad hereditan-

PHILIPPE IV, 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

dum liberos ex dicto matrimonio procreandos et de vevis suis, usque ad ducentas libras Turonenses, et quod debeant sibi reddi littere predicte facientes mencionem de emptionibus factis nomine dicte domine et liberorum suorum, intencionem suam sufficienter probasse, per curie nostre judicium, predictus miles, in predictis omnibus et singulis fuit sentencialiter condempnatus, et in ceteris peticionibus, per dictam dominam factis contra dictum militem, fuit idem miles, per dictum judicium, absolutus. Item, quia in eisdem inquestis repertum est quod dicte domicelle de dictis mille et quingentis libris Parisiensibus quas a dicto fratre suo petebant, ex causis superius expressis, suam intencionem legittime probaverunt, dictus miles, non obstantibus judicato et aliis propositis per eundem, in dictis mille et quingentis libris Parisiensibus, dictis domicellis, suis sororibus, fuit, per idem judicium, condempnatus; ceterum, quia, pro parte dicti Roberti, nunc domini de Bella-Valle, inventum est eundem de dictis tribus partibus feudi de Milliaco, quas ipse petebat a dicta domina, ipsum usque ad quinquaginta septem libras, cum decem solidis Parisiensibus. Item, pro cultura terrarum propriarum dicte domine quas, ad requestam ipsius domine, excoluerat, pro qua petebat ab eadem quadraginta libras Parisienses, ipsum usque ad septem libras, cum quatuordecim solidis Parisiensibus, suam intencionem probasse, per idem judicium, dicta domina, in predictis quinquaginta septem libris et decem solidis, ac in aliis predictis septem libris, cum quatuordecim solidis Parisiensibus fuit dicto militi condempnata; et, quia inventum est, in processu predicto, quod dicta domina consentit quod de omnibus sumptibus et expensis quas faceret dictus miles, pro terris eidem domine et suis liberis assignatis, de omnibus facturis culture et de suo semine seminandis, haberet dictus miles partem dimidiam fructuum earumdem; de aliis autem terris in quibus ipse aliquas expensas fecit, non tamen ad plenum eas excoluit neque seminavit, haberet dictus miles illud quod ipse ibidem impendit, de quibus non constat ad plenum per inquestas predictas, attenta dicte domine concordia et equitate

suadente, per nostram curiam, dictum fuit quod ballivus Ambianensis de plano sciri faciet veritatem, per duos terrarum cultores ydoneos, quantum potuit dictus miles expendere in premissis, ut ipse exinde habeat et reportet indilate id quod dicti cultores duxerunt super hoc estimandum, juxta concordiam dicte domine memoratam, et in certis peticionibus supradictis factis per dictum militem, contra dictam dominam et Johannem, ejus filium, dicti domina et Johannes, per idem judicium, absoluti fuerunt. PHILIPPE IV, 1312.

Dominica post octabas Epiphanie.

Sanctus-Benedictus reportavit.

XVIII. Cum, ex conquestione Gaufridi de Monte-Basonis, civis Pictavensis, ad nostram curiam pervenisset quod Guido de Baucey, miles, et ejus servientes, videlicet Goupilion et Groleau et plures alii, suo nomine et de mandato suo, aut ipso ratum habente, nomine suo, factum, ad domum ipsius Gaufredi de Lambre, et ad molendinum in quo ipse habet medietatem, situm in riparia dicti loci, in quibus locis habemus altam et bassam justiciam, ausu temerario, venerunt, muros dicte domus fregerunt, ipsam domum, per violenciam, intraverunt, columbas de columbario suo ibidem existente, acceperunt et secum portaverunt, quandam mensuram bladi, signo nostro signatam, in dicto molendino, pro mensurando moulturam dicti molendini, ibidem existentem, amoverunt, et aliam mensuram, signo dicti Guidonis signatam, ibidem posuerunt, necnon et blada in terris ipsius Gaufredi existencia, in quibus habemus omnimodam justiciam, collegerunt, non obstante prohibicione servientis nostri ibidem presentis, et, ex parte nostra, deputati ad dictum Gaufridum et bona sua, ab injuriis et violenciis quibuscumque custodiendum, et de equo suo dictum Gaufridum, presente dicto serviente nostro et prohibente, traxerunt ad terram, verberaverunt et maletractaverunt, ac ipsum Gaufridum secum ad prisionem dicti Guidonis captum duxerunt, mensuras vini in villa de Lambre existentes, signo nostro signatas, ceperunt et secum portaverunt, et alias mensu-

PHILIPPE IV, 1312.

ras, signo dicti Guidónis signatas, ad vinum mensurandum, posuerunt; item, quod dicti Goupilion et Groleau, servientes dicti militis, nomine quo supra, post et contra dicti servientis prohibicionem, venerunt ad dictum molendinum de Lambre, et ruperunt archam molendini predicti et medietatem bladi in archa predicta existentis, et medietatem anguillarum in quodam vivario ibidem existencium ceperunt et secum portaverunt, et prohiberunt mounario dicti molendini ne de dicto molendino explectaret, nomine dicti Gaufridi, sed nomine Guidonis predicti, et plures alios excessus et gravamina ibidem intulerunt injuste, in jurisdicionis nostre prejudicium et contemptum, et ipsius Gaufridi gravamen et dampnum, super quibus omnibus et ea tangentibus, mandatum fuit senescallo Pictavensi quod ipse, vocato procuratore nostro et aliis evocandis, inquireret, cum diligencia, veritatem, et inquestam, super premissis, factam curie nostre remitteret judicandam : Facta igitur, per dictum senescallum, super premissis, inquesta et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, auditis racionibus parcium predictarum, quia, per eam, inventum est dictos Goupilion et Groleau, servientes dicti Guidonis, cum pluribus suis complicibus, nomine ipsius Guidonis, ac ipso ratum habente, muros dicte domus, in justicia nostra existentis fregisse, et dictam domum per violenciam intrasse, columbas de dicto columbario cepisse et asportasse, quamdam mensuram bladi, signo nostro signatam, in dicto molendino existentem, cepisse et asportasse, et aliam mensuram, signo dicti Guidonis signatam, ibidem posuisse, et precepisse quod ad mensuram, signo dicti Guidonis signatam, non ad nostram, mensuraretur ibidem; item quod predicti, nomine quo supra, ad quandam terram ipsius Gaufridi, in justicia nostra existentem, accedentes, dictum Gaufridum, in nostra speciali gardia existentem, et in conductu cujusdam servientis nostri, ad eum custodiendum et bona sua ab injuriis et violenciis quibuscumque, de equo suo traxerunt ad terram, verberaverunt et maletractaverunt, et ipsum, contra prohibicionem dicti servientis presentis et prohibentis premissa fieri, secum ad prisionem dicti militis duxerunt, blada ipsius Gaufridi

in dicta terra existencia, congregata multitudine hominum, secari fecerunt, et, contra prohibicionem servientis nostri presentis et ista sibi prohibentis, ad domum dicti militis portari fecerunt; item, quod mensuras vini in dicta villa existentes, signo nostro signatas, ceperunt et asportaverunt, et mensuras, signo dicti Guidonis signatas, ibidem posuerunt, et quod in eisdem mensuraretur preceperunt, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicti Goupilion et Groleau capti, Parisius, in Castelletum nostrum adducantur, et ibidem, quamdiu nobis placuerit, teneantur, quodque dictus Guido, pro excessibus predictis, solvat nobis mille et quingentas libras Turonenses, pro emenda, et mandabitur senescallo Pictavensi, quod ipse predictum militem compellat ad resaisiendum loca predicta de ablatis predictis, cujuslibet in hujusmodi jure salvo, et, quia repertum est in dicto processu quod ipse Gaufridus, coram predicto senescallo, a lite predicta destitit, curia nostra nihil eidem, per dictum processum, adjudicavit. PHILIPPE IV, 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

R. de Brienzçon reportavit.

Remissus fuit dictus processus magistris P. Mangon et R. de Briençon, ad inquirendum iterato super predictis.

XIX. Lite mota, in curia nostra, inter comitem Pontivi, ex parte una, et abbatem et conventum monasterii Sancti-Luciani Belvacensis, nomine suo et ecclesie sue, ex altera, super alta justicia prioratus de Senardi-Ponte, domusque, pertinenciarum et appendiciarum ejusdem prioratus, quam altam justiciam dictus comes ad se dicebat pertinere, racione comitatus sui predicti, dictis religiosis, pro se et nomine ecclesie sue contrarium asserentibus et dicentibus dictam altam justiciam dicti prioratus domorumque pertinenciarum et appendenciarum ejusdem ad ipsos religiosos, racione ecclesie sue predicte, pertinere : Super quibus, de mandato curie nostre, facta inquesta et ipsi nostre curie reportata, visa et diligenter examinata, quia, per eandem inquestam, nihil inventum est dictum comitem de dicta alta justicia dicti prioratus domorumque, pertinenciarum et

PHILIPPE IV, 1312.

appendenciarum ejusdem sufficienter probasse, propter quod dicta alta justicia dicti prioratus et pertinenciarum ejusdem eidem comiti debeat adjudicari, dictosque religiosos, pro se et nomine ecclesie sue predicte, sufficienter probasse dictam altam justiciam dicti prioratus et domorum ac pertinenciarum et appendiciarum ejusdem ad ipsos religiosos et ecclesiam suam predictam pertinere, per curie nostre judicium, dicti religiosi ab impetitione predicta dicti comitis absoluti fuerunt, et adjudicata fuit dicta alta justicia dicti prioratus, domorum ac pertinenciarum et appendenciarum ejusdem, dictis religiosis, nomine suo et ecclesie sue predicte.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

M. Droco reportavit.

XX. Cum, visa, per curiam nostram, inquesta de mandato Guillelmi de Santo-Justo, militis, locum tenentis Jordani de Insula, militis, quondam senescalli Belli-Cadri, per Bernardum Marchesii, judicem nostrum Andusie, facta contra Johannem de Sageyo, judicem nostrum Marologii, dicte senescallie, super pluribus articulis per Stephanum Ademari, Petrum Roquelli, Vitalem et Guillelmum Raolseti de Marologio, contra dictum Johannem, dicto senescallo redditis, super pluribus injuriis, violenciis, oppressionibus, exactionibus et extorsionibus indebitis, predictis et aliis pluribus subditis nostris dicte judicature, in dictis articulis expressis, per dictum judicem, ut dicebatur, factis, tam per confessionem dicti judicis, quam per testes super hoc productos, inventum sit sufficienter probatum dictum judicem, a pluribus personis, in dictis articulis nominatis, plures et diversas pecuniarum summas habuisse, et licet dictus judex, ad sui defensionem, proposuerit se juste et legittime, juxta consuetudinem patrie et morem a suis predecessoribus observatum, premissa habuisse, que offerebat se probaturum, si hoc negaretur : Quia tamen, per dictam inquestam, non invenitur defensionibus super hoc propositis per ipsum judicem fuisse responsum, vel testes, ex parte ipsius judicis, super hiis, fuisse productos, per curie nostre judicium,

dictum fuit quod, si aliquis de dicto judice conqueri voluerit et prosequi, quod mandabitur senescallo Belli-Cadri quod, vocatis evocandis, faciat eisdem justicie complementum, prout ad ipsum pertinuerit, racione officii dicte judicature nostre, quod gessit Johannes predictus. PHILIPPE IV, 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

Roya reportavit.

XXI. Lite mota inter senescallum nostrum Carcassone, seu ejus commissarios, ex officio procedentes, ex una parte, et priorem de Cambonio et consortes ipsius, videlicet Petrum Arnaldi Durbem, domicellum, Berengerium de Bothenaco, Hermegaudum de Rophiano, Guillelmum Martini, bajulum nostrum de Dulaco, Bartholomeum Melis, Raymondum Corroni, Raymondum Forenhela, Guillelmum Fraisac, Perpinianum Egidii, Raymondum Suavis, Guillelmum de Alneto alias de Electo, et Petrum de Villela, ex altera, super eo quod idem prior dicebatur dictos consortes suos et quosdam alios excitasse ad arma portanda, et eos, in domum suam, sitam infra ambitum murorum monasterii Crasse, in senescallia Carcassone, convocasse, cum armis, dictamque domum diversorum armorum generibus et armatis hominibus, in perniciosum exemplum populi, munivisse, dicto priore et predictis ejus consortibus, ad sui defensionem, ex adverso, multas proponentibus raciones; tandem, facta, per dictum senescallum, seu commissarios ejusdem, ex officio suo, ut premissum est, procedentes super premissis ac propositis, hinc et inde, inquesta, idem senescallus dictum priorem et predictos consortes ejusdem in certis pecuniarum quantitatibus, nobis, pro dicta portacione armorum, solvendis, condempnavit; a qua sentencia condempnatoria predicti prior et consortes ipsius, tanquam ab injusta, ac procurator noster, tanquam a modica, ad nos appellaverunt: Visis igitur, tam principalis quam appellacionis causarum predictarum processibus, et diligenter inspectis, quia compertum est, per processus eosdem, dictum priorem, in domo sua, tanquam in refugio

PHILIPPE IV, 1312.

tutissimo existentem, quicquid fecit de premissis sibi impositis, ad suam justam et licitam defensionem sui corporis et suorum tuicionem fecisse, predictosque consortes dicto priori, nemini dampnum danti seu injuriam inferenti, juste et licite adjutorium prebuisse, dictumque factum non debere ad portacionem armorum reputari: Per curie nostre judicium, dictum fuit senescallum predictum male pronunciasse, memoratosque priorem et consortes ejusdem bene appellasse, et non mandabitur execucioni condempnacio predicta.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

Usco reportavit.

XXII. Lite mota, coram senescallo Carcassone, inter procuratorem Johannis de Monte-Forti et Bernardi de Convenis, militum, ex una parte, et procuratorem nostrum dicte senescallie, ex altera, super eo quod procurator dictorum nobilium proponebat ipsos nobiles esse in saisina cognoscendi de causis que moventur contra dominos castri de Graoleto et pertinenciarum ipsius, feodatarios et subditos dictorum nobilium, racione castri predicti et ressorti ipsius castri, et dictos nobiles et eorum antecessores esse et fuisse ab antiquo in saisina cognoscendi de causis appellacionum que interponuntur a dominis de Graoleto et eorum curia, et eos esse impeditos in saisina predicta per gentes nostras, tam Albie quam Carcassone, quare petebat, nomine ipsorum, dictum impedimentum amoveri et deinceps ab eo cessari, et prefatos dominos permitti libere uti saisina predicta; procuratore nostro premissa negante, et contrarium asserente, et dicente curiam nostram esse in saisina cognoscendi et retinendi sibi curiam de predictis, quamquam super hoc curia, modo debito, fuerit petita, dictaque lite pendente, predictus Johannes de Monte-Forti rebus fuerit humanis exemptus, et, in ipsius defuncti locum, Elienordis de Monte-Forti, comitissa Vindocinensis, soror et heres dicti defuncti, successerit, et predictam causam, in statu in quo erat, quando dictus Johannes decessit, in se resumpserit, et fuerit prosecuta; tandem cognito de causa predicta et in ea, predictis partibus

[vocatis], concluso, dictus senescallus, per suam sentenciam, pronunciavit, non obstantibus propositis per procuratorem nostrum, partem dictorum nobilium suam intencionem probasse, quantum ad saisinam predictam, quando sufficienter peciit super hoc curiam sibi reddi, et dictum impedimentum amoveri debere; a quo judicato, tanquam iniquo, procurator noster ad nostram curiam appellavit : Viso igitur, per curiam nostram, processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit, quantum ad dictam saisinam, quando sufficienter petitur reddicio curie, senescallum predictum bene judicasse, et procuratorem nostrum male appellasse, jure proprietatis procuratori nostro, nomine quo supra, super hoc reservato. PHILIPPE IV, 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

Housseya reportavit.

XXIII. Cum mandavissemus ballivo Rothomagensi quod ipse diligenter inquireret veritatem, vocatis procuratore nostro et aliis evocandis, utrum, antequam emolumenta hanchiarum ville Rothomagensis per manum nostram levari fecissemus, major Rothomagensis esset in saisina et per quantum tempus levandi eadem emolumenta et utrum esset in saisina, in pios usus vel aliter, eadem, per manum suam, faciendi converti : Tandem, facta super hoc inquesta, et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, quia non est inventum quod procurator noster ad hoc fuerit vocatus nec quod testes in ea productos viderit jurare, dicta inquesta, per curie nostre judicium, fuit totaliter anullata, et injunctum quod iterato mandetur dicto ballivo ut ipse, secundum formam dicte commissionis, inquirat veritatem super hoc, vocatis procuratore nostro et aliis evocandis.

Veneris post Sanctum-Vincentium.

Bocellus reportavit.

XXIV. Cum Bonajuncta Bartholomei, lumbardus, emisset in Gravia, in aqua, quatuordecim dolia vini et ad terram ea exonerasset, et ad domum suam duci fecisset, prepositus mercatorum aque Pari-

PHILIPPE IV, 1312.

siensis et scabini dicta vina arrestari fecerunt, et ea forefacta esse judicaverunt; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Bonajuncta ad nostram curiam appellavit; auditis igitur partibus in causa appellacionis predicte, et plura facta contraria proponentibus, curia nostra mandavit super hiis veritatem inquiri per magistrum Radulphum de Fossatis, canonicum Ambianensem, qui, vocatis coram se partibus antedictis, una cum procuratore nostro, inquestam super hoc facere inchoavit, et postea, propter impedimentum dicti magistri Radulphi, mandavimus magistro Radulpho de Meullento, canonico Parisiensi, et magistro Hugoni Cuillier, canonico Sancti-Quintini, clericis nostris, ut inquestam perficerent supradictam; presentibus igitur partibus supradictis, et procuratore nostro coram commissariis antedictis, procurator noster, dicti prepositus et scabini pecierunt quod dictus Bonajuncta eorum articulis responderet; qui pluries, per dictos commissarios, requisitus noluit respondere, dicens quod alias responderat eisdem coram magistro Radulpho de Fossatis antedicto: Visis igitur dictis processibus diligenter, quia repertum est quod dictus Bonajuncta responderat articulis dictorum prepositi et scabinorum coram magistro Radulpho predicto, et quia dicta inquesta non est completa, pro parte dictorum prepositi et scabinorum ac procuratoris nostri, per curie nostre judicium, dictum fuit quod ulterius procedetur in causa appellacionis predicte, et quod perficietur dicta inquesta per dictos commissarios secundario deputatos.

Veneris post Sanctum-Vincentium.

Sanctus-Benedictus reportavit.

XXV. Lite mota, coram judice nostro Ruthenensi, inter comitem Ruthenensem, Ademarum Jordani, Audoynum de Paris, et Grimaldum de Paris, militem, condominos cujusdam castri quod dicitur Castrum-de-Paris, in Ruthenensi senescallia situati, actores, ex una parte, et procuratorem nostrum, ex altera, super eo quod dicti actores proponebant se dissaisitos fuisse, per bajulum nostrum de

Naiaco seu ejus locum tenentem, de Hugone Bernardi, Bernardo ejus filio, militibus, et Durando de Broellis, domicello, quos in prisione sua dicti Castri-de-Paris incarceratos tenebant, pro eo quod vulnerasse dicebantur Petrum et Guillelmum de la Borria, fratres, Guillelmum de Villelas et Hugonem de Vizona, infra districtum et pertinencias dicti castri, petebantque se de dictis malefactoribus resaisiri, cum, sine cause cognicione, fuissent de eis dissaisiti, ut dicebant; dicto procuratore nostro, ad defensionem nostram, pluribus racionibus, proponente dictos condominos non debere de dictis malefactoribus resaisiri; tandem, facta, per judicem supradictum, de mandato senescalli Ruthenensis, inquesta, super propositis hinc et inde, idem judex, inter cetera, per suum judicium, declaravit dictos condominos de dictis malefactoribus resaisiri debere; quosdam alios articulos, tam pro una parte quam pro alia, adiciens in suo judicato predicto de quibus inferius continetur; a quo judicato pars utraque, in quantum contra se faciebat, ad nos appellavit : Viso igitur, per curiam nostram, totius dicte cause processu, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit predictum judicem, quoad resaissinam de predictis malefactoribus faciendam dictis condominis, de quorum malefactorum saisina, per bajulum nostrum predictum seu ejus locum tenentem, ipsi reperiuntur, sine cause cognicione, dissaisitos fuisse, bene pronunciasse, salva tamen nobis, in hujusmodi, questione proprietatis; quantum vero ad saisinam exercendi juridicionem in casu vulneracionum, factarum in districtu et pertinenciis dicti castri, et quoad saisinam exercendi merum et mixtum imperium seu altam justiciam et omnimodam juridicionem in locis predictis, cum premissa non reperiantur, per processum predictum, per modum petitorii seu possessorii vel aliter, in judicium deducta fuisse seu petita, dictum judicem male pronunciasse, salva tamen utrique parti, super dictis mero et mixto imperio seu alta justicia et juridicione omnimoda dicti castri et pertinenciarum ejusdem, tam in petitorio quam in possessorio, questione, quociens super hiis vel eorum altero voluerint experiri.

PHILIPPE IV, 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.
Usco reportavit.

XXVI. Lite mota, coram ballivo Ambianensi, inter majorem et scabinos de Dullendio, ex una parte, et Rogerum de Bouquemesons, armigerum, ex altera, super saisina cujusdam arboris cese in villa predicta, que saisina fuit adjudicata ipsi Rogero, per sentenciam dicti ballivi, et postea dicti major et scabini dictum Rogerum citari fecerunt, Parisius, coram gentibus nostris, super hoc in causa proprietatis, dicentes, una cum procuratore nostro, totam justiciam altam, bassam et mediam, infra metas banleuce Dullendii, infra quas dicebant villam de Bouquemesons situatam, racione communie sue in frocis dicte ville et alibi, ad se pertinere, et emolumenta sanguinis, espave, estrahere et forisfacture, per judicium dictorum majoris et scabinorum, ad nos pertinere debere, et petentes predicta sic per curiam nostram declarari, et eciam adjudicari; dicto Rogero premissa negante, et in contrarium dicente, jus et proprietatem predictorum ad se pertinere debere, pretendente quod ipse est dominus treffundarius ville de Bouquemesons, et quod ipse ibi habet omnimodam justiciam, absque eo quod aliquis participet cum eo, et quod dictam justiciam tenet a nobis, et de hoc est in fide et hommagio nostris, et quod ipse est in saisina justiciandi ibidem, a tempore viginti, triginta et quadraginta annorum et a tali tempore quod sibi debet sufficere ad acquirendum jus et proprietatem in premissis; item quod ipse ibi habet homines nobiles et innobiles et tenet curiam et placita sua, facitque bornare et limitare, quando casus hoc requirit, et habet ibi foragia, estallagia, herbagia et corveyas, super homines suos, et omnes actus et expleta quos dominus talis potest habere in terra sua et eciam scindendi arbores et levandi, in frocis dicte ville de Bouquemesons : Lite, ab utraque parte, super hoc contestata, testibus productis, visis dictarum parcium processibus, ac earum racionibus plenius intellectis, quia inventum est dictos majorem et scabinos, quantum ad cognicionem causarum furti, sanguinis, espave, hestra-

here et forisfacture, pro ipsis, et quantum ad emolumenta dictarum causarum sanguinis, espave, hestrahere et forisfacture, nobis, per judicium dictorum majoris et scabinorum, applicanda, intencionem suam melius probavisse, et quod dictus Rogerus, quantum ad ea que secuntur, videlicet quod ipse est dominus treffundarius ville de Bouquemesons et quod ipse ibi habet justiciam et curiam, et quod ipse levat ibidem emendas trium et quinque sexaginta solidorum ab hominibus suis treffundariis; item, quod ipse habet ibidem homines nobiles et innobiles et ibi tenet curiam suam; item et quod ipse facit ibi bornare et limitare inter homines suos, et quod ipse habet ibi foragia, estallagia, herbagia et corveias super homines suos, et quod ipse et predecessores sui ab antiquo scinderunt plures arbores in frocis ville predicte de Bouquemesons, et eas asportaverunt ad domum suam; item et quod homines de Bouquemaisons licenciam ab antiquo consueverunt, ab ipso et ejus predecessoribus, petere capiendi terram in frocis ville sue predicte, de quibus omnibus ipse est in fide et homagio nostris, intencionem suam melius probavisse, per idem curie nostre judicium, premissa eidem adjudicata fuerunt. Philippe IV. 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

Housseya reportavit.

XXVII. Cum lis mota fuisset, coram ballivo Silvanectensi, inter Radulphum dictum le Charron de Compendio, representantem, ut dicebat, personam Petri de Cauli, ex una parte, et majorem et juratos de Compendio, ex altera, super eo videlicet quod idem Radulphus dicebat, contra majorem et juratos predictos, quod, in quodam certo feodo, in villa Compendii situato, quod fuit dicti Petri et quod nunc est dicti Radulphi, et de quo ostensio fuit facta inter partes predictas, quod siquidem feodum movet de castellania Petre-Fontis, et quod feodum idem Petrus, tempore quo vivebat, tenebat a nobis in fide et hommagio, ut dicebat, nichilominus predicti major et jurati, indebite et sine causa, se posuerant in saisina justiciandi et bassam justiciam ibidem exercendi, et dominium dicti feodi conten-

PHILIPPE IV, 1312.

ciosi sibi acquirendi, et investituram et devestituram rerum hereditariarum dicti feodi faciendi et recipiendi, necnon habendi cognitionem de mobilibus et catallis et de accionibus personalibus habitancium in feodo supradicto, in grave dampnum et prejudicium Radulphi supradicti, maxime cum predicta omnia et singula, tam in proprietate quam possessione, ad antecessores dicti Petri, a quibus ipse habet causam et ad ipsum, nedum de jure communi, sed de consuetudine patrie, pertineant ac pertinere debeant, fuerintque usi de premissis et a tanto tempore quod sufficit et sufficere debet ad jus proprietatis acquirendum; quare petebat dictus Radulphus quod impedimentum, per dictos majorem et juratos, in premissis indebite appositum, amoveretur, et quod pronunciaretur justiciam et jus exercendi eandem ad dictum Radulphum pertinere debere, quodque dicti major et jurati a saisina rerum predictarum, in qua, de facto tamen et non de jure, intraverunt, amoveantur, causis et racionibus antedictis; predictis majore et juratis, ex adverso, proponentibus quod ipsi fuerant et erant, tam per punctum carte a nobis eisdem super premissis concesse, quam de usu et consuetudine patrie, in saisina habendi et exercendi omnimodam bassam justiciam in feodo predicto, necnon investituram et devestituram rerum hereditariarum dicti feodi faciendi et recipiendi et omnimodam justiciam de mobilibus et catallis, et actionibus personalibus exercendi inter habitatores feodi predicti, necnon emendas levandi et recipiendi quando casus se offerebat ab habitatoribus antedictis, quodque predicti major et jurati de predictis omnibus et singulis fuerant et erant in saisina a tanto tempore quod sufficit et sufficere debet, nedum ad saisinam querendam, sed ad jus et proprietatem rerum predictarum acquirendum, propter que dicebant predicti major et jurati se ab impeticione predicta dicti Radulphi debere absolvi, necnon res predictas, tam in saisina quam in proprietate, eisdem adjudicari debere; facta igitur inquesta super premissis, de mandato dicti ballivi, in qua dicti major et jurati plures testes, pro parte sua, produxerunt, dictus vero Radulphus nullos testes super hoc, pro se, produxit, dicens, ut continetur

ibidem, se jure communi, quod pro se allegabat, esse contentum; tandem visa inquesta predicta, dictus ballivus, per suum judicium, pronunciavit predictos majorem et juratos sufficienter suam intencionem super hoc probasse, et, per idem judicium, expleta dicte basse justicie, cum omnibus rebus predictis, ad dictos majorem et juratos pertinere, adjudicavit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Radulphus ad nostram curiam appellavit: Visa igitur inquesta predicta et diligenter examinata, parciumque racionibus ad plenum intellectis, per curie nostre judicium, dictum fuit dictum ballivum bene judicasse, et dictum Radulphum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, jure nostro in premissis omnibus et singulis semper salvo. PHILIPPE IV, 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

R. de Thiboutot reportavit.

XXVIII. Cum visa inquesta, de mandato curie nostre facta, per magistrum Petrum de Arrableyo, archidiaconum Borbonii, in ecclesia Bituricensi, clericum nostrum, et ballivum Bituricensem, super quibusdam armorum delacionibus et armatorum seu paratorum ad arma congregacionibus, contra ordinacionem seu prohibicionem nostram factis, per Aemlium de Lezayo, militem, ex parte una, et Johannem de Culento, militem, ex altera, cum pluribus eorum complicibus, inventum sit plures facti raciones, ex parte ipsius Johannis de Culento et suorum, coram dictis auditoribus, fuisse propositas ad justificandum factum suum, et ad anullandum seu attenuandum emendam quam, pro dicto facto, gagiaverant, super quibus non inveniuntur testes per dictos auditores fuisse receptos, licet easdem se offerrent, prout ex tenore dicte inqueste apparet, legittime probaturos; item quia, contra quosdam de dictis complicibus, per procuratores suos, coram dictis auditoribus comparentes, et quosdam alios contumaces, in dicta inquesta nominatos, non invenitur fuisse processum; quia eciam dictus Amelius de Lezayo, cum pluribus suis complicibus, citati coram dictis auditoribus, qui, pro dicto facto, per senescal-

PHILIPPE IV, 1312.

lum Pictavensem, detinebantur arrestati, non comparuerunt, et sic non fuit, cum eisdem, per dictos auditores processum: Per arrestum nostre curie, dictum fuit quod commissio predicta ad eosdem auditores renovabitur, et precipietur eisdem quod, secundum tenorem commissionis ejusdem, super racionibus dictarum parcium pertinentibus ad dictum factum, vocatis quorum interest, probaciones eorum recipiant, et dictam inquestam compleant et remittant completam, et quod mandabitur senescallo Pictavensi quod ipse dictum Amelium et ejus consortes, subditos suos, prout a dictis commissariis fuerit requisitus, adjornet et faciat venire coram eisdem commissariis, ad videndum contra ipsos fieri inquestam predictam, et quod ipse, in predictis et ad ea pertinentibus, dictis commissariis pareat et intendat.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

Roya reportavit.

Remissa fuit predicta inquesta dictis commissariis ad perficiendam.

XXIX. Cum decanus et capitulum Parisiensis ecclesie conquererentur ex eo quod, cum ipsi, ut dicebant, essent in saisina exercendi bassam justiciam in media parte voerie Garlandie, Parisius situate, videlicet ex parte domorum dicti capituli sicut protenduntur, versus montem Sancte-Genovefe et versus ecclesiam Sancti-Stephani de Gressibus, fuissentque usi de dicta bassa justicia, nomine suo et ecclesie sue predicte, per se et per gentes suas, quociens casus in media parte predicta se obtulerunt, et devenerunt ad noticiam eorumdem, eciam per tantum tempus quod sufficit et sufficere debet, ad bonam saisinam acquirendam, et ad confortandum saisinam suam predictam, nostre curie exhibentes quandam cartam a predecessoribus nostris eis concessam; nichilominus prepositus noster Parisiensis ipsos, super hoc, ut dicebant, impediebat injuste, et, ad requestam procuratoris nostri, predictam bassam justiciam medie partis voerie predicte, in manu nostra, tanquam in manu superioris, de facto et sine cause cognicione, posuerat, predictos decanum et capitulum in saisina basse justicie predicte indebite perturbando; quare petebant dictam

manum nostram et impedimentum predictum de predicta bassa justicia amoveri, dicto procuratore nostro, ex adverso, proponente quod, de consuetudine civitatis et banleuce Parisiensium, dicta bassa justicia, in tota voeria predicta, ad nos pertinet et pertinere debet, quodque de premissis gentes nostre sole et insolidum use fuerant, quociens casus se obtulerunt, et ad earum noticiam devenerunt, eciam per tantum tempus quod sufficit et sufficere debet ad saisinam bonam acquirendam; quare dicebat manum nostram, in premissis juste appositam, non debere amoveri, immo petebat dictam justiciam in manu nostra, tanquam in manu partis, remanere debere: Auditis igitur super hoc dictis partibus, et inquesta, de mandato nostro, super hoc facta, visa et diligenter examinata, quia repertum est predictos decanum et capitulum, quantum ad bassam justiciam predictam, per plura expleta plenius suam intencionem probasse, per curie nostre judicium saisina predicta basse justicie medie partis dicte voerie infra terminos supradictos fuit eisdem decano et capitulo adjudicata, et, per idem judicium, dictum fuit quod dicta manus nostra in hujusmodi apposita amovebitur, salva nobis, super hoc, questione proprietatis. PHILIPPE IV. 1312.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

R. de Thibotot reportavit.

XXX. Cum magister Gaufridus de Brienzçon, thesaurarius noster, nobis conquestus fuisset quod, cum ipse nuper, certa die, circa ignitegium, de domo quam Parisius inhabitat, pro nostris specialibus negociis, misisset Richardinum valetum et Gilebertum clericum suos; cumque dicti Richardinus et Gilebertus transirent per vicum Michaelis-le-Conte, servientes gueti Parisiensis, videlicet dictus Hurtaut, Giletus de Compendio et Philippotus de Taverniaco obviaverunt Richardino et Gileberto predictis, in vico predicto, et, non obstante quod dicti Richardinus et Gilebertus dicebant se esse de familia dicti thesaurarii, et, ad talem horam, se sic ire, de precepto dicti domini sui et pro negociis nostris, et se esse, in hoc casu, in servicio nostro,

Philippe IV, 1312.

et quod, si eisdem non crederent dicti servientes, venirent cum eis ad domum dicti domini sui, et si dictus thesaurarius eos non advoaret, quod, de eis, suam facerent voluntatem, predicti servientes, necnon Thomas Olearius, Radulphus Durdos et Johannes Martini, predicti gueti servientes, hiis non obstantibus, plures injurias et graves intulerunt eisdem, et ipsos finaliter duxerunt captos in Castelletum, adeo stringendo, verberando, ledendo et male trahendo ipsos, sicut est de latronibus et murtrariis fieri consuetum, super quibus mandavimus, vocatis partibus, veritatem inquiri : Facta igitur inquesta super hiis, vocatis partibus, et ad nostram curiam reportata, quia predicte injurie, violencie et lesiones predictis Richardino et Gileberto, suam excusacionem pretendentibus et in nostro obsequio existentibus, invente sunt per eandem inquestam sufficienter probate, curia nostra, de speciali mandato nostro, procedens ad judicandum, prout sibi rationabile videretur, inquestam predictam, per suum judicium, dictos Hurtaut, Giletum de Compendio et Philippotum de Taverniaco a predictis suis serviciis perpetuo privavit, dictosque Thomam Olearium, Radulphum Durdos et Johannem Martini, per unum annum integrum et continuum, a predictis eorum serviciis suspendit.

Veneris post Sanctum-Vincencium.

Sanctus-Benedictus reportavit.

XXXI. Cum ballivus Aurelianensis, Johannam, dominam de la Chome, relictam defuncti Guillelmi d'Aguilli, pro suspicione mortis dicti mariti sui, nullo accusatore vel denunciatore contra eam super hoc comparente, carceri mancipasset, dicta Johanna, super facto predicto se supposuit inqueste dicti ballivi : Facta igitur inquesta, per certos commissarios a dicto ballivo super hoc deputatos, et, de mandato nostro, pro judicando, ad nostram curiam asportata, visaque et diligenter examinata, cum, per eam, nichil penitus inventum fuerit de facto hujusmodi, nec de suspicione nec de fama, contra dictam Johannam, probatum, per curie nostre judicium, dicta

Johanna, super facto predicto, fuit, exigente justicia, totaliter absoluta. PHILIPPE IV. 1312.

Jovis in vigilia Candelose.

XXXII. Cum magistri Johannes de Divione et Johannes de Ceres, clerici nostri, deputati a nobis ad negocia bonorum que fuerunt Judeorum regni nostri, Galterum de Rovris, commissarium specialiter deputassent ad negocia bonorum que fuerunt Judeorum, in ballivia Rothomagensi et ejus ressorto, tempore expulsionis eorum, et coram dicto commissario, Angevinus de Bello-Monte, Judeus, conquestus fuisset de Petro d'Alart, vice-comite d'Orbec, super recelacione plurium bonorum suorum, vocato, super hoc, coram ipso, dicto vice-comite, et factis ab eodem responcionibus ad predicta sibi imposita, testibusque productis in presencia dictarum parcium, ac postea diligenter examinatis, visis et attentis eorum deposicionibus, visis eciam compotis quos dictus vice-comes, de bonis Judeorum, coram ballivo Rothomagensi reddiderat, habito, super eisdem, prudentum et jurisperitorum consilio, idem commissarius dictum vice-comitem, nobis et dicto Judeo, in quantum eum tangit, in mille libris Turonensibus condempnavit; a qua condempnacione, tanquam injusta, dictus vice-comes ad nos appellavit; comparentibus igitur dictis partibus coram magistris predictis, et auditis omnibus que dicte partes, in dicta causa appellacionis, proponere voluerunt iidem magistri, condempnacionem predictam, per suum judicium, confirmaverunt; a qua confirmacione, tanquam injusta, dictus vice-comes ad nostram curiam iterum appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso diligenter processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos commissarium et magistros bene judicasse, et dictum vice-comitem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et amovit curia nostra dictum Petrum ab omni officio nostro obtento et obtinendo.

Lune post octabas Candelose.

Roya reportavit.

PHILIPPE IV, 1312.

XXXIII. Cum, super peticione quam, coram preposito Parisiensi, sub certa forma, faciebat magister Andreas Poicheron, canonicus Attrebatensis, contra Guillelmum de Buciaco, scutiferum, racione decem librarum Parisiensium annui redditus, quas dictus magister Andreas, per manum suam vel mandati sui, capiendas et levandas, sub certis condicionibus et obligacionibus, dudum emerat a Petro de Boubers et ejus uxore, super omnibus rebus et bonis quas dicti conjuges habebant et possidebant in villa de Bris super Maternam et pertinenciis ejusdem ville, prout in litteris sigillo Castelleti Parisiensis sigillatis, super dicta vendicione confectis plenius continetur; item, racione pressure cujusdam pressorii et stillicidii cujusdam grangie dicti Guillelmi et obligationis quarumdam rerum in dictis litteris contente ac quorumdam aliorum articulorum in peticione predicta contentorum, lite legittime contestata, testibus ab utraque parte productis, et auditis propositis hinc et inde, conclusoque a dictis partibus in causa predicta, dictus prepositus, vel ejus locum tenens, viso diligenter processu predicto, visisque racionibus super hoc propositis hinc et inde, judicatum suum, super hiis, pro dicto magistro Andrea, contra dictum Guillelmum, tulit, sub certa forma, in dicto judicato, sigillo prepositure Parisiensis sigillato, contenta; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Guillelmus ad nostram curiam appellavit : Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, auditisque et diligenter attentis racionibus earumdem, visisque processu et judicato predictis, necnon litteris vendicionis predicte, per curie nostre judicium, dictum fuit dictum prepositum vel ejus locum tenentem bene judicasse et dictum Guillelmum male appellasse; curia vero dicto Guillelmo, ex causa, remisit emendam appellacionis predicte.

Jovis in vigilia Candelose.

Roya reportavit.

XXXIV. Cum Guillelmus Bernardi, civis Parisiensis, in negocio bonorum Templi, in ballivia Arvernie deputatus, a curatoribus bo-

norum dicti Templi, ballivo Arvernie conquestus fuisset, super eo quod cum ipse Petrum Astorgii, servientem domini Regis, in ballivia Arvernie, auctoritate propria, per suas litteras, deputasset ad justiciandum, in corporibus et bonis, quosdam homines de Aureliaco, de quibus quidam firmarii domorum Templi dicte ballivie, conquesti fuerant Guillelmo Bernardi predicto, Petrus Furnerii, burgensis de Aureliaco, eidem servienti plures injurias intulerat, ut dicebat, super quo dictus ballivus Guillelmo Judei, certam fecit commissionem; qui commissarius processum suum fecit super predictis, de quo processu, dictus Petrus Fornerii conquerens in multis, et plures raciones ad eum anullandum proponens, inter cetera dicebat se a pluribus gravaminibus que dicebat sibi, per dictum servientem, minus racionabiliter illata fuisse, ad nos legittime appellasse; quibus auditis et viso processu predicto, idem ballivus, virtute dicti processus, judicatum suum tulit super hiis contra Petrum Fornerii predictum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Petrus Fornerii ad nostram curiam appellavit: Tandem auditis, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, dicto Petro Fornerii, ex una parte, ac procuratore nostro ballivie Arvernie, ex altera, visoque processu predicto, per quem non apparebat dictum Guillelmum Bernardi potestatem habuisse faciendi dicto Petro Astorgii commissionem predictam, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum male judicasse, et dictum Petrum Fornerii bene appellasse, et anullavit curia nostra totaliter processum predictum, et precepit quod quecumque de bonis dicti Petri Fornerii capta fuerunt, racione dicti processus ac judicati predicti, ex integro reddantur eidem.

Lune post octabas Candelose.

XXXV. Cum Michael dictus de Poolay, pro suspicione furti cujusdam quantitatis florenorum, quam Nicholaus Loquetier de Rothomago sibi furatam esse dicebat, apud novum castrum de Lincourt captus fuisset et diu detentus, et, propter hoc, questionibus suppositus, ac etiam, post hoc, ut ab ipso posset facti veritas, melius

PHILIPPE IV, 1312.

veritas extorqueri, Parisius adductus in Castelleto nostro fuisset, et inqueste quedam contra ipsum super hoc postea facte fuissent, per quas de facto hujusmodi non potuit constare, et, dicto negocio sic pendente, quidam alius in terra et justicia Ingerranni de Marrigniaco, dilecti et fidelis militis et cambellani nostri, captus fuerit, et furtum hujusmodi recognoverit se fecisse, nec dictum Michaelem accusaverit vel inculpaverit super eo, et, propter hoc, fuerit justiciatus; dictusque Nicholaus, hoc audito, prepositum nostrum Parisiensem, prout idem prepositus curie nostre retulit, adiverit et eundem requisiverit ut ipse dictum Michaelem deliberaret et permitteret abire : Tandem premissis omnibus ad nostram curiam reportatis, ipsa curia nostra dictum Michaelem, a predicto facto sibi imposito, totaliter absolvit, et precepit a dicto carcere liberari.

Lune post octabas Candelose.

Non habui inquestam.

XXXVI. Lite mota, in curia nostra, inter homines in villa Mauziaci habitantes, et procuratorem nostrum Arvernie, pro nobis, ex una parte, et abbatem et conventum loci predicti, ex altera, super eo quod dicti homines proponebant, una cum procuratore nostro predicto, ipsos homines esse et ab antiquo fuisse, tam racione usagii hactenus super hoc observati, quam privilegii eorumdem, in bona saisina adeundi nos aut gentes nostras, per viam simplicis querele, pro gravaminibus eisdem illatis, per abbatem et conventum predictos, et nos esse et fuisse in saisina audiendi, modo predicto, homines supradictos et dicta gravamina revocandi, dictis religiosis proponentibus, et adverso quod dicti homines, per viam simplicis querele, contra eosdem religiosos, audiri non consueverant, nec erant, de hoc, in saisina, immo ad curiam dictorum religiosorum, quando ab eis non appellaverant, consueverunt remitti, et dicentibus quod prisie facte per dictos religiosos de bonis dictorum hominum, ad manum nostram, racione predicta, posite et eisdem hominibus per nos recredite, ad manum dictorum religiosorum reponi debebant,

cum dicti religiosi dicerent se habere omnimodam justiciam altam et bassam, in dicta villa Mauziaci et in omnibus habitatoribus dicte ville, et de hoc dicebant se esse et fuisse, ab antiquo, in bona saizina, et quod, si gentes nostre aliquociens receperunt dictos homines per simplicem querelam, dicti religiosi de hoc semper, quando hoc sciverunt, conquesti fuerunt gentibus nostris, et de hoc pluries exauditi fuerunt religiosi predicti, et curia super hoc eis reddita et dicti homines ad curiam dictorum religiosorum in hujusmodi casibus remissi : Facta igitur super hoc inquesta et nostre curie reportata, visa et diligenter examinata, quia per eam repertum est dictos religiosos melius, in premissis, suam intencionem probasse quam homines et procuratorem nostrum predictos, per curie nostre judicium, dictum fuit dictos homines, quantum ad saisinam predictam, non esse recipiendos per curiam nostram, per viam simplicis requeste, sed ad curiam dictorum religiosorum remittendos, nisi in casibus ad nos spectantibus, jure nostro, et quod de bonis dictorum hominum captis per religiosos predictos, et ad manum nostram positis, racione debati predicti, et per nos eisdem hominibus recreditis, amovebitur manus nostra, reservata, super hoc, questione proprietatis, tam nobis quam hominibus antedictis.

PHILIPPE IV, 1312.

Lune post quindenam Candelose.

Sanctus-Benedictus reportavit.

XXXVII. Cum lis mota fuisset, in parlamento nostro, inter abbatem et conventum Sancti-Dyonisii in Francia, ex una parte, et carissimum patruum, comitem Claromontensem, fidelem nostrum, ex altera, super saisina alte et basse justicie granchie de Eurese et logiarum ac territorii predictorum locorum, super eo videlicet quod procurator dictorum religiosorum proponebat quod, cum ipsi habeant saisinam alte et basse justicie in granchia de Ereuse et logiarum ac territorii predictorum locorum, et usi sint et fuerint de alta et bassa justicia predicta, a tanto tempore quod sufficere debet ad bonam saisinam acquirendam, et tociens quociens casus se obtulerunt, et ad eorum noticiam seu gencium eorumdem devenerunt, et, quia ad no-

PHILIPPE IV, 1312.

ticiam justicie secularis dictorum religiosorum devenerat quod firmarius de dictorum locorum granchia, ac logiis predictis suspectus erat de quodam homicidio, gentes dictorum religiosorum, occasione predicta, quedam bona in dictis logiis et granchia de Ereuse existencia, per modum justicie, ceperunt, et in dictis bonis saisinam posuerunt; nichilominus ballivus Silvanectensis, ad requestam gencium dicti comitis, que se saisinis et explecto dicte justicie opponebant, in manu nostra, tanquam superioris, propter debatum parcium, saisinam et explectum, per dictos religiosos in dictis locis factos, posuit in eorum prejudicium et gravamen, ut dicebat procurator predictus, quare petebat dictus procurator manum nostram de predictis amoveri et predictorum saisinam sibi deliberari, quodque dicti religiosi teneantur et conserventur in saisina justiciandi in dictis locis ac territorio eorumdem, et quod impedimentum, per gentes dicti comitis, de novo sibi appositum in predictis, amoveatur; parte dicti comitis plures raciones proponente ex adverso, et maxime quod dictus comes erat in saisina predictorum, ut ipse dicebat : Auditis igitur super hoc dictis partibus et earum racionibus plenius intellectis, factaque, de mandato nostro, super premissis, inquesta, et ad curiam nostram, ad judicandum, reportata, visa et diligenter examinata, quia, per eam, repertum est procuratorem dictorum religiosorum, plenius et per plura expleta, intencionem suam probasse quam procuratorem dicti comitis, per curie nostre judicium, dictum fuit manum nostram de predictis bonis amoveri debere, et ea debere tradi et deliberari religiosis predictis, et eosdem religiosos in saisina alte et basse justicie dictorum locorum et pertinenciarum eorumdem remanere debere, non obstante impedimento predicto, salvo dicto comiti jure proprietatis in predictis.

Lune post quindenam Candelose.

R. de Campis reportavit.

XXXVIII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Bretevilla et Richardum le Ouvrier, creditores, ex una parte, et

Nicholaum le Vasseur, debitorem, ex altera, super eo quod dicti creditores petebant, contra dictum Nicholaum, quod quoddam gagiamentum, sigillo prepositure Parisiensis sigillatum, in quo continebatur quod predictus Nicholaus, ex certa causa, erat eisdem creditoribus obligatus in centum et duabus libris Turonensibus, mandaretur execucioni contra dictum Nicholaum et in bonis ejusdem, maxime cum, post confectionem dicti gagiamenti, dictus Nicholaus, pro quantitate debiti in dicto gagiamento contenti, de omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, dictis creditoribus, in judicio, cessionem fecisset, ut dicebat[1], dicto Nicholao plures raciones e contrario proponente, ad finem quod dictum gagiamentum execucioni, contra ipsum non mandaretur, et quod ipse, a peticione predicta dictorum creditorum, absolveretur, cum pecuniam in dicto gagiamento contentam dictis creditoribus ad plenum solvisset, ut dicebat, et amplius, usque ad summam quadraginta novem librarum et quindecim solidorum Parisiensium, quam summam excedentem et indebite solutam, idem Nicholaus petebat sibi reddi, et dictum gagiamentum penitus anullari, dictis creditoribus, ex alia parte, plures raciones replicantibus, ad finem quod dictum gagiamentum execucioni mandaretur; auditis super hoc dictis partibus et jus sibi fieri super hoc cum instancia requirentibus, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum gagiamentum contra predictum Nicholaum execucioni demandari debere, non obstantibus racionibus ex parte dicti Nicholay propositis, eo modo quo proponebantur, reservatis dicto Nicholao jure suo et actione sua, si que habeat contra dictum Johannem, quociens, contra dictum Johannem, super eis voluerit experiri; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Nicholaus ad nostram curiam appellavit : Constitutis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et auditis earum racionibus hinc et inde, visoque dicte principalis cause processu, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Nicholaum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

PHILIPPE IV, 1312.

[1] Lisez *dicebant*.

PHILIPPE IV, 1312.

Lune predicta.

R. de Campis reportavit.

XXXIX. Cum Odardus les Champs et Nicholaa, ejus uxor, coram priore de Essona, quamdam peticionem fecissent, contra Guillelmum de Bello-Monte et ejus uxorem, super certis possessionibus quas dicti Odardus et Nicholaa ad se pertinere dicebant, ex successione defuncti Guillermini, fratris quondam dicte Nicholae, dictis Guillelmo de Bello-Monte et ejus uxore proponentibus, multis racionibus, ex adverso, se dicte peticioni minime respondere debere, dictus prior, auditis racionibus propositis hinc et inde, interloquendo, per suum judicium, pronunciavit dictos Guillelmum et ejus uxorem peticioni predicte debere respondere, suis tamen peremptoriis reservatis eisdem; a quo judicato, quantum ad reservacionem dictarum peremptoriarum, tanquam falso et pravo, dicti Odardus et ejus uxor ad prepositum de Corbolio appellarunt, et idem prepositus, auditis super hoc dictis partibus et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit dictum priorem male judicasse et dictos Odardum et ejus uxorem bene appellasse; a cujus prepositi judicato predicto, tanquam falso et pravo, dicti Guillelmus et ejus uxor ad Parisiensem prepositum appellarunt, et idem Parisiensis prepositus in causa dicte appellacionis procedens, dictis partibus auditis, et viso dicte cause processu, per suum judicium, pronunciavit dictum prepositum de Corbolio male judicasse et dictos Guillelmum et ejus uxorem bene appellasse; a quo judicato prepositi Parisiensis, tanquam falso et pravo, dicti Odardus et ejus uxor ad nos appellarunt : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos prepositum Parisiensem et priorem de Essona bene judicasse, dictosque Odardum et ejus uxorem male appellasse et quod ipsi hoc emendabunt.

Lune post quindenam Candelose.

Uscus reportavit.

XL. Cum Potencia, domina de Briana, pro eo quod ipsa Reginaldum et Raoulinum, ipsius domine liberos, a regno nostro bannitos, propter suspicionem homicidii duorum civium Remensium, dudum Remis perpetrati et eisdem impositi, post bannimentum predictum receptaverat, ut dicebatur, et eisdem, pro ipsorum evasione, opem, consilium et auxilium prebuerat et expensas ministraverat, in Castelleto nostro Parisiensi, de mandato nostro, carceri mancipata teneretur, et super hoc inquiri fecerimus veritatem, quia, per inquestam, super hoc, de mandato nostro, factam, nichil inventum fuerit de predictis contra ipsam propositis sufficienter probatum, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta domina a carcere deliberabitur predicto. PHILIPPE IV, 1312.

Lune ante Cathedram sancti Petri.

Non habui inquestam.

XLI. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Philippotum Vassal, ex una parte, et Johannem Tabeu, ex altera, super eo quod idem Philippotus dicebat quod dictus Johannes et ejus consortes, post et contra defensionem, ex parte nostra per Gormondum le Golu, Castelleti Parisiensis servientem, eidem Johanni factam eundem Philippotum injuriose percusserant et verberaverant, ac plures injurias intulerant eidem, propter quas injurias idem Philippotus petebat sibi predictum Johannem, in certa pecunie summa, per dictum prepositum, condempnari; dictus prepositus auditis, super hoc, dictis partibus, cognitoque de causa predicta, dictum Johannem in viginti libris Parisiensibus Philippoto predicto, pro dictis injuriis, per suum judicium, condempnavit, et pronunciavit quod idem Johannes factum hujusmodi emendet domino Regi, pro eo quod ipse hoc fecit contra defensam predictam; a quo judicato, tanquam falso et pravo, idem Johannes ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et eundem Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et remisit dicta curia nostra predictum

PHILIPPE IV, 1312. Johannem ad dictum prepositum, pro emenda taxanda, pro domino Rege contra eundem Johannem, pro dicta defensa per eum violata.

Martis post Sanctum-Gregorium.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XLII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Cruce, Hugolinum la Magdelinier, Johannem de Conchiis, eorum uxores, scilicet Egidiam, Johannam et Margaretam, filias et heredes, in solidum, Beatricis, quondam uxoris Johannis de Espernone, patris dictarum filiarum, agentes ex una parte, et Robertum de Monte-Desiderio, defendentem, ex altera, super eo quod dicte filie petebant, cum auctoritate maritorum suorum predictorum, sibi recredenciam fieri, nomine quo supra, de quadam domo contenciosa inter partes predictas, que quondam fuerat patris et matris earumdem, sita in vico novo Sancti-Mederici, Parisius, ad manum nostram posita, propter debatum parcium predictarum, dicto Roberto de Monte-Desiderio ex adverso proponente et dicente sibi et non aliis dicte domus recredenciam fieri debere; tandem, auditis hinc inde partibus antedictis, et cognito de causa predicta, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod dicta recredencia fieret agentibus predictis; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Robertus de Monte-Desiderio ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum bene judicasse et dictum Robertum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, salvo, in dicta domo contenciosa, dictis partibus, jure suo, in aliis quibuscunque.

Martis predicta.

Sanctus-Benedictus reportavit.

XLIII. Lite mota, coram ballivo episcopi Parisiensis, inter Guillelmum de Calays, ex parte una, et Johannem le Cirier, dictum de Pontisara, ex altera, super eo quod dictus Guillelmus dicebat quod,

tam ipse quam illi a quibus ipse causam habet, fuerant et adhuc ipse est in saisina pacifica cujusdam domus et pertinenciarum ejusdem, site, Parisius, in vico Sancti-Germani, prope scolas Sancti-Germani Autissiodorensis, de qua facta est ostencio inter partes predictas, et faciendi de ea libere, tanquam de sua, omnimodam voluntatem suam; absque eo quod dictus Johannes, super dicta domo et ejus pertinenciis, unquam habuisset vel percepisset onus aliquid, redditus seu census, et quod dictus Johannes, impediendo et perturbando ipsum Guillelmum in sua saisina predicta, indebite et de novo gagiando in dicta domo, unam pelvim et unam patellam acceperat et secum portaverat, ipso Guillelmo ignorante, quare petebat impedimentum et perturbacionem predictas amoveri, et dictam domum de dictis gagiis resaisiri, et se in sua saisina predicta, custodiri, dicto Johanne ex adverso dicente quod ipse erat et fuerat in bona saisina habendi et percipiendi, super dicta domo et ejus pertinenciis, sex libras Parisienses annui redditus seu census solvendas, anno quolibet, ad quatuor terminos, Parisius, consuetos, et gagiandi in ipsa pacifice, quociens sibi debentur aliqua arreragia dicti redditus seu census; ad quam eciam saisinam confortandam, certum titulum et plures raciones alias proponebat, et quia de dicto redditu seu censu aliqua arreragia eidem debebantur, ut dicebat, continuando saisinam suam predictam, dicta gagia acceperat, propter que petebat se, ab impeticione predicta dicti Guillelmi, absolvi et se in saisina predicta custodiri, et dicta gagia, de quibus dictus ballivus eidem Guillelmo recredenciam fecerat, sibi reddi, racionibus antedictis; dictus vero ballivus, auditis et visis hinc inde propositis et probatis, dictum Johannem ab impeticione predicta dicti Guillelmi, per suum judicatum, absolvit, et, per idem judicatum, pronunciavit, dictum Johannem, ex bona causa, in dicta domo gagiasse, et ipsum custodiri debere in saisina gagiandi in dicta domo, ex causa predicta, salva eidem Guillelmo, super hoc, proprietatis questione; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Guillelmus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis pre-

PHILIPPE IV. 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

dicte, et visis processibus supradictis, per judicium nostre curie, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Guillelmum male appellasse et quod ipse hoc emendabit.

Martis post Sanctum-Gregorium.

M. Riambaudus reportavit.

XLIV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Petrum, curatum de Dammart, ex una parte, et Guillelmum de Bosco, armigerum, ex altera, super eo quod dictus curatus proponebat quod, ipso existente in garda nostra, idem Guillelmus eundem curatum, venientem de mercato Latigniaci, fuit prosecutus, et invasit, in chemino publico, preparatis insidiis, et eundem vulneravit in capite et brachio sinistro, de quo brachio fuit extractum, per medicum, unum os grossum, propter que vulnera, amisit dictus presbiter, ut dicebat, officium celebrandi, et multas alias graves injurias eidem curato intulerat, ut dicebat idem curatus, quare petebat dictum Guillelmum sibi et nobis condempnari, propter hoc, et puniri secundum quod curie nostre videretur faciendum; dicto Guillelmo plures raciones, ad sui defensionem, e contrario proponente, per quas dicebat se a peticione predicta dicti presbiteri debere absolvi : Facta igitur, vocatis partibus, super predictis inquesta, et ad judicandum ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, cum per eam repertum sit, tam per confessionem dicti Guillelmi, quam per deposiciones testium in ea productorum, dictum curatum suam intencionem, super predictis, sufficienter probasse, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus Guillelmus eidem curato, tam pro dampnis que ipse sustinuit in curacione sua de lesione predicta, quam pro providendo sibi de redditu annuo, pro uno capellano qui, pro eo, deserviet quamdiu vixerit in ecclesia predicta, vel alias, prout sibi videbitur, curando de expensis dicti capellani, solvet eidem centum et quadraginta libras Turonenses et nobis sexaginta libras Parisienses, pro emenda nostra.

Martis predicta

Housseya reportavit. PHILIPPE IV, 1312.

XLV. Cum mota fuisset controversia, inter Margaritam, relictam nuper defuncti comitis Attrebatensis, ex una parte, et Mathildim, nunc comitissam Attrebatensem, ex altera, super eo quod dicta Margarita dicebat quod castrum de Beuri, antequam dictum castrum veniret ad manum dicti comitis Attrebatensis, tenebatur de castro de Lens et erat de castellania ejusdem castri et infra terminos dicte castellanie de Lens et de ejus ressorto, et quod, postquam dictus comes acquisivit dictum castrum de Beuri, idem comes dictum castrum de Beuri tenuit tanquam de castellania de Lens et ejus ressorto, et quod adhuc est dictum castrum de Beuri de castellania et ressorto de Lens, dicta Mathildi contrarium proponente et asserente quod dictum castrum de Beuri est et fuit castrum per se et castellania separata et distincta a castellania de Lens, quare mandatum fuit, per nostram curiam, super premissis inquiri, vocatis partibus, veritatem : Facta igitur super premissis inquesta et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit dictum castrum de Beuri esse de castellania de Lens et de pertinenciis ejusdem.

Martis post Sanctum-Gregorium.

R. de Brienzçon reportavit.

XLVI. Cum Guillelmus Vasconis, vecturarius, peticionem suam fecisset, coram preposito Parisiensi, contra Jacobum Girardi, socium, ut dicitur, de societate des Perruches, racione cujusdam fidejussionis in qua dicebat idem Guillelmus dictum [Jacobum], pro se et societate sua predicta, se, sub certa forma, obligasse, erga Guillelmum predictum, pro quibusdam dampnis que ipse incurrerat, racione quarumdam convencionum habitarum inter ipsum Guillelmum et Quante Bonfantin, lumbardum, de portando ad certum locum quandam quantitatem pannorum, super quibus dampnis, certum fuerat factum judicatum per dictum prepositum; a quo judicato dictus

PHILIPPE IV, 1312.

Quante ad dominum Regem appellaverat, et confirmatum fuerat judicatum predictum, et in causa hujusmodi super dicta peticione inchoata, cui peticioni, prout continebatur in quadam scriptura, secundo per dictum Guillelmum tradita, dictus Jacobus proponebat se non teneri respondere, prepositus predictus judicatum suum, sub certa forma, tulisset, pro dicto Guillelmo, contra predictum Jacobum, idem Jacobus, seu procurator ipsius, a judicato predicto, tanquam falso et pravo, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et viso processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Jacobum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et remisit curia nostra dictas partes super eorum causa principali predicta ad dictum prepositum Parisiensem.

Martis predicta.

M. Rambaudus reportavit.

Remissus fuit processus preposito Parisiensi.

XLVII. Cum, in appellacionis causa, in curia nostra pendente, inter Engerranum de Mouchet, ex una parte, et homines, judicantes in assisia Ambianensi, et dominum de Fousseux, ex altera, super quodam judicato facto per dictos homines, pro dicto domino, contra Engerranum predictum, certisque diebus, dictis partibus, in nostra curia assignatis ad procedendum in dicta appellacionis causa, dictus Engerranus minime comparuisset; propter quod quidam defectus concessi fuissent contra eundem et super utilitate dictorum defectuum readjornatus fuisset; auditis super hoc dictis partibus, cum dictus Engerranus assereret quod, diebus sibi assignatis, in dicta causa appellacionis, ipse detentus erat in prisione comitisse Attrebatensis, pecieratque sufficienter sui recredenciam super hoc sub obligacione sui et bonorum ipsius, nec eam habere commode potuerat, et tamen essoniari se fecerat competenter ad dies super hoc sibi assignatos; propterque dicebat dictos defectus sibi non debere

nocere, parte adversa dicente, quod per ipsum steterat quominus recredenciam sui habuisset : Tandem auditis, super hoc, hinc inde propositis, et inquisita super hiis veritate, visisque processibus et inquesta predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Engerranum debere admitti ad prosecucionem appellacionis sue predicte, non obstantibus defectibus antedictis. PHILIPPE IV. 1312.

Martis predicta.

M. G. de Monte-Lucio reportavit.

XLVIII. Cum, inter Beatricem, relictam Radulphi de Solence, suo et Symonis, filii sui, in ejus baillo existentis, nomine, ex una parte, et Reginaldum Grosse-Poire, ex altera, lis mota fuisset in curia domini de Nigella super saisina terre dicte Au-Pont et cujusdam feodi inter dictas partes contenciosi, et cognito, de dicta causa, ballivus et homines dicte curie judicatum suum tulissent pro dicto Reginaldo contra relictam predictam, eadem relicta a judicato predicto, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellavit; constitutis igitur in curia nostra dictis partibus, in causa appellacionis predicte, relicta predicta proposuit se sufficienter a dicto judicato appellasse, et inquestam, in causa hujusmodi de mandato curie nostre factam, judicari debere; parte adversa, e contrario, pluribus racionibus, proponente dictam appellacionem non valere, et dictam inquestam non debere judicari, sed commissionem in ea renovari debere, pro eo maxime quia plures testes, sibi in causa hujusmodi necessarios, adjornari fecerat qui examinati non fuerant, ut dicebat : Auditis igitur hinc inde propositis, et viso processu predicto, cum per eum repertum sit, dictam relictam sufficienter appellasse, et dictam partem adversam competentes dilaciones habuisse ad suos testes producendos, ac per eandem partem stetisse quominus tempore debito fuerint producti, per curie nostre judicium, dictum fuit quod inquesta predicta judicabitur, non obstantibus racionibus propositis ex adverso.

Martis post Sanctum-Gregorium.

Philippe IV, 1312.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Postea fuit judicata inquesta sicut continetur inferius.

XLIX. Cum inquesta quedam, facta contra P. de Malo-Monte, militem, per quosdam qui se dicebant commissarios ballivi Arvernie, super congregacione plurium armatorum et calvacata, cum armis, contra dominum de Bello-Forti et in ipsius terra, ac super pluribus aliis excessibus ibidem, necnon in terra prioris Sancti-Gregorii-de-Montibus, in villa de Bosches, per dictum militem, ut dicebatur, factis, ad nostram curiam ad judicandum fuerit asportata, et ea diligenter visa, cum per eam non constet de commissione que dicitur dictis commissariis facta, nec de procuratorio quorumdam de quibus, ut procuratoribus dicti militis, fiebat mencio in dicta inquesta, quod coram dictis commissariis in hujusmodi comparuerant, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta inquesta non valet nec judicabitur, sed de novo inquiretur veritas contra dictum militem de predictis, vocatis qui fuerunt evocandi.

Martis predicta.

Mangon reportavit.

L. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Guermondum de Sancto-Quintino, aurifabrum, ex parte una, et Odardum Burserii, ex altera, super eo quod idem Guermondus, duas litteras Castelleti Parisiensis annexas unam per alteram, in quarum altera continebatur, dictum Odardum in certis lignorum mollis, et in alia Odardum eundem et magistrum Johannem, dicti Odardi fratrem, in certa peccunie summa, in dictis litteris, contenta, dicto Guermondo, certis terminis reddendis, esse obligatos et eas execucioni demandari petebat, usque ad summam centum et duodecim librarum Parisiensium contra Odardum predictum, pro omnibus peticionibus predictis, dicto Odardo ex adverso dicente se, pro omnibus dictis peticionibus, satisfecisse ad plenum, de dicta peccunie summa, Guermondo predicto, et petente se a dicti Guermondi peticione absolvi ab om-

nibus peticionibus predictis, manumque nostram, occasione predicta, in bonis suis appositam, amoveri, et dictas litteras sibi reddi; dictus prepositus, auditis super hoc dictis partibus, receptisque probacionibus earum, exhibitisque ex parte Guermondi predicti litteris antedictis, et in modum probacionis productis, dictum Odardum a peticionibus predictis dicti Guermondi absolvit, et manum nostram, in bonis predictis dicti Odardi, propter hoc appositam, amovit; pronunciavitque litteras Castelleti predictas eidem Odardo reddi debere; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Guermondus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, et viso diligenter dicte cause principalis processu, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictum Guermondum male appellasse, dictam vero emendam, racione dicte male appellacionis, debitam, curia nostra eidem Guermondo ex causa remisit. PHILIPPE IV. 1312.

Martis post Sanctum-Gregorium.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LI. Cum discordia verteretur, coram ballivo de Vitriaco, in assisia de Esperneyo, anno trecentesimo decimo, inter Domanginum Claudum, de Cathalano, et Leudetam, ejus uxorem, ex una parte, et Jançonem Lenotre, de Cathalano, ex altera, super eo quod dicti Domanginus et ejus uxor proponebant quod Tassinus de Ret, serviens comitis Campanie, triginta sexteria frumenti, per dictos conjuges, posita in quadam grangia, que quondam fuit Gervasii de Mercato, ceperat, ad requestam dicti Jançonis, sine cause cognicione et injuste, de quo frumento dicti conjuges, ut dicebant, tempore capcionis predicte, erant in saisina; quare petebant ipsi conjuges se restitui de blado predicto; dicto Jançone e contrario proponente, quod dictum frumentum penes eundem remanere debebat, cum dictum frumentum crevisset in terra de qua ipse erat in saisina, tempore capcionis predicte, et cujus terre saisina sibi adjudicata fuerat per Guillelmum de Chaudeneyo, militem, ballivum tunc de Vitriaco;

Philippe IV, 1312.

dictis conjugibus ex adverso dicentibus quod, post dictum judicatum, dicta terra, in qua dictum frumentum creverat, fuerat eidem Domangino adjudicata, per dominum a quo dicta terra movebat, propter contumacias dicti Jançonis, et quod de eadem fuerat in saisina per unum annum, per duos et per tres annos, colendo dictam terram et colligendo fructus ejusdem, et eciam eo tempore quo dictus Tassinus apposuit manum dicti comitis in predictis; tandem auditis super hoc racionibus parcium predictarum, dictus ballivus de Vitriaco, super hoc, fecit veritatem inquiri, et, visa inquesta super hoc facta, pronunciavit dictos conjuges suam intencionem bene probasse et dictum Jançonem nichil penitus probavisse; quare dictarum terrarum, in quibus dictum frumentum creverat, una cum frumento predicto, dictis conjugibus adjudicavit saisinam, salva questione proprietatis dicto Jançoni in predictis; a quo judicato tanquam falso et pravo, dictus Janço, ad dies Trecenses appellavit, et in causa dicte appellacionis, auditis dictis partibus, magistri dictorum dierum Trecensium, per suum judicium, pronunciaverunt dictum ballivum bene judicasse et dictum Jançonem male appellasse, a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Janço iterato ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, visisque, per curiam nostram, processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos magistros bene judicasse et dictum Jançonem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Veneris post Annunciacionem dominicam.

Sanctus-Benedictus reportavit.

LII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Galterum de Domno-Martino, ex una parte, et Albertum Seculin, ex altera, super eo quod dictus Galterus proponebat quod dictus Albertus eidem Galtero vendiderat mille ducentas decem et novem libras cere, pro precio centum et triginta septem librarum et decem solidorum Parisiensium, et eam pondaverat et ponderari fecerat in domo societatis

Caponum, ac eam tradiderat et deliberaverat eidem Galtero et garantizare eidem dictam ceram promiserat et eum indempnem super hoc observare erga omnes; de qua peccunie summa, dictus Galterus eidem Alberto vel ejus mandato satisfecerat, ut dicebat, et postea Guido Duchons, socius de societate Caponum, nomine societatis predicte, fecit dictum Galterum citari coram preposito Parisiensi, et peciit predictam peccunie summam, pro cera predicta, nomine quo supra, ab eo sibi reddi, precipue cum, per dictum prepositum, procuratori dicte societatis Caponum, pro defectu garandie dicti Alberti, in predicta peccunie summa, dictus Galterus, ut dicebat, fuisset condempnatus; quare petebat idem Galterus dictum Albertum sibi, ad reddendum predictam peccunie summam, una cum quadraginta libris, pro dampnis et expensis, in lite hujusmodi factis, condempnari; dicto Alberto, plures raciones ad sui defensionem, e contrario proponente, per quas dicebat se, a peticione predicta dicti Galteri, debere absolvi; qui prepositus, auditis partibus predictis, per suum judicium, dictum Albertum, ipsi Galtero, in centum libris Parisiensibus, racione predicta, condempnavit, et, in residuo dicte summe petite, eundem Albertum absolvit; a quo judicato, in quantum contra dictum Albertum faciebat, tanquam falso et pravo, idem Albertus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus super hoc factis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Albertum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Philippe IV, 1312.

Veneris predicta.

Housseya reportavit.

LIII. Cum mota fuisset controversia inter Bernardum Jordani, dominum Sancti-Sulpicii, ex una parte, et procuratorem nostrum senescallie Tholosane, consules et habitatores dicte ville Sancti-Sulpicii, ex altera, super eo quod dictus Bernardus dicebat quod, ab ipso et ejus justicia, ad nos tantummodo, et non ad alium inferiorem

Philippe IV, 1312.

debebat appellari, per composicionem super hoc factam nobiscum, et per usagium super hoc observatum, procuratore nostro senescallie Tholosane, consulibus et habitatoribus dicte ville Sancti-Sulpicii usagium contrarium allegantibus, videlicet quod ipsi appellare consueverunt ad audienciam dicti Bernardi et ejus justiciam dicti loci, ad judicem Ville-Longe seu ad senescallum Tholosanum vel ad curiam appellacionum senescalli Tholosani, et quod ipsi sunt in bona saisina appellandi, coram judicibus supradictis seu altero eorumdem, juxta ipsorum appellancium electionem; et auditis hinc inde propositis, per arrestum nostre curie, dictum fuisset quod, vocatis dictis partibus, super dicto usagio hinc inde proposito, veritas inquireretur, postea mandatum fuit senescallo Tholosano quod ipse, vocatis dictis partibus, super dicto usagio, secundum parcium ipsarum articulos, veritatem inquireret, et inquestam, super hoc factam, sub suo sigillo inclusam, curie nostre, cum partibus, remitteret judicandam: Facta igitur inquesta super dicto usagio, et nostre curie reportata, visa et diligenter examinata, auditisque racionibus parcium predictarum, quia repertum est, per dictam inquestam, predictos procuratorem nostrum, consules et habitatores ville Sancti-Sulpicii suam intencionem, super dicto usagio, bene probasse, et dictum Bernardum suam intencionem minime probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos procuratorem, consules et habitatores in suo usagio predicto remanere debere.

Veneris post Annunciacionem dominicam.

M. R. de Briençon reportavit.

LIV. Cum, in appellacionis causa, que vertebatur, in curia nostra, inter Jacobum Boucelli, civem Parisiensem, ex una parte, et relictam Laurencii Qui-Dannoie et ejus consortes, ex altera, per curie nostre judicium, dictum fuit dictum Jacobum bene appellasse, et quod cause principalis dictarum parcium cognicio, in statu in quo erat, coram majore Sancti-Mederici, quando fuit ab eo appellatum, ad curiam secularem decani et capituli Parisiensium, in curia nostra

remanebit, et inventum fuerit, per arramenta dicte curie, quod dictum negocium erat incompletum, quare mandavimus et commisimus magistro Hugoni Cuillier, clerico nostro, nunc defuncto, et Symoni Pagani, civi Parisiensi, quod ipsi, dicte cause principalis cognicionem, in statu predicto, reciperent et complerent, et quod dictum negocium sic completum, sub suis inclusum sigillis, ad curiam nostram mitterent judicandum; et quia, visis dictis processibus, tam factis coram dicto majore Sancti-Mederici, quam coram commissariis predictis, de quibus consenserunt dicte partes quod, judicarentur in statu in quo erant, inventum fuit dictum Jacobum intencionem suam minime probasse, in centum quinquaginta quatuor libris, quas ipse, a Laurencio predicto, dum vivebat, et Johanna, uxore sua, nunc relicta dicti Laurencii, in dicta causa petebat, pro arreragiis cujusdam census, dicto Jacobo, ut ipse dicebat, debiti, et non soluti, pro quo censu, dicebat dictus Jacobus, domum quandam, sitam Parisius, in vico ante porticum Sancti Jacobi-de-Carnificeria, et in qua dictus Laurencius et ejus uxor morabantur, sibi esse obligatam, per curie nostre judicium, dicta Johanna, relicta dicti Laurencii, et ejus consortes, in causa hujusmodi, ab impeticione predicta, dicti Jacobi, fuerunt absoluti. PHILIPPE IV. 1312.

Veneris predicta.

H. de Sancto-Paulo reportavit.

LV. Cum, super peticione cujusdam summe peccunie, quam, in nostra curia, faciebat Johannes Forget, racione utilitatis quorumdam defectuum, ab eo, contra Aymericum Senglier, in eadem nostra curia, obtentorum, pro dampnis que ipse dicebat se sustinuisse, racione sui bosci vocati De-La-Saisine, sibi impediti per Aymericum predictum, et, ad ipsius Aymerici instanciam, in manu nostra, tanquam superioris, positi, quod impedimentum fuerat amotum, per dicte curie nostre judicium, fuerit inquesta, de mandato ipsius nostre curie, facta, ac eidem curie reportata: Visa inquesta predicta, per quam fuit inventum Johannem eundem fuisse et esse dampnifi-

PHILIPPE IV, 1312.

catum in quingentis libris Turonensibus per Aymericum predictum, occasione predicti impedimenti, per ejusdem curie nostre judicium, idem Aymericus, Johanni predicto, fuit, in dictis quingentis libris Turonensibus, condempnatus, pro dampnis et impedimento predictis.

Veneris predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LVI. Lite mota, in curia domini de Nigella, coram ballivo et hominibus curie antedicte, inter domicellam Beatricem, relictam Radulphi de Solence, scutiferi, suo et Symonis, filii sui, in ejus baillo existentis, nomine, ex una parte, et Raginaldum dictum Grosse-Poire, ex altera, super eo quod eadem relicta requirebat se defendi, per dictam curiam, in saisina feodi et terre dicte Au-Pont ad eandem, tam racione sui dotalicii, quam racione filii sui predicti, heredis dicti defuncti, secundum patrie consuetudinem, pertinencium, ut dicebat; cum idem Radulphus dictos terram et feodum possedisset et habuisset, tempore contracti matrimonii inter ipsos, et eo tempore quo ipse decessit, quodque dicta curia compelleret Raginaldum eundem ad cessandum ab impedimento et molestacione appositis, super hiis, per eundem, seu que apponere nitebatur, contra consuetudinem antedictam; dicto Raginaldo ex adverso dicente se, ante contractum dicti matrimonii, emisse dictos terram et feodum a Radulpho predicto, retento eidem Radulpho solummodo usufructu in rebus predictis, seque fuisse et esse in saisina et fide et homagio terre et feodi predictorum; auditis igitur hinc inde propositis, dicti ballivus et homines, per suum judicium, pronunciaverunt ipsum Raginaldum suam intencionem bene probasse, eidem adjudicando saisinam terre et feodi predictorum; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dicta relicta ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in causa dicte appellacionis, relicta predicta, suo et dicti filii sui nomine, et dictis hominibus ex adverso, visaque inquesta, super hoc, de mandato curie nostre, facta, dictaque curia nostra, super quibusdam consuetudi-

nibus propositis a dictis partibus, plenius informata, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit dictos ballivum et homines male judicasse et eandem relictam bene appellasse; et quod dicti ballivus et homines hoc emendabunt; et posuit curia nostra ad manum domini Regis dictorum ballivi et hominum potestatem cognoscendi et judicandi, quousque dicta emenda, per dominum Regem vel ejus curiam, fuerit taxata, et quod impedimentum per dictum Raginaldum in predictis appositum amovebitur, et defendetur dicta relicta, nomine quo supra, in saisina predicta. PHILIPPE IV. 1312.

Veneris post Annunciacionem dominicam.

Yvo Prepositi reportavit.

LVII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannam de Lusarchiis, dominam de Ateinvilla, nomine suo et Agnetis, filie sue existentis in garda sua, et Johannem de Londres, ejus generum, nomine suo et Ysabellis, ejus uxoris, ex una parte, et Johannem de Tarenne, militem, ex altera, super eo quod dictus miles amoveri petebat manum domini Regis appositam, per dictum prepositum, ad instanciam dictorum domine et Johannis, nominibus quibus supra, in justicia et dominio terre de Ateinvilla, in quorum saisina dicebat dictus miles se esse et diu fuisse, et maxime eo tempore quo dicta manus fuit ibidem apposita; parte adversa contrarium asserente, et dicente se esse in saisina tocius justicie et dominii dicte terre; dictus prepositus, cognito de causa predicta, per suum judicium, pronunciavit, dictos dominam et Johannem, nominibus quibus supra, in saisina justicie et dominii dicte terre, pro media parte tantum, et dictum militem, pro alia dimidia parte, debere teneri et custodiri, salva questione proprietatis, super hoc, inter partes predictas, a quo judicato, tanquam falso et pravo, utraque pars, in quantum contra se faciebat, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, et visis processibus predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit, in eo quod dictus prepositus adjudicavit, dicto militi, saisinam predictam, pro me-

PHILIPPE IV, 1312.

dietate, cum non appareat, per processus predictos, dictum militem esse vel fuisse in saisina predicta, nisi pro quarta parte, tantummodo, eundem prepositum male judicasse, et dictos dominam et Johannem, quantum ad hoc, bene appellasse, dictum vero militem in hujusmodi male appellasse, et quod ipse hoc emendabit; dictum fuit eciam, dictos dominam et Johannem, nominibus quibus supra, saisina predicta, quantum ad tres partes justicie et dominii dicte terre, debere gaudere, predictumque militem teneri et custodiri debere in saisina quarte partis tantummodo justicie et dominii dicte terre; in ceteris autem, curia nostra confirmavit judicatum predictum, salva, in predictis omnibus, dictis partibus, questione proprietatis.

Veneris predicta.

M. G. de Monte-Lucio reportavit.

LVIII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter abbatissam et conventum Montis-Martyrum, ex una parte, et Rogerum de Clichy, fructuarium nostrum, ex altera, super eo quod dicte religiose dicebant quod idem Rogerus, ad grangiam quandam ipsarum religiosarum, et in ipsarum omnimoda alta et bassa justicia existentem, accesserat, et raspam seu marc earum ibi acceperat, auctoritate propria, contra voluntatem earum, et inde ad suum pressorium portari fecerat; item, quod, per hoc, in sua saisina turbabat seu impediebat easdem, multasque violencias et injurias alias in personis earum intulerat eisdem, quare petebant dictum Rogerum condempnari et compelli ad resaisiendum locum predictum de rappa seu marc predicta, et ad cessandum a turbacione et impedimento predictis et ad solvendum eisdem tria millia marcharum argenti, pro violenciis et injuriis supradictis; dicto Rogero ex adverso dicente se licite, et utendo jure suo, dictam raspam seu marc in dicta grangia accepisse, et ad suum pressorium portari fecisse, pro eo quod certe vinee dictarum religiosarum, quarum vindemia erat in dicta grangia, sunt bannerie ad pressorium dicti Rogeri, et quod idem Rogerus et illi a

quibus, in dicto pressorio, causam habet, sunt et fuerunt semper in saisina quod rappa seu marc dictarum vinearum debet apportari et premi in pressorio predicto, et quod idem Rogerus et sui predecessores debent habere medietatem vini raspe seu marc predicti, in dicto pressorio pressorati, in qua saisina dicte religiose turbabant seu impediebant eundem, ut dicebat; quare petebat condempnari et compelli easdem ad cessandum a turbacione et impedimento predictis; et se nichilominus, ab impeticione earum, super violenciis et injuriis predictis per eas propositis, absolvi; tandem auditis dictarum parcium racionibus, productisque testibus hinc et inde, predictus Parisiensis prepositus, per suum judicium, dictum Rogerum ab impeticione earum, super dictis violenciis et injuriis, absolvit, et pronunciavit ulterius quod dictus Rogerus custodietur seu manutenebitur in saisina sua predicta, adiciens quod impedimentum quod religiose predicte dicto Rogero apposuerunt, quominus raspa seu marc dictarum vinearum ad suum pressorium apportetur, amovebitur, a quo judicato tanquam falso et pravo, dicte religiose ad nos appellaverunt : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque dicte cause principalis processu, liquidoque comperto, per eum, predictum Rogerum ad dictam grangiam, in alta et bassa justicia et dominio dictarum religiosarum existentem, accessisse et raspam seu marc ipsarum, de dicta grangia, contra voluntatem earum, auctoritate propria, ut premittitur, extraxisse, et ad suum pressorium portari fecisse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictas religiosas bene appellasse, et quod idem Rogerus de raspa seu marc predicto locum predictum resaisiet, salva dicto Rogero questione proprietatis, super banneria pressorii sui predicti, quantum ad religiosas predictas; quantum vero ad injurias et violencias per dictas religiosas petitas, curia nostra predictum Rogerum absolvit.

Veneris post Annunciacionem dominicam.

G. de Usco reportavit.

PHILIPPE IV. 1312.

LIX. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, seu ejus locum

Philippe IV, 1312.

tenenti, inter procuratorem nostrum Petragoricensem, pro nobis, ex parte una, et Petrum de Clusello, tam nomine suo quam nomine procuratorio Raymundi de Burdellis, Stephani Vigo, Aymerici de Ponte-Rubeo et ceterorum consortum suorum, ex parte altera, denunciatos per dictum procuratorem nostrum super quibusdam excessibus, injuriis, violenciis, rebellionibus et inobedienciis per eosdem, ut dicebatur, illatis, contra servientes et rectores nostros consulatus Petragoricensis ad manum nostram tunc existentis; item, super eo quod dictus procurator noster dicebat eos fecisse harelam, conjuracionem et conspiracionem ac monopolium contra communitatem, curiam et juridicionem consulatus predicti, de cujus juridicione et districtu ipsi existunt; super quibus, dictus senescallus, seu ejus locum tenens, per certos auditores, fecit, vocatis partibus, inquiri veritatem, et per dictam inquestam dictos Petrum, Raymondum, Stephanum, Aymericum et ceteros eorum consortes, tanquam culpabiles de premissis inventos, in quingentis libris Turonensibus, pro emenda, nobis applicandis, sentencialiter condempnavit, distribuendis inter ipsos secundum cujuslibet ipsorum facultates; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti Petrus, Raymondus, Stephanus, Aymericus et ceteri consortes eorum, ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, et visis inquesta et processu predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse et dictos Petrum, Raymondum, Stephanum, Aymericum et ceteros eorum consortes, male appellasse, et quod condempnacio predicta mandabitur execucioni.

Veneris post Annunciacionem dominicam.

M. Droco de Karitate reportavit.

LX. Lite mota, coram senescallo nuper defuncti episcopi Briocensis, inter Eudonem Mercatoris, nomine suo et fratrum suorum, Helyotam et Sibillam, liberos defuncti Eudonis Mercatoris, ex una parte, et Natalem Mercatoris et filios suos, ex alia, super successione quorumdam bonorum qui fuerunt defuncti Guillelmi Merca-

toris, procurator dicti Eudonis et predictorum, de parte sua, ab audiencia dicti senescalli, ad nostram curiam appellavit, a defectu juris, pro eo quod dictus senescallus requisitus, nomine predictorum, jus facere, super quadam pecia terre pertinente ad predictos, racione successionis predicte, ut dicebat, eisdem super hoc jus reddere denegavit, et respondit quod plus eis non faceret, postque significatum fuit, ex parte predictorum, curie nostre, quod dictus Natalis Mercatoris et consortes sui, post appellacionem predictam, ad nostram curiam devolutam, saisinam dicte pecie terre dictis appellantibus abstulerunt, et frumentum, quod creverat in eadem, per violenciam et cum armis, deportaverunt, in prejudicium dictorum appellancium et eorum appellacionis predicte, super quibus attemptatis, per ballivum Constanciensem inquiri mandavimus veritatem, et quod predictus ballivus relacionem suam, curie nostre, in hoc nostro presenti parlamento, faceret vel rescriberet de predictis, ut dictis attemptatis, ad statum debitum reductis, racione predictorum attemptatorum, si sic esset, nobis emenda competens taxaretur: Facta igitur inquesta super predictis attemptatis, inventum est quod dicte partes appellantes et appellate non fuerunt vocate quando inquisitum fuit de predictis attemptatis, quare, per judicium curie nostre, dictum fuit quod inquesta super dictis attemptatis reficietur, vocatis qui fuerunt evocandi, et mandabitur dicto ballivo Constanciensi quod, inquisita veritate super dictis attemptatis, vocatis qui fuerunt evocandi, dictam inquestam curie nostre mittat ad faciendum, per curiam nostram, quod justicia suadebit. PHILIPPE IV. 1312.

Veneris predicta.

M. J. Brito reportavit.

Remissus fuit processus dicto ballivo.

LXI. Cum, eo tempore quo dominus Rex comitatum Campanie ad manum suam immediate tenebat, Galterus de Villaribus-Bosci, miles, per gentes nostras, tunc tenentes dies Trecenses, in duobus millibus marcharum argenti, racione cujusdam pene contra ipsum

Philippe IV, 1312.

commisse, domino Regi et comiti Joigniaci, pro equalibus porcionibus, condempnatus fuisset, et, ex parte domini Regis, certe persone deputate fuissent pro facienda execucione dicte condempnacionis in bonis sitis apud Villare-Bosci, apud Carni et Sici et in quibusdam aliis bonis, que omnia dictus Galterus, tempore dicte condempnacionis, ut dicitur, possidebat et, tanquam sua, explectabat; deinde comes Campanie, veniens ad tenendum comitatum predictum, manum suam apposuit in bonis predictis, dicens ea ad se pertinere, propter quod dicta execucio fuit impedita; super quo curie nostre conquesti fuerunt, procurator noster et comes Joigniaci predictus, petentes impedimentum predictum, per dictum comitem Campanie et ejus gentes in hujusmodi appositum, amoveri; dicti vero comitis Campanie procurator ex adverso proposuit quod, ante tempus condempnacionis predicte, dictus Galterus, de omnibus bonis suis, coram judice competenti, Andree, filio suo, fecerat donacionem, et eum fecerat de dictis bonis investiri et ad homagium recipi a dominis a quibus dicta bona tenentur, et quod si idem Galterus, tempore dicte condempnacionis, dicta bona tenebat et explectabat, hoc faciebat, tanquam dicti filii sui procurator, quodque dictus Andreas, sic saisitus de dictis bonis, erga eundem comitem Campanie se forefecit propter quod omnia bona predicta dicti Andree predicto comiti venerant in commissum, quare petebat manum domini Regis que, tanquam per superiorem, racione dicti debati, quantum ad dictam execucionem pertinet, in dictis bonis apposita fuerat, amoveri, seque permitti dicta bona explectare, tanquam sua, racione forisfacture predicte; dictorum domini Regis et comitis Joigniaci procuratoribus proponentibus, ex adverso, et inter cetera dicentibus quod, si dictus Galterus unquam fecerat donacionem predictam, eam fecerat fraudulenter et ficticie, et post factum compromissum inter ipsum et dictum comitem Joigniaci, sub pena predicta; quodque eam fecerat in fraudem vitande execucionis dicte pene, in casu in quo per eum esset commissa; quodque, si eam fecerat, nichilominus dictus Andreas, satis cito post, eidem Galtero, patri suo, coram judice

competenti, iterato donacionem et quittacionem fecerat de omnibus bonis predictis, quodque dictus Galterus, tempore dicte condempnacionis bona omnia predicta possidebat, tenebat et tanquam sua explectabat; quare petebant dictam execucionem fieri et compleri in bonis predictis : Tandem, auditis hinc inde propositis, et visa diligenter inquesta super hiis, de mandato curie nostre, partibus vocatis, facta, per curie nostre judicium, dictum fuit dictos procuratores domini Regis et comitis Joigniaci intencionem suam super hiis sufficienter probasse, quodque, non obstantibus racionibus, a parte adversa, propositis, dicta condempnacio, per manum domini Regis, ex integro mandabitur execucioni in bonis predictis.

Veneris post Anunciacionem dominicam.

Thibotot reportavit.

LXII. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, inter Bertrandum de Pailhore, ex una parte, et Guillelmum Othonis, ex altera, super eo quod dictus Guillelmus asserebat dictum Bertrandum, more hostili, pensatis insidiis, pacem violando, et cum armis, in contemptum nostrum et nundinarum nostrarum castri de Caslucio, ipsum vulnerasse de quatuor plagis, super quibus dictus senescallus, per certos commissarios, fecit, vocatis partibus, inquiri veritatem; visa igitur, per dictum senescallum, inquesta super hoc facta, idem senescallus dictum Bertrandum de premissis sibi impositis sentencialiter absolvit, a qua sentencia non extitit appellatum; postmodum vero, magister Yvo de Laudunaco, clericus, et Johannes Roberti, miles nostri, ex parte nostra, missi ad partes senescallie Petragoricensis, pro reformacione patrie et excessibus puniendis, ignari predicte absolucionis dicti senescalli, ex eisdem actis, dictum Bertrandum, occasione predictorum, in centum libris Turonensibus, nobis, et in viginti libris, dicto Guillelmo applicandis, sentencialiter condempnarunt; a qua condempnacione, tanquam injusta, dictus Bertrandus ad curiam nostram appellavit : Visisque processibus, tam dicti senescalli quam appellacionis predicte, per curie nostre judicium, dictum

PHILIPPE IV, 1312.

fuit predictum senescallum bene judicasse, et dictum Bertrandum, a sentencia dictorum clerici et militis, bene appellasse, et non mandabitur execucioni predicta condempnacio dictorum commissariorum nostrorum.

Veneris predicta.

M. Droco de Karitate reportavit.

LXIII. Lite mota, coram Johanne Pileti, Castellano de Caslucio, magistro forestarum nostrarum Lingue Occitane, inter dictum magistrum, nostro nomine et pro nobis, ex parte una, et Petrum Raymondi Boni-Hominis, ex altera, super eo quod dictus magister forestarum, quo supra nomine, proponebat quod idem Petrus Raymondi appropriaverat sibi mille sexteriatas foreste nostre de Nora, inter rivum majorem et rivum de Gota-Crossa, dictamque forestam dampnificaverat, usque ad valorem duorum millium librarum, in grande prejudicium juris nostri; dicto Petro Raymondi ex adverso dicente dictum locum ad se pertinere, et se et suos predecessores ipsum locum, a tempore cujus memoria non existit, pacifice possedisse, et se, multis aliis racionibus, defendente; tandem, hinc inde productis testibus, et, ex parte dicti Petri Raymondi productis, in modum probacionis, pluribus instrumentis, predictus Johannes, per suum judicium, pronunciavit dictas mille sexteriatas bosci ad nos pertinere debere, dicto Petro silencium, super eis, imponendo, super dampnis vero predictis, ipsum Petrum absolvens, nostra tamen, super hiis, voluntate retenta; a quo judicato idem Petrus, tanquam ab iniquo, ad nos appellavit: Viso igitur, per curiam nostram, dicte cause principalis processu, ac instrumentis in eo productis diligenter inspectis, cum non appareat, per dictum processum, dictum Johannem, magistrum forestarum predictarum, ex commissione nostra, vel alias in premissis juridicionem aliquam habuisse, et maxime cum, ex dicto processu, appareat, ipsius magistri forestarum, judicatum predictum dicto suo processu esse contrarium, per ejusdem curie nostre judicium, fuit dictum dicti Johannis judicatum predic-

tum et processum suum hujusmodi nullum esse omnino, dictumque locum contenciosum, in eo statu in quo erat, ante dicte manus nostre apposicionem, reponi, et dicto Petro Raymondi deliberari debere, salvo in predictis, tam in possessione quam in proprietate, jure nostro. PHILIPPE IV. 1312.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

G. de Usco reportavit.

LXIV. In appellacionis causa quam a senescallo Petragoricensi, Aymericus de Mala-Morte, miles, contra Bertrandum de Duro-Forti, armigerum, ad nos interposuisse dicebatur, super eo quod dictus senescallus pronunciaverat dictum Aymericum non esse remittendum ad assisiam de Briva : Viso processu facto, tam cum dicto Aymerico quam cum ipsius heredibus et specialiter contra Girbertum et Geraldum, filios dicti militis, ac considerato tempore appellacionis predicte, quia, per curiam nostram, fuit repertum ipsos heredes in prosecucione appellacionis predicte, fuisse et esse negligentes omnino, per ejusdem curie nostre judicium, fuit dictum eosdem heredes omnino cecidisse a dicte appellacionis prosecucione, et remisit curia nostra dictas partes ad examen senescalli predicti, in illo statu in quo ipsi erant tempore appellacionis predicte.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus dicto senescallo.

LXV. Cum fuisset mandatum ballivo Constanciensi, vel ejus locum tenenti quod ipse, ad diem sue ballivie presentis parlamenti, per se vel per alium idoneum, duci Britannie in causa appellacionis quam Oliverius Richardi, ejus uxor et eorum primogenitus, tam a pluribus gravaminibus eisdem ad instanciam Johannis, domini de Kaergorlay, militis, et Gaufridi, filii defuncti quondam Alani, fratrumque ipsius Gaufridi, matrisque eorumdem, per senescallum dicti ducis Trecorensem et senescallum domini de Goloya, de mandato

PHILIPPE IV, 1312.

senescalli ducis predicti, ut dicitur, illatis, quam a defectu juris, se asserunt, ad nostram curiam emisisse, adjornamentum, sibi factum, ex parte nostra, presentaret, dictisque militi, Gaufrido, frátribusque ipsius Gaufridi et eorum matri intimaret ut ipsi, ad dictam diem interessent, si sua crederent interesse, et sibi facta fide [de] appellacione predicta, si que inveniret attemptata contra dictos appellantes, in prejudicium dicte appellacionis, ea ad statum debitum revocaret indilate, et de presentacione et adjornamento predictis curiam nostram certificaret, ad diem antedictum : Auditis dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso processu predicto, quia, per eum, curie nostre constitit, quod dictus ballivus eidem duci, morte prevento, dictum adjornamentum non potuit presentare seu facere presentari, et quod eciam minus sufficienter intimatum fuit dictis militi, Gaufrido, fratribusque ipsius Gaufridi et eorum matri ut ad dictam diem interessent, si sua crederent interesse, et quod, ipsis absentibus, et non vocatis sufficienter, facta fuit informacio de appellacione et attemptatis predictis, et propter alios defectus in dicta informacione repertos, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum processum non debere judicari, immo de novo super hiis esse, vocatis partibus, procedendum, prout racionabiliter fuerit faciendum, juxta formam mandati alias super hoc facti.

Mercurii predicta.

R. de Brienzçon reportavit.

LXVI. Lite mota, coram bajulo et majore de Marssano, in curia ejusdem loci, inter Guillelmum Arnaldi de Cathelina, ex una parte, et Vitalem de Gras, ex altera, super eo quod dictus Guillelmus Arnaldi petebat, a dicto Vitale, mille solidos Morlanorum, quos, ut ipse dicebat, dicta Montoyse, defuncta mater dicti Guillelmi Arnaldi, in dotem dederat dicto Vitali, causa matrimonii, contracti inter eos; certis tamen convencionibus, inter ipsos conjuges initis in ipsa dotis promissione, inter quas conventum fuerat, ut ipse dicebat, quod, si dicta Montoyse decederet, sine liberis, ex suo proprio corpore natis,

dicti mille solidi ad suos redirent heredes, quare dictus Guillelmus Arnaldi, dicte Montoyse filius, et ut ejus heres, dictam dotem sibi reddi petebat, cum mater sua supradicta, sine liberis ex dicto Vitale procreatis, decessisset, dicto Vitale de Gras plures raciones in contrarium proponente; auditis igitur, super hoc, dictis partibus, predicti bajulus et major dictum Vitalem ad dictam dotem reddendam eidem Guillelmo sentencialiter condempnarunt; a quo judicato, tanquam iniquo, dictus Vitalis ad senescallum Vasconie appellavit, qui senescallus, auditis, super hoc, dictis partibus, predictum judicatum dictorum bajuli et majoris confirmavit; a qua sentencia conformatoria, idem Vitalis iterato ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, et visis processibus predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse et dictum Vitalem male appellasse. PHILIPPE IV. 1312.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

Archidiaconus Borbonensis reportavit.

LXVII. Lite mota, in curia nostra, inter Ysabellim, filiam defuncti Henrici, quondam comitis Ruthenensis, cum auctoritate Gaufridi de Ponte, mariti sui, ex parte una, et Ceciliam, filiam ejusdem comitis, cum auctoritate comitis Armaniaci, mariti sui, ex altera, super eo quod dicta Ysabellis, tanquam primogenita dicti comitis Ruthenensis, petebat per nos admitti et recipi in fidelitate et homagio nostris de comitatu Ruthenensi, et ejus pertinenciis, prout dictus comes Ruthenensis, tempore quo ipse vivebat, erat in homagio nostro, racione dicti comitatus et pertinenciarum ejusdem, dicta Cecilia in contrarium dicente ipsam Ysabellim non esse recipiendam ad fidem et homagium nostrum, de dicto comitatu et ejus pertinenciis, eo quod dictus comes Ruthenensis, in suo testamento, eandem Ceciliam heredem instituerat, in toto comitatu Ruthenensi et pertinenciis ejusdem, quod facere potuerat, secundum consuetudinem terre Ruthenensis que regitur jure scripto, pluribus racionibus, con-

PHILIPPE IV, 1312.

suetudinibus et factis contrariis super hoc propositis hinc et inde, super quibus inquiri fecimus, vocatis partibus, veritatem : Inquesta igitur, super hiis, de mandato nostro, facta, et, ad judicandum ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, visoque testamento dicti defuncti ac viso quodam instrumento manu Guillelmi Fayssas, publici notarii nostri, scripto et signato ac sigillo nostro Montis-Dome sigillato, continente quod dicti Gaufridus et Ysabellis, expresse, per sua juramenta, promiserunt quod ipsi contra testamentum seu ordinacionem ultimam dicti comitis Ruthenensis, per se vel per alium, non venirent, quia, per dictam inquestam ac testamentum et instrumentum predicta, inventum est sufficienter probatum quod dictus comes Ruthenensis predictam Ceciliam, filiam suam naturalem et legittimam, uxorem dicti comitis Armaniaci, heredem suam instituit, in toto burgo et toto comitatu Ruthenensi, prout protenditur et durat, a flumine Tarni usque ad fluvium de Triore, cum omnibus juribus, pertinenciis, castris, dominacionibus et omnibus aliis ad predictum comitatum spectantibus, hoc eciam adjecto quod ipse voluit et ordinavit quod castra et castellanie de Petra-Bruna de Toellis, de Copiaco, de Caistort, ac eciam quicquid est ultra fluvium de Triore, in castro et castellania seu ballivia castri de Inter-Aquis et ipsum castrum, sint de comitatu predicto Ruthenensi, quodque dicti Ysabellis et Gaufridus, ejus maritus, expresse, per sua juramenta, promiserunt dicto comiti et ejus heredibus quod ipsi, contra testamentum seu ordinacionem ultimam, factam vel faciendam per dictum comitem Ruthenensem, per se vel per alium, non venirent quoquo modo, quia eciam inventum est dictam Ceciliam sufficienter probasse consuetudines per eam allegatas, per curie nostre judicium, dictum fuit quod predicta requesta dicte Ysabellis non fiet, quantum ad dictum comitatum Ruthenensem et ejus pertinencias, et quantum ad loca superius designata, que loca, in testamento predicto dicti comitis Ruthenensis nostra vidit curia contineri, debere censeri de dicto comitatu Ruthenensi, secundum ipsius testatoris ordinacionem.

Veneris ante Ramos-Palmarum. PHILIPPE IV, 1312.

M. H. de Sancto-Paulo et N. de Creci reportaverunt.

LXVIII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter magistrum et fratres Domus-Dei Parisiensis, ex una parte, et priorem et conventum de Longo-Ponte, ex alia, super eo quod dicti magister et fratres dicebant se, existentes in saisina tercie partis duorum molendinorum et bannerie eorum in castellania Montis-Letherici existencium, impediri et perturbari super hoc injuste et de novo per dictos priorem et conventum, dicti prior et conventus forum dicti prepositi Parisiensis, super hoc, declinando, multas proposuerunt raciones, ad illum finem quod ipsi, super causa hujusmodi, ad forum prepositi de Monte-Letherico remitterentur, procuratore dictorum magistri et fratrum plures raciones in contrarium proponente et dicente dictam causam debere coram dicto Parisiensi preposito remanere; dictus vero prepositus Parisiensis, auditis parcium racionibus hinc et inde, per suum pronunciavit judicium dictam causam coram se debere remanere; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti prior et conventus ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, et visis processibus dicte cause, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos priorem et conventum male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

M. J. de Halis reportavit.

Remissus fuit processus dicto preposito.

LXIX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter archiepiscopum Senonensem, ex una parte, et Guillelmum Martini et Ysabellim, ejus sororem, liberos defuncti Guillelmi Martini de Stampis, ex altera, super eo quod dicti liberi petebant manum nostram per dictum prepositum, in bonis eorum, ad instanciam dicti archiepiscopi, racione execucionis testamenti dicti defuncti, appositam, amoveri;

PHILIPPE IV, 1312.

lite igitur super hoc contestata, testibusque in causa hujusmodi productis et publicatis, tandem, ex parte dictorum liberorum, plures raciones fuerunt proposite, ad illum finem quod dictus prepositus, in causa hujusmodi, in statu in quo erat, non debebat procedere ad diffinitivam sentenciam proferendum; super quibus pecierunt dicte partes, per dictum prepositum, jus sibi reddi, qui prepositus, per suum judicium, pronunciavit, non obstantibus racionibus per dictos liberos propositis, se ad diffinitivam sentenciam, in causa predicta, procedere debere; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti liberi, seu eorum procurator, eorum nomine, ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos liberos male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt, et remittentur dicte partes ad dictum prepositum ad procedendum in causa eorum principali, prout de jure fuerit faciendum.

Mercurii predicta.

Archidiaconus Borbonensis reportavit.

Remissus fuit processus dicto preposito.

LXX. Lite mota, coram custodibus nundinarum Campanie, inter Guiardum de Fonte, ex una parte, et Jacobum Hatum de Pruvino, ex altera, super eo quod dictus Guiardus petebat decem et octo caudas vini, ad ipsum, certis de causis, pertinentes, ut dicebat, sibi reddi et deliberari a dicto Jacobo, necnon et quasdam promissiones certarum summarum pecunie, dicto Jacobo factas indebite a dicto Guiardo, ut ipse dicebat, totaliter anullari, dampnaque et interesse que ipse, occasione hujusmodi sustinuit, eidem resarciri; tandem coram dictis custodibus, auditis dictis partibus super hiis que ipse proponere voluerunt, predicti custodes, per suum judicium, dictum Jacobum predicto Guiardo in petitis condempnarunt; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Jacobus ad magistros dierum Trecensium appellavit; qui magistri, auditis super hoc dictis parti-

bus et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciarunt dictos custodes bene judicasse et dictum Jacobum male appellasse; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Jacobus iterato ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in nostra curia dictis partibus, in causa appellacionis predicte visisque processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit dictos magistros bene judicasse, et dictum Jacobum male appellasse et quod ipse hoc emendabit, et mandabitur execucioni judicatum predictum. PHILIPPE IV, 1312.

Mercurii predicta.

M. J. de Halis reportavit.

LXXI. Cum senescallus Belli-Cadri, ad denunciacionem Petri Boniti et Jacobi Basterii, de villa Balneolarum, inquestam quandam fecerit contra Bertrandum et Guillelmum de Balneolis, fratres et domicellos, super eo quod predicti fratres, cum quibusdam eorum consortibus armatis, invaserant bis Petrum Boniti, nitendo ipsum capere, nisi gentes dicti loci ipsum defendissent; item super eo quod ipsi dictum Jacobum Basterii, clericum, ut dicitur, cum armorum potencia, ceperant, et ipsum captum in domo eorumdem fratrum adduxerant, ibi eundem captum aliquo tempore detinendo, et nichilominus domum predicti Petri Boniti invaserant, ut dicitur, frangendo portas dicte domus et archas ibidem eciam existentes, et pecuniam seu bona mobilia ipsius, usque ad valorem sex viginti librarum, ibi capiendo et secum portando; item super eo quod dicti Petrus Boniti et Jacobus Basterii, ex certis causis, dicebant quandam composicionem trecentarum librarum bonorum Turonensium, pro emenda nostra, pro facto predicto, factam a dicto senescallo cum fratribus antedictis, nobis non modicum fuisse dampnosam, et idcirco dicto senescallo, ut dicitur, mandavimus ut, si ita esset, non obstante composicione predicta, totum processum, coram dicto senescallo et predecessoribus suis habitum super hiis, nobis remitteret, una cum certitudine valoris bonorum dictorum fratrum, ut super predictis ordinaremus quod nobis justum videretur, predictis fratribus asserentibus pre-

PHILIPPE IV, 1312.

dictos processus habitos super hiis contra eos nullos esse, cum minores essent et absque curatoris auctoritate, tempore processuum predictorum, et quod eciam, si processus predicti aliqui fuerant, restitutionis beneficium super hoc implorabant, eciam in composicione predicta in qua se lesos enormiter asserebant, nichilominus asserentes quod ipse habent altam et bassam justiciam in villa Balneolarum, in domo eorumdem et in aliis bonis ad ipsos fratres pertinentibus, et quod predicti Petrus Boniti et Jacobus Basterii erant eorum justiciabiles, et loca ubi morabantur erant de eorum alta et bassa justicia, et quod quicquid ipsi fecerant contra predictos Petrum Boniti et Jacobum Basterii, ipsi fecerunt, eorum debitam justiciam exequendo : Visis igitur processibus antedictis, per curie nostre judicium, extitit ordinatum quod dicta composicio trecentarum librarum, pro predictis, nomine emende facta, in suo robore permanebit et mandabitur execucioni, maxime cum dictus senescallus curie nostre retulerit valorem bonorum dictorum fratrum non fuisse tantam et talem, prout per dictos Petrum Boniti et Jacobum Basterii nobis fuerat intimatum; verum, cum curie nostre constiterit de predicta violencia, invasione domus predicti Petri Boniti facta per dictos fratres, per curie nostre judicium, dictum fuit quod predicti fratres solvent et reddent predicto Petro Boniti centum libras monete currentis, tempore invasionis predicte, si, suo juramento, asserere voluerit se in tantum, per hoc, dampnificatum fuisse; item quod ipsi predicto Jacobo Basterii viginti libras persolvent, si, juramento suo, predictam injuriam sibi factam tantum voluerit estimare.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

G. de Viriaco reportavit.

Non habui processum.

LXXII. Cum, visa inquesta, de mandato curie nostre facta, super eo quod magister Jacobus Cornuti dicebat quod Eustachius de Baillolio, miles, eidem magistro, nuper itineranti per cheminum publicum, insidiatus fuit et eundem arrestavit, ipsumque minis et terro-

ribus ac, per metum qui cadere debuit in constantem virum, violenter et injuriose compulit ipsi militi promittere se certam summam pecunie, quamquam indebitam, soluturum, et eidem, super hoc concedere litteram sigillo autentico sigillatam, dictam summam pecunie continentem, curia nostra repererit dictam inquestam non esse perfectam, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit quod remittetur perficienda inquesta predicta, et quod super ea renovabitur commissio ad commissarios eosdem.

PHILIPPE IV. 1312.

Mercurii predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus auditoribus.

LXXIII. Cum quedam inquesta, contra Robertum de Monte-Rugoso, militem, Guillelmum dou Son, dominum de Perignac, dominum de Monte-Ajaurino, Giraldum de Caslucio, Ofillum de Ruppe, Hugonetum de Caslucio, Guionetum de Murato, Astorgium de Ulcon, dictum le Camus-de-Langlade, Johannem de Murol, Aymericum, filium Aymerici d'Achier, militis, et Petrum Bruni, super quadam armorum illicita portacione ac quibusdam excessibus, per eos, ut dicitur, perpetratis, et maxime super eo quod ipsi, cum armis, venerunt ad molendinum vicecomitis de Polignac, et illud violenter et injuriose fregerunt et rotas et molas ejusdem ac bladum in eo existens sparserunt, de mandato nostro, vocatis partibus, facta fuisset et ad judicandum in parlamento novissime preterito reportata, et ea tunc visa, dictum fuisset in eodem parlamento, per judicium curie nostre, quod non judicaretur inquesta predicta, propter quosdam defectus repertos in eadem, quousque dicti defectus essent suppleti; postea vero curia nostra, ad supplendum dictos defectus, fecit procedi: Visa igitur iterato, in parlamento presenti, dicta inquesta, cum predictorum defectuum supplemento, curia nostra ad judicandum dictam inquestam procedens, prenominatas personas, pro predictis sibi impositis, contra eos sufficienter probatis, nobis in emenda quingentarum librarum Turonensium, per suum judicium, condempnavit,

PHILIPPE IV, 1312.

quas quingentas libras ballivus Arvernie imponet et taxabit, supra quemlibet eorum, secundum facultates cujuslibet eorumdem, salva dicto vicecomiti peticione sua, super dampnis suis predictis, si, super eis voluerit experiri.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

Mangon reportavit.

LXXIV. Lite mota, in curia nostra, inter Dalmachium et Hugonem de Riomo et Robertum Bodeti, ex parte una, et procuratorem nostrum Arvernie, ex altera, super eo quod dicti Dalmachius, Hugo et Robertus dicebant quod magister Guillelmus de Dumis, clericus, et Philippus de Sancto-Verano, miles nostri, commissarii ad partes Arvernie, per nos, super reformacione patrie, deputati, ipsos compulerant indebite et injuste, per vim et incarceracionem propriorum corporum, ad tradendum et satisfaciendum, nomine nostro, Giraudo Chaucheti, civi Claromontensi, receptori nostro in partibus antedictis, de quadringentis et quatuor viginti libris debilis monete, necnon ad tradendum dicto Giraudo, nomine nostro, litteras obligatorias de ducentis libris Turonensibus fortis monete, racione emende; item super hoc quod dicti commissarii indebite et injuste retinuerant penes se, nomine nostro, duas cartas, sigillo officialis Trecensis sigillatas, continentes soluciones majoris partis quadringentarum et quatuor viginti librarum predictarum, factas executoribus testamenti defuncti Guillelmi de Riomo ac uxori dicti Guillelmi, propter quod dicti Dalmachius, Hugo et Robertus petebant dictas quadringentas quatuor viginti libras debilis monete sibi, a dicto procuratore, nomine nostro, reddi, dictasque litteras obligatorias de ducentis libris Turonensibus fortis monete anullari, et dictas duas cartas sibi restitui, necnon dampna, expensas et interesse, que ipsi, occasione premissorum, sustinuerunt, resarciri eisdem; dicto procuratore nostro in contrarium plures raciones proponente, per quas dicebat quod ad hec, nomine nostro, minime tenebatur : Tandem, auditis dictis partibus super omnibus que, in

curia nostra, proponere voluerunt, cognitoque de dicta causa et visa inquesta, de mandato nostro, super hiis facta et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicte quadringente et quatuor vigintî libre debilis monete restituentur eisdem Dalmachio, Hugoni et Roberto, et, per idem judicium anullate fuerunt littere obligatorie de ducentis libris Turonensibus fortis monete, confecte racione emende predicte; item quod dictus procurator, nomine quo supra, reddet seu reddi faciet dictas duas cartas dictis Dalmachio, Hugoni et Roberto, reservata eisdem peticione dictorum dampnorum et interesse contra dictos commissarios, prout fuerit racionis. PHILIPPE IV, 1312.

Mercurii predicta.

M. P. Fauvelli reportavit.

LXXV. Mota controversia, coram senescallo Petragoricensi, in causa denunciacionis, inter procuratorem nostrum senescallie Petragoricensis, Heliamque Gelati et ejus consortes denunciantes, ex parte una, et Raymondum la Boira, Johannem la Sala, Stephanum Fabri, Heliam la Tour, Heliam Faiel, Heliam de Ribreia, Bernardum Medici, Petrum Bona-Hora, Guillelmum et Heliam Taurelli, Petrum la Gaucha, Johannem la Porta, Aymericum de Sudor, Bernardum Blanqueti et Bernardum Taurelli, denunciatos, ex altera, super eo quod dicebant denunciantes predicti quod dicti denunciati, pensatis insidiis, comitato consilio contra nostra pacis statuta et nostram specialem gardiam in qua erant aliqui de denunciantibus antedictis, cum armis prohibitis, ipsos Heliam Gelati et suos consortes, euntes per villam Petragoricensem, ludendo et solaciando de die, ut moris est, sine armis, nemini injuriam facientes, invaserant, et in eos fortiter irruentes, injuriose et atrociter verberaverant et leserant eosdem, quamplures excessus contra eos illicite committendo, propter quod pecierunt dicti denunciantes, per dictum senescallum Petragoricensem, super hiis veritatem inquiri, et ipsos denunciatos puniri legittime, tam erga nos quam dictos passos injuriam, pro excessibus antedictis; dictusque senescallus, vocatis super hoc dictis

Philippe IV, 1312.

partibus et auditis propositis per eos qui comparuerunt, quibusdam de dictis denunciatis minime comparentibus et contumacibus reputatis, cognito de premissis, per suum pronunciavit judicium, dictos excessus, contra denunciatos predictos sufficienter esse probatos, condampnans eosdem, pro nostra emenda, ac dictis injuriam passis in certis pecuniarum summis, prout de dictis summis in ipsius senescalli judicato facto super hoc continetur expresse; a quo judicato, tanquam falso et pravo, seu iniquo, dicti condempnati ad nostram curiam se asserunt legittime appellasse: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus in causa appellacionis predicte, visoque dicte cause principalis processu, ac inquesta, de mandato curie nostre, super hoc, facta, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum, contra dictos Johannem la Porta, Bernardum Taurelli, Bernardum Blanqueti et Aymericum de Sudor, laicos, bene judicasse, et ipsos male appellasse, et demandabitur executioni dicta condempnacio contra ipsos; verum quia, per processum et inquestam predictos, constitit evidenter dictos Raymondum la Boira, Johannem la Sala, Stephanum Fabri, Heliam la Tour, Heliam Faiel, Heliam de Ribreia, Bernardum Medici, Petrum Bona-Hora, Guillelmum et Heliam Taurelli et Petrum de Gaucha, pro clericis se gerentes, dictam portacionem armorum, contra statuta nostra fecisse, per ejusdem curie nostre judicium, fuit dictum quod bona ipsorum temporalia in manu nostra tenebuntur quousque de summis, in condempnacione senescalli predicti, pro nostra emenda contentis, nobis integre, pro dicta portacione armorum, fuerit satisfactum. Quantum vero ad dictos conquerentes, predicta condempnacio contra dictos se gerentes pro clericis, per dictum senescallum facta, per curiam nostram non mandabitur execucioni, sed, super hoc, agant contra eos si voluerint, coram judice competenti.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LXXVI. Cum datum fuisset nobis intelligi quod Hugoninus le

Chat, filius Manasseri, de Tornodoro, plures injurias et violencias intulerat Stephano de Montmorent, castellano nostro de Tornodoro, nostrum servicium exercenti, nos super predictis mandavimus, per ballivum Senonensem, vocatis partibus, veritatem inquiri, et inquestam hujusmodi nobis remitti, et partes quas dictum tangit negocium ad certam diem, coram nobis, adjornari, Parisius, ad videndum inquestam judicari predictam; facta igitur inquesta predicta, et ad judicandum, ad nostram curiam asportata, comparentibus in ipsa curia nostra, dicto castellano ac procuratore Hugonini predicti, auditis que ipsi, hinc inde, proponere voluerunt, curia nostra precepit dictam inquestam videri et judicari: Visa siquidem inquesta predicta, cum, per eam, inventum sit sufficienter probatum quod nuper Goçoinus Bourse-Trouvée, tunc prepositus noster de Tornodoro, dicto Hugonino, per dictam villam eunti, obvians, dixit ei quod, pro pluribus debitis, in quibus idem Hugoninus nobis tenetur de firma prepositure dicte ville quam tenere solebat, et pro pluribus inobedienciis quas ipse fecerat gentibus nostris, ipse Goçoinus arrestabat eundem, et precepit sibi, ex parte nostra, quod ipse veniret cum eo captus in castellum predictum; qui Hugoninus respondit quod ipse cum dicto preposito non iret, immo se rescuebat[1] ab eo; et tunc dictus prepositus precepit Berthelino, servienti nostro de Tornodoro, quod ipse juvaret eum ad ducendum in prisionem dictum Hugoninum, qui serviens dixit ei quod hoc non faceret, immo renunciabat servicio nostro; postea vero dictus prepositus, predicto castellano ibidem existenti, ex parte nostra, precepit quod ipse dictum Hugoninum caperet, et juvaret eundem prepositum ad ducendum in prisionem dictum Hugoninum, qui castellanus, ad mandatum dicti prepositi sibi factum, ex parte nostra, cepit dictum Hugoninum per vestem, dicens ei quod ipse veniret in prisionem, et obediret mandato dicti prepositi sibi facto, ex parte nostra; dictus vero Hugoninus statim se rescussit ab eo, et percussit dictum castellanum in facie de pugno suo, et excitavit illos qui secum erant ut dictum castellanum vile-

PHILIPPE IV. 1312.

[1] Lisez *rescussebat*.

PHILIPPE IV, 1312.

niarent; et tunc ipsi, videlicet Stephanus, dicti Hugonini frater, Johannes et Perrinus Maistrez, Theobaldus la Chievre, Guillelmus Pelez et Stephanus Archambaudi, ad excitacionem dicti Hugonini, insilierunt in dictum castellanum, et ipsum projecerunt in lutum, percutiendo, verberando et conculcando ipsum in luto, adeo quod tota facies sua facta fuit nigra. Per curie nostre judicium, dictus Hugoninus nobis, pro emenda nostra, in quadringentis libris Turonensibus et dicto castellano in centum libris Turonensibus, pro sua injuria, extitit condempnatus; et mandabitur dicto ballivo Senonensi quod ipse contra dictum Goçoinum, qui non invenitur aliquid remedium tunc, in facto hujusmodi, posuisse, et contra dictum Berthelinum qui dicto preposito noluit obedire, ac contra dictos consortes et alios culpabiles hujusmodi facti, vocatis partibus, inquirat, per se ipsum, super omnibus predictis et eorum circonstanciis, cum diligencia, veritatem, ad finem emendandi, tam nobis quam dicto leso, factum predictum; et inquestam hujusmodi, sub suo fideliter inclusam sigillo, mittat nostre curie judicandam, ad diem sue ballivie futuri proximo parlamenti, ad quam diem adjornet dictas partes, Parisius, visuras judicari dictam inquestam, certificando curiam nostram de adjornamento predicto.

Mercurii post Ramos-Palmarum.

LXXVII. Cum Johannes Bonhome, Johannes de Caudas, Adam de Jacobinis, Gobertus le Fourrier, Michael de Boclay, Johannes de Rouvele, Laurencius de Puteo, Martinus de Camons, Henricus Tailliator, Johannes de Grate-Panche, Firminus de Dury, Matheus de Lomulle et dictus Soutieu, ad guetum ville nostre Ambianensis faciendum deputati, ad denunciacionem amicorum carnalium Gaufridi de Corbeya, interfecti quondam apud Ambianum, pro facto mortis dicti Gaufridi, in nostro carcere essent detenti, et tam ipsi quam major Ambianensis, nomine communie dicti loci, assererent quod dictus interfectus, pro quodam homicidio perpetrato publice Ambiano, a dicta civitate Ambianensi et ejus banleuca, et demum de regno nostro fuerat bannitus,

et quod postea in civitatem ipsam reversus fuerat, nulla facta sibi remissione de banno predicto, et latitans in quadam ecclesia, quendam hominem, pensatis insidiis, de quodam cutello retro in dorso graviter vulneraverat, et hoc facto, ad immunitatem dicte ecclesie confugerat iterato, propter que ballivus Ambianensis precepit publice quod quicumque posset eum extra loca sacra invenire, caperet eundem; cumque postea dictum Gaufridum, quadam nocte, per dictam villam incedentem, armatum et evaginato gladio, duo aut tres de dictis guetis invenissent, ipsum capere conati fuerunt, qui, se ponens in defensa, quosdam ex eis vulneravit, et tunc cum alie excubie supervenientes, ibidem eundem Gaufridum capere niterentur, ipsum fugientem insecuti fuerunt, et iterum se posuit in defensa; propter quod ipse guette aggredientes eundem ipsum, eorum officium exercendo, per vim ceperant et vulneraverant, ex qua vulneracione ipse decessit; quare petebant quod super premissis faceremus veritatem inquiri: Inquesta igitur super hoc facta, de mandato nostro, visa et diligenter examinata, quia per eandem repertum extitit quod dictus Gaufridus, pro homicidio per eum perpetrato, fuerat a civitate Ambianensi et tota banleuca et demum per locum tenentem ballivi nostri Ambianensis bannitus a regno nostro, per judicium curie nostre, dicte excubie a facto predicto totaliter absoluti fuerunt. PHILIPPE IV. 1312.

Pronunciatum fuit decima quarta die marcii.

Non habui processum, sed ita reportavit M. J. de Templo.

LXXVIII. Cum datum fuisset nobis intelligi quod, licet Guillelmus de Mastacio esset innobilis, attamen ipse milicie cingulum, sine licencia nostra, assumpserat, mandavimus inquiri super hoc veritatem: Tandem, inquesta super hoc, de mandato nostro, facta, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Guillelmum sufficienter probasse se esse nobilem ex utroque parente, et ipsum in sua milicia remanere debere (15).

Dominica post Sanctum-Marchum, anno trecentesimo decimo tercio.

PHILIPPE IV, 1312.

LXXIX. Cum dudum, tempore guerre Vasconie, villa Burdegalensi ad manum nostram immediate existente, certam imposicionem, assisiam seu constumam, que, in partibus illis, mala-tolta vulgariter appellatur, de bladis, vinis et aliis mercaturis que per dictum locum, tam per terram quam per aquam transibant, levandam, pro municione et fortificacione dicte ville, concessissemus majori et civibus civitatis ejusdem; quam constumam, cessante guerra predicta, non intendebamus a quoquam exigi vel levari, et deinde per concordiam et pacem, dicta guerra sopita, et sic cessante causa concessionis predicte, nos predictam concessionem revocassemus expresse, et, per nostras patentes litteras, prohibuissemus dictam malam-toltam levari, mercatores de terris Agenesii, Caturcinii et Albigesii, ad nostram curiam accedentes, conquesti fuerunt quod, dictis revocacione et prohibicione nostris non obstantibus, nichilominus major, jurati et cives dicte ville Burdegalensis dictam malam-toltam continuabant et presumebant levare; super quo nos dictos presumptores ad nostram fecimus curiam evocari; comparentibus igitur, in parlamento nostro, dictis partibus, et audita super hoc dictorum querimonia mercatorum, procurator dictorum Burdegalensium, ad eorum defensionem, proposuit quod ipsi dictam malam-toltam per nos revocatam non levabant, immo quamdam aliam quam ipsi, jure suo et auctoritate sua, imposuerant super mercaturis predictis, dicendo quod dicti Burdegalenses sunt in bona saisina, et ab antiquo consueverunt, propria auctoritate sua, facere statuta perpetua vel ad tempus, et assisiam seu imposicionem, super mercaturis predictis, imponere pro sue libito voluntatis, et quod de hoc bonum habent privilegium per nos confirmatum, quod privilegium curie nostre exhibuit procurator predictus; ad quod respondebant mercatores predicti quod dicti Burdegalenses dicto privilegio non poterant se juvare, immo debebat dictum privilegium, tanquam invalidum, totaliter anullari, tum quia concessum fuerat, tempore guerre predicte, tum quia concessum fuit, salvo jure nostro et quolibet alieno, tum quia, propter rebellionem eorum postea subsecutam, ipsi perdiderant omnino dictum privilegium et omnes

alias gracias a nobis factas eisdem; quare petebant dicti mercatores quod curia nostra dictum privilegium, tanquam invalidum, retineret, et quod dicti Burdegalenses factum hujusmodi nobis emendarent, et eisdem mercatoribus reddere compellerentur quicquid ipsi a dictis mercatoribus levaverunt, de mercaturis eorum, post revocacionem nostram predictam, una cum dampnis que ipsi, propter hoc, sustinuerunt: Auditis igitur hinc inde propositis, et visis revocacione, prohibicione et privilegio predictis, processibusque predictis diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicti Burdegalenses dictam imposicionem injuste levaverunt, et quod ipsi factum hujusmodi nobis emendabunt, et dictis mercatoribus reddent, ex integro, quecumque ipsi de mercaturis eorum levaverunt post revocacionem et prohibicionem predictas, ac dampna per hoc eis illata, de quibus, vocatis partibus, poterit de plano constare, quodque curia nostra dictum privilegium, tanquam invalidum, retinebit.

PHILIPPE IV, 1312.

Dominica predicta.

LXXX. Cum dilectus et fidelis noster Bernardus de Piru, civis Baione, significasset nobis, graviter conquerendo, quod gentes regis Anglie, ducis Aquitanie, videlicet Rudellus, dominus Blavie, Rostannus, dominus de Roqueriis, major et communia Baionenses destruxerunt, combuxerunt et spoliaverunt indebite et injuste omnes domos lapideas et ligneas dicti Bernardi, et omnia alia bona sua irreparabiliter dissiparunt, pro eo videlicet quod idem Bernardus, tempore rebellionis facte contra nos, per prefatum ducem et cives Baionenses, nobis, ut tenebatur, tanquam fidelis adhesit, et dampnificaverunt eundem in destruccione et dissipacione domorum et bonorum suorum usque ad summam duorum millium centum et nonaginta marcharum argenti; quare requirebat, idem Bernardus, veritatem super hiis inquiri, et jus sibi fieri de premissis, ipsosque ducem, Rudellum, Rostannum, majorem et communiam Baionenses condempnari sibi in summis predictis, et ultra dictas summas ad solvendum sibi quingentas marchas argenti, pro injuriis et excessibus supradictis;

PHILIPPE IV, 1312.

prefati ducis procuratore, pro ipso duce, ex adverso dicente predictum ducem juste, licite et utendo jure suo, premissa fieri mandare potuisse, dictoque Rudello, ad sui excusacionem, proponente se predicta fecisse, de mandato prefati ducis, per ipsius litteras senescallo Vasconie et ejus locum tenenti directas, ut dicebat, cui, tanquam superiori suo, tenebatur, ut dicebat, obedire, cum ipse esset tunc locum tenens dicti senescalli Vasconie, quod quidem mandatum non exhibuit, nec per testes probavit, licet a commissariis, super hoc deputatis a nobis, fuisset pluries sufficienter requisitus; predicto Rostanno similiter allegante ea que ipse fecerat se fecisse de mandato dicti domini Blavie, locum, ut premittitur, tunc tenentis senescalli predicti; de quo mandato non docuit per instrumenta sive testes, licet super hoc fuisset, ab auditoribus, similiter requisitus ; major vero et communia ville predicte dicebant, ad suam innocenciam ostendendum, quod si quid fecerunt de predictis objectis eisdem, ea fecerunt de speciali mandato ducis prefati, per ipsius patentes litteras eis directas quas, coram dictis commissariis, in modum probacionis exhibuerunt, sigillo ipsius ducis sigillatas, quare petebant ab impeticione predicta dicti Bernardi absolvi: Facta igitur, de mandato nostro, super premissis, inquesta, et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, liquidoque comperto per eam, dictum Bernardum per ipsos ducem, Rudellum et Rostannum, in duobus millibus centum et nonaginta marchis argenti, injuste et in nostri contemptum, dampnificatum fuisse in predictis, per curie nostre judicium, fuit dictum quod predicti dux, Rudellus et Rostannus reddent et solvent, predicto Bernardo, dicta duo millia centum et nonaginta marchas argenti, pro estimacione predictorum dampnorum, ad quam summam eorum quilibet insolidum tenebitur et eciam exigetur, unus tamen solvens alios liberabit, et solvent eciam eidem Bernardo, pro predictis injuriis et excessibus, videlicet dictus dux quadraginta libras Turonenses, dictus Rudellus centum libras, et dictus Rostannus centum libras monete ejusdem, salvo jure nostro de puniendo factum hujusmodi, quantum ad nos pertinet et quantum nostra interest,

prout, cum deliberacione consilii nostri, viderimus racionabiliter faciendum, et, per idem judicium, predicti major et communia, ex certis causis, in dicto processu probatis, a predictis sibi impositis absoluti fuerunt. PHILIPPE IV, 1312.

Dominica post Sanctum-Marcum, anno trecentesimo decimo tercio.

G. de Usco reportavit.

LXXXI. Cum procurator abbatis et conventus Sancti-Dyonisii in Francia, instanter requireret quod quedam inquesta, diu est, facta inter ipsos, ex una parte, et procuratorem nostrum, pro nobis, ex altera, racione justicie villarum de Cormeilles, de Cergi, de Boyssi et de Petra-Lata judicaretur, procuratore nostro e contrario dicente, dictam inquestam, quantum ad nos, non esse completam; auditis igitur propositis, hinc et inde, curia nostra precepit quod inquesta predicta aperiretur et videretur ad sciendum statum ipsius inqueste : Visa igitur inquesta predicta et diligenter examinata, cum plures defectus in ea reperti fuerunt, propter quos ipsa non potuit judicari, per curie nostre judicium, dictum fuit quod inquesta predicta non judicabitur, et quod dicte partes, super debato predicto, facient, iterato, si voluerint, articulos suos, et super eis, vocatis partibus, inquiretur veritas, et fiet jus.

Dominica predicta.

LXXXII. Cum gravem procuratoris nostri necnon prepositi, decani et capituli ecclesie Suessionensis, de speciali garda nostra existencium, querimoniam recepissemus, inter cetera, continentem quod, quadam die, in festo beati Andree, innumerosa quasi multitudo civium et populi ville Suessionensis, cum armis et sine armis, ad sonum campane communie ejusdem ville bis pulsate coadunatorum, impetuose, cum servientibus dicte ville, incedencium, pluribus ex eis vociferantibus, Havot as clers! ad domum quandam quam inhabitabant quidam clerici ibidem scolares, in districtu et juridicione omnimoda dictorum prepositi, decani et capituli existentem, venientes,

PHILIPPE IV, 1312.

majore et nonnullis de juratis dicte ville alios insequentibus, cum armis et targiis dicte ville, dictam domum violenter fregerunt, et eandem vi introeuntes, in scolares predictos, ausu sacrilego, irruentes, contra juramentum suum, quod quolibet anno prestant et prestare tenentur, videlicet quod nullus de communia dicte ville capiet clericum, temere veniendo, necnon et contra prohibicionem servientum episcopi Suessionensis et capituli supradicti, qui presentes requirebant dictos clericos eis dimitti, offerentes facere de eisdem justicie complementum, eosdem clericos ceperunt, et de dicta domo violenter extraxerunt, et captos, per vicos et plateas, ad beffredum dicte communie ducentes, cum gladiis et fustibus flagellantes, letaliter vulneraverunt, et sic vulneratos in carcerem dicte communie inhumaniter detruserunt; quorum unus, videlicet Colardus de Naves, ex ipsis flagiciis et vulneribus, infra triduum, miserabiliter expiravit; que premissa, tam notorie et nefandissime perpetrata, facta dicebant in opprobrium tocius ordinis clericalis, dampnum, injuriam et gravamen dictorum prepositi, decani et capituli ac in prejudicium garde nostre; quare petebant factum hujusmodi, ad finem civilem, tam nobis quam sibi, competenter emendari, cum protestacione, per eos expresse facta, quod ad punicionem corporalem procedere non intendebant; nos super premissis, partibus auditis, mandavimus, vocatis procuratore nostro, dictis partibus et aliis evocandis, per certos auditores veritatem diligenter inquiri: Facta igitur, super propositis a dictis partibus, in facto hujusmodi, inquesta, et nostre curie reportata, visa et diligenter examinata, auditis omnibus que dicte partes proponere, hinc inde, super hoc voluerunt, visis eciam cartis, arrestis, compromissis et aliis instrumentis in modum probacionis a dictis partibus productis, quia inventum est dictos majorem, juratos et communiam in premissis culpabiles extitisse, per curie nostre judicium, dicti major, jurati et communia, pro facto hujusmodi, nobis in emenda mille et sexcentarum librarum Turonensium, et dictis preposito, decano et capitulo in sexcentis libris monete ejusdem, condempnati fuerunt.

Dominica post Sanctum-Marcum, anno trecentesimo decimo tercio. Philippe IV, 1312.
Roya reportavit.

LXXXIII. Lite mota, in curia nostra, inter Margaretam, relictam Roberti, quondam comitis Attrebatensis, ex una parte, et Matildim, nunc comitissam Attrebatensem, ex alia, super eo quod dicta Margareta petebat amoveri manum nostram appositam, per ballivum Ambianensem, in boscis et quibusdam aliis rebus castri de la Montoyre, quod ad dictam Margaretam spectabat, racione dotalicii sui sibi assignati, pro eo quod dicta Matildis aut gentes sue dicebant ipsam Margaretam scindi fecisse ibidem nemora et quasdam arbores fructiferas, eisdem abutendo, contra consuetudinem patrie, ac eciam aliis rebus sibi in dotalicium assignatis, abutendo : Inquesta, de mandato nostro, facta super hoc, et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, quia per eam repertum est dictam Margaretam intencionem suam sufficienter probasse, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta manus nostra inde amovebitur, et impedimenta predicta, in rebus predictis apposita, amovebuntur, ita quod dicta Margareta pacifice gaudeat rebus predictis sibi in dotalicium assignatis.

Dominica predicta.

Archidiaconus Borbonnensis reportavit.

LXXXIV. Lite mota, in curia nostra, inter Margaretam, relictam Roberti quondam comitis Attrebatensis, ex una parte, et Matildim, nunc comitissam Attrebatensem, ex altera, super eo quod dicta Margareta petebat impedimenta super juridicione et ressorto ville et terre de Beuri, in ejus prejudicium, per dictam Matildim seu ad ipsius instanciam apposita, amoveri, cum hujusmodi juridicio et ressortum ad dictam Margaretam pertineant, racione dotalicii sui sibi assignati in castellania de Lans, de cujus districtu dictum castrum de Beuri est, prout ipsa dicebat; parte adversa plures raciones e contrario proponente; auditis partibus, in curia nostra, super hoc mandavimus

Philippe IV, 1312.

inquiri, per certos commissarios, veritatem: Facta igitur inquesta super hoc, et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, quia per eam repertum est quod dictum castrum de Beuri est de ressorto de Lans, dictamque Margaretam suam intencionem super hoc sufficienter probasse, per curie nostre judicium, dictum fuit quod impedimenta predicta super hoc apposita amovebuntur, et quod dicta Margareta, racione sui dotalicii, juridicione et ressorto predictis pacifice gaudebit.

Dominica post Sanctum-Marcum, anno trecentesimo decimo tercio.

Archidiaconus Borbonnensis reportavit.

LXXXV. Lite mota, in curia nostra, inter Margaretam, relictam Roberti, quondam comitis Attrebatensis, racione sui dotalicii, ex una parte, et Matildim, tunc comitissam Attrebatensem, ex alia, super eo quod impedimenta apposita in terra de Bethunia, in casibus alte justicie et ressorti, per Matildim predictam, dicta Margareta petebat amoveri, ad finem quod ipsa, de expletis et emolumentis et eciam de dicta justicia et ressorto, posset gaudere pacifice, cum dicta terra esset de castellania et ressorto de Lans eidem Margarete in dotalicium assignata; parte adversa plures raciones in contrarium proponente, et dicente quod dicta justicia erat de ressorto Attrebati, et quod ad ipsam Matildim dicta justicia pertinebat: Auditis igitur, super hoc, dictis partibus, et visa inquesta, super hoc, de mandato nostro, facta, quia per eam repertum fuit dictam Margaretam suam intencionem, super hoc, sufficienter probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit quod impedimenta predicta, per dictam Matildim, super hoc, apposita, amovebuntur, et quod dicta Margareta, racione sui dotalicii, justicia et ressorto predictis pacifice gaudebit.

Dominica predicta.

LXXXVI. Lite mota, in curia nostra, inter Margaretam relictam Roberti, quondam comitis Attrebatensis, ex parte una, et Matildim, nunc comitissam Attrebatensem, ex altera, super eo quod dicta Mar-

gareta, racione sui dotalicii, petebat per nostram curiam declarari gardiam et proteccionem abbacie de Lisques et bonorum ejusdem ad se pertinere, racione castri et castellanie de Tournehem, eidem, ex causa sui dotalicii, assignatorum, et ballivum suum, ex causa predicta, debere tenere placita sua in terra dicte abbacie, extra locum sanctum, et facere homines dicte abbacie judicare, ad conjuracionem suam, et ipsum debere habere, racione sui officii, certam porcionem emolumentorum proveniencium ex inde, petebat eciam impedimenta eidem Margarete in premissis, per dictam Matildim vel ejus gentes, apposita, amoveri; predicte Matildis procuratore in contrarium asserente ipsam, racione castri et castellanie de Sancto-Audomaro, esse et fuisse in saisina omnium premissorum, et se in dicta saisina remanere debere: Facta igitur, super premissis, de mandato curie nostre, inquesta, et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata; auditis omnibus que dicte partes proponere voluerunt, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit gardiam et alia predicta ad dictam Margaretam, racione sui dotalicii, pertinere, et quod impedimenta in predictis, per dictam Matildim, apposita, amovebuntur.

PHILIPPE IV, 1312.

Dominica predicta.

LXXXVII. Cum dudum, coram dilectis et fidelibus clericis nostris, magistris Johanne de Auxeio, cantore Aurelianensi, et Nicholao de Lusarchiis, tunc preposito de Anversio, in ecclesia Carnotensi, missis, ex parte nostra, ad partes senescalliarum Tholosane et Carcassonensis, propositum fuisset, ex parte Amelii de Aquis-Vivis, domicelli, servientis nostri armorum, quod, licet senescallus Carcassonensis, qui pro tempore erat, dedisset et concessisset ad certum accapitum, nomine nostro, Guillelmo de Aquis-Vivis, servienti nostro armorum, patri dicti Amelii, totam reveriam de Serviano, sicut nos, tempore concessionis dicti accapiti, habebamus, prataque et pasturagia que nos habebamus in territorio de Cerviano, furnumque, pro certo censu annuo inde nobis dando; hoc acto, quod nos non possemus habere nisi unum furnum in dicto castro, et, per beatum Ludovicum,

PHILIPPE IV, 1312.

avum et predecessorem nostrum, fuisset dicta tradicio confirmata, nichilominus gentes nostre, ut ipse dicebat, partem dicte reverie que, per aliquos, devesa appellatur, et unum furnum quem gentes nostre ibi construxerant, tradiderunt, ad certum accapitum, quibusdam religiosis; quare petebat se resaisiri, per dictos commissarios nostros, de premissis, sibique fieri, super premissis, justicie complementum; procuratore nostro plures raciones in contrarium proponente, et dicente quod, licet dicta reveria sibi tradita fuisset in accapitum, nunquam tamen data fuerant dicta devesa, cum dicta loca, a tempore retroacto, semper sint distincta ac eciam separata, unde, virtute concessionis dicte reverie, dicta devesa ibidem contineri non poterant quoquo modo, pluribusque racionibus propositis, hinc et inde, factaque super hoc inquesta, et, de mandato curie nostre, ad judicandum reportata, visa et diligenter examinata, quia inventum est per litteram tradicionis ipsius accapiti, per ipsum Amelium exhibitam, dictam traditionem factam fuisse solummodo de dicta reveria, nulla tamen facta mencione de dictis devesis; quia eciam inventum est, per testes procuratoris nostri, dicta devesa, longe ante tradicionem dicti accapiti, et postea semper continue esse separata et distincta a dicta reveria; visisque et examinatis probacionibus partis utriusque; quia eciam, per assercionem dicti Amelii, ac per litteram tradicionis dicti accapiti, curie nostre constitit quod nos possumus ibi habere unum furnum, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus furnus, per gentes nostras ibi factus, ac dicta devesa ad nos pertinent, nec ad tradicionem dicti accapiti, predicto servienti facti, se extendunt; et, per idem judicium, fuit dictus procurator noster, ab impeticione predicta dicti Amelii, absolutus.

Dominica post Sanctum-Marcum, anno trecentesimo decimo tercio.

Creci reportavit.

LXXXVIII. Lite mota, coram ballivo Bituricensi, inter abbatem et conventum de Bellis-Vallibus, ex una parte, et Radulphum, filium Saderon de Buxeriis, ex altera, super eo quod dicti abbas et conven-

tus dicebant dictum Radulphum esse suum hominem de corpore, tailliabilem de alto et basso, et de manumortua, plures raciones, ad suam intencionem fundandam, super hoc proponentes; dicto Radulpho contrarium asserente, et multas raciones, ad suam defensionem, proponente, ut pro libera persona deberet judicari; dictus ballivus certum deputavit commissarium ad inquirendum, super hiis, veritatem; tandem ballivus Nivernensis, cum inquesta, super premissis, facta fuit, de mandato nostro, reddita ad judicandum, auditis parcium racionibus, hinc et inde, ac visa inquesta predicta, per suum judicium, pronunciavit dictos abbatem et conventum bene probasse dictum Radulphum fore suum hominem de corpore tailliabilem et explectabilem de alto et basso et manumortua, a quo judicato tanquam falso et pravo dictus Radulphus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse, et dictum Radulphum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. Philippe IV, 1312.

Martis in festo Philippi et Jacobi.

M. J. de Halis reportavit.

LXXXIX. Discordia mota, coram ballivo Matisconensi, inter Girardum de Castro-Novo, pro se et uxore sua, ac procuratorem nostrum, pro nobis, ex una parte, et episcopum Cabilonensem, prepositos, servientes et homines de Fontanis, de Campo-Ferreolo, et de Fargiis, ex altera, super eo quod, postquam dictus ballivus, propter debatum parcium, manum nostram, tanquam superioris, apposuit, et quendam servientem nostrum specialiter deputavit ad dicte manus nostre conservacionem in loco de la Rongere et super aissiamentis, manparamentis, operariis, mota et terrellis dicti loci, dicti prepositi, servientes et homines dictarum villarum, sciente dicto episcopo, et non contradicente, contra prohibicionem dicti servientis nostri, dictos terrellos, motam et totum opus ibidem factum destruxerunt et demolierunt, et secum portaverunt instrumenta et bona alia inventa

PHILIPPE IV, 1312.

ibidem; auditis igitur, super hoc, dictis partibus, et viso processu super hoc facto, dictus ballivus, per suum judicium, condempnavit prepositos, servientes et homines predictos ad reficiendum et reponendum in statum pristinum motam, terrellos et opus predictum, et ad reddendum dictis conjugibus dampna et interesse que ipsi sustinuerant in predictis, de quibus poterit de plano constare; ac eciam in mille librarum Turonensium, racione emende, nobis applicandarum, prout in judicato predicto premissa plenius continentur; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti condempnati ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis dictis processibus, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse, et dictos appellantes male appellasse, et quod predicta condempnacio mandabitur execucioni.

Martis in festo Philippi et Jacobi.

M. J. de Halis reportavit.

Remissus fuit processus, de mandato curie, dicto ballivo, pro causa principali expedienda.

XC. Lite mota, coram ballivo Senonensi, inter dilectum et fidelem nostrum comitem Joigniaci, ex parte una, et priorem beate Marie de porta Sancti-Leonis Senonensis, una cum procuratore nostro, ex altera, super hoc quod dictus comes dicebat quod ipse erat in saisina alte justicie ville d'Ermeau et pertinenciarum ejusdem ville; et, cum gentes dicti comitis bona cujusdam mulieris que se submersisse dicebatur, saisivissent et certas personas ad dicta bona custodienda deputassent, maritumque dicte mulieris et quasdam alias personas, pro suspicione dicti facti, cepissent, prepositus noster de Dyvione posuerat dicta bona ad manum nostram, predictos custodes dicti comitis inde amovendo, et pro nobis alios ibidem deputando, et personas predictas, pro dicta suspicione, per eum captas, ad manum nostram ceperant, impediendo et perturbando injuste ipsum comitem in sua saisina predicta; quare petebat impedimentum et perturbacionem predictas amoveri; procuratore nostro et

priore predictis e contra dicentibus saisinam alte justicie predicte ad nos et dictum priorem et non ad dictum comitem pertinere; dictus ballivus, cognito de saisina predicta, adjudicavit saisinam dicte alte justicie comiti antedicto, salva nobis et dicto priori, super hoc, questione proprietatis; a quo judicato, tanquam falso et pravo, procurator noster et prior predicti ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso processu predicto, visaque inquesta quadam, de mandato nostro, super saisina predicta postea facta, et diligenter examinatis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictos procuratorem nostrum et priorem male appellasse, et quod judicatum predictum mandabitur execucioni, salva nobis et dicto priori, super hoc, questione proprietatis. PHILIPPE IV 1312.

Martis predicta.

Officialis Eduensis reportavit.

XCI. Processus inter priorissam de Lissaco, ex una parte, et Arnaldum Barasci, militem, et perceptorem hospitalis de Pojolar, ex altera, anullatus, prout in rotulo hujus parlamenti continetur. Et processus super hoc factus qui non est anullatus remissus est auditoribus ad perficiendum.

XCII. Processus inter capitulum Suessionense et Bernardum de Morolio judicatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIII. Sua nobis Saturninus Fredoli, canonicus Taurinensis, gravi conquestione, monstravit quod Raymondus de Planis, bajulus tunc Castri-Novi-de-Arrio, quamdam domum ipsius Saturnini, sitam apud Villam-Pictam, necnon trabes et ligna sua in dicta domo existencia, valencia triginta libras, ipso Saturnino absente, non vocato, non convicto, injuste et sine cause cognicione, Targue, civi Tholosani et quibusdam aliis personis vendidit, pro debito in quo Poncius Fredoli, avunculis dicti Saturnini, tenebatur eidem mulieri, in ipsius

PHILIPPE IV, 1312.

Saturnini prejudicium non modicum et gravamen, quare petebat veritatem inquiri et jus sibi fieri de premissis; Raymondo de Planis ex adverso dicente se domum, trabes et ligna predicta, de mandato judicis Lauraguesii, superioris sui, cui necesse habebat obedirè, ut dicebat, sollempni subhastacione premissa, licite vendidisse, dicta Targue, ad defensionem suam proponente, se predictam domum ab eodem Raymondo, tunc nostro bajulo, premissis subhastacionibus consuetis emisse : Facta tandem, super premissis, de mandato nostro, inquesta, et ad nostram curiam reportata, visa ac diligenter examinata, inspectis eciam instrumentis ab utraque parte productis et attentis sollicite confessionibus parcium predictarum, per curie nostre judicium, dictum fuit vendicionem domus, trabium et lignorum predictorum, tanquam minus racionabiliter factam, non valuisse, et quod dictam Targue dictam domum predicto Saturnino restituet, actione competenti sibi contra Poncium memoratum, debitorem suum, et heredes ipsius, reservata, et quod dictus Raymondus trabes et ligna predicta similiter reddet et restituet eidem Saturnino, si extent, alioquin eorum valorem.

Martis in festo Philippi et Jacobi, anno trecentesimo decimo tercio.

G. de Usco reportavit.

XCIV. Cum, in curia abbatis et conventus monasterii Sancti-Dyonisii in Francia, moto debato, inter Aufredum de Villa-Teigneuse, Guillelmum Langlois, Petrum de Fraymont, Adam le Fouliens, Petrum dou Plessie, Jacobum de Villa-Teigneuse, Johannem Hasart et Johannem d'Orange, textores ville Sancti-Dyonisii, ex una parte, et Guillelmum Alberici, Johannem de Bulles et alios tincturarios ville ejusdem, ex altera, super eo quod quandam defensam quam dicti textores factam esse dicebant per abbatem Sancti-Dyonisii contra ipsos, videlicet ne ipsi lanas, filum et pannos suos extra villam Sancti-Dyonisii aut per extraneos tincturarios tingi facerent, ipsi textores revocari petebant, requirentes insuper quod si decisio cause hujusmodi dilacionem haberet, defensa predicta per recredenciam, cum

ydonea caucione, dicta lite pendente, suspenderetur, plures raciones et facta ad hoc proponendo, dictis tincturariis plures raciones et facta proponentibus ex adverso; auditis igitur, super hoc, dictis partibus, ballivus dictorum religiosorum certam interlocutoriam, per suum judicatum, super hoc, protulit inter partes predictas, quod judicatum, in processu dictarum parcium, plenius continetur; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti textores ad Parisiensem prepositum appellarunt; coram quo preposito dictis partibus necnon dicto baillivo ac procuratore dictorum religiosorum constitutis, et in causa dicte appellacionis, auditis racionibus parcium predictarum et maxime super dicta defensa que, lite predicta pendente, petebatur per recredenciam suspendi, dictus prepositus, per suum judicium, interloquendo, pronunciavit quod dicti textores et eis adherentes, dicta lite pendente, per manum domini Regis tanquam superioris, ibunt quo voluerint, per recredenciam ab eis prestandam, facere tingi fila, pannos et lanas, eorum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, pars adversa ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictos appellantes male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt, et redibunt dicte partes ad predictum prepositum, in eorum appellacionis causa que pendebat coram eo, processure.

Philippe IV. 1312.

Martis predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus dicto preposito, ad procedendum in eorum appellacionis causa.

XCV. Cum Otho de Banleux, burgensis de Condomio, ac procurator noster senescallie Petragoricenses, coram dilectis et fidelibus nostris R., episcopo Ambianensi, et magistro Yvone de Laudunaco, commissariis a nobis, sub certa forma, in partibus Vasconie deputatis, conquesti fuissent quod, cum idem Otho, de portu Sancte-Marie,

PHILIPPE IV, 1312.

versus villam de Regula, in quadam navi duci faceret octo tonnellos et duas pipas veteri vino plenas, et ad portum dicte ville applicuissent, Arnaldus de Pis, Johannes de Miralh, filius Sancii, Guillelmus de Forgis, Petrus de Portu, Petrus de la Fozia, Guillelmus de Pis, Johannes Pansa et Vitalis Donati, habitatores ville de Regula, qui se pedagiarios et juratos dicti loci dicebant, cum pluribus aliis complicibus suis, dictam navem, cum tonellis et pipis predictis, ceperunt et ad terram violenter traxerunt; quo facto Johannes de Banleux, frater dicti Othonis, ibidem presens, absente tunc dicto Othone, sufficienter requisivit personas superius nominatas, nomine ipsius Othonis, fratris sui, quod dictam navem, cum tonellis et pipis predictis deliberarent eidem, et jus sibi facerent super hoc, prout ad eos pertinebat, qui hoc facere denegarunt expresse, dicentes se velle dicta vina in mare projicere, et publice comburere navem, tonellos et pipas predictas; quo audito, idem Johannes, nomine fratris sui predicti, verisimiliter timens ne dicti pedagiarii, ad premissa facienda, contra fratrem suum predictum, ausu temerario, procederent, ad nos legittime appellavit, et, post dictam appellacionem sic ad nos interpositam, dicti pedagiarii predicta vina, in dictis tonellis et pipis existencia, effuderunt in mari, dictamque navem, tonellos et pipas in publico combuxerunt, in predicti Othonis prejudicium et appellacionis predicte contemptum; quare petebant dicti procurator et Otho, dicti fratris sui, appellacionem prosequens, attemptata hujusmodi revocari, et eidem Othoni dampna sibi, per hoc, illata resarciri, et factum hujusmodi nobis competenter emendari; dicti vero commissarii, virtute commissionis nostre, in hujusmodi processerunt, sicut debuerunt, dictis partibus sufficienter vocatis, coram quibus dicti pedagiarii, quasdam frivolas excepciones declinatorias proponentes, se contumaciter absentarunt, quibus rejectis, dicti commissarii, vocatis iterato et pluries dictis partibus, et dictis pedagiariis se contumaciter absentantibus, inquisiverunt super hiis plenius veritatem; qua comperta, per inquestam predictam, ipsi commissarii predictas personas nobis in duobus millibus librarum et dicto Othoni in ducentis

libris Turonensibus, pro emenda excessuum predictorum, sentencialiter condempnarunt, Guillelmum Renaudi, Vitalem Poncii et Johannem Rossignolh, denunciatos similiter super predictis excessibus, per idem judicium, absolventes; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, predicti condempnati ad nostram curiam appellarunt: Tandem auditis, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis commissione et inquesta predictis, per judicium curie nostre, dictum fuit predictos commissarios bene judicasse et dictos condempnatos male appellasse. PHILIPPE IV, 1312.

Martis in festo Philippi et Jacobi.

De ista emenda quittavit dominus Rex mille libras Turonenses, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCVI. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Silvanecto, ex una parte, et Johannem de Crapout-Mesnil, ex altera, servientes nostros Castelleti Parisiensis, super eo videlicet quod dictus Johannes de Silvanecto dicebat, contra dictum Johannem de Crapout-Mesnil, quod idem Crapout-Mesnil eidem Johanni de Silvanecto plures injurias fecerat et dixerat, et ipsum verberaverat, ac ipsum in quodam brachio suo, de quodam ense injuriose mutilaverat, in dampnum, injuriam et gravamen ipsius, et quod, occasione verberacionis et mutillacionis predictarum, sibi, a dicto Crapout-Mesnil, animo injuriandi, illatarum, plures sumptus et expensas fecerat et habuerat, quare petebat dictas injurias sibi emendari, necnon sumptus, expensas et interesse quas, occasione verberacionis et mutilacionis predictarum, sustinuerat, sibi reddi, et ad premissa et singula dictum Crapout-Mesnil sibi sentencialiter condempnari, ad arbitrium seu taxacionem prepositi supradicti, dicto Crapout-Mesnil, ex adverso, proponente quod dictus Johannes de Silvanecto eidem plures injurias dixerat et fecerat, vocando ipsum pravum garcionem et pravum ribaldum, quodque ipsum de pugno atrociter pluries in facie ipsius percusserat, et, de pede suo, ipsum Crapout-Mesnil, in pectore suo, injuriose bis percusserat, licet eciam dictus Crapout-Mesnil suum ser-

Philippe IV, 1312.

vicium, de precepto superioris sui, exequeretur, quando injurie predicte a dicto Johanne illate sibi fuerunt; et premissis non contentus, dictus Johannes de Silvanecto, gladio evaginato, dictum Crapout-Mesnil invasit et ipsum pluries de gladio suo atrociter percussit, ac ipsum interficere pro viribus nisus fuit. Item dicebat idem Crapout-Mesnil quod si ipse, in dicto conflictu, dictum Johannem de Silvanecto unquam percussit, hoc fuit vi vim repellendo, et in casu in quo hoc poterat facere de jure, sine pena; quas injurias dicto Crapout-Mesnil, animo injuriandi, sibi illatas, ipse nollet, ut dicebat, sustinuisse per centum marchas argenti, quare petebat dictum Johannem de Silvanecto sibi in dictis centum marchis argenti sentencialiter condempnari, pro injuriis antedictis, taxacione legitima dicti prepositi precedente, ipsumque ab impeticione dicti Johannis absolvi; auditis igitur super hiis dictis partibus, cognitoque de causa predicta, et viso processu predicto, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit predictum Crapout-Mesnil bene et sufficienter suam intencionem probasse, et dictum Johannem de Silvanecto minus sufficienter suam intencionem probasse, et predictum Crapout-Mesnil ab impeticione predicta dicti Johannis de Silvanecto absolvit, et, per idem judicium, dictum Johannem de Silvanecto condempnavit ad emendandum dicto Crapout-Mesnil ac nobis dictas injurias ab ipso, predicto Crapout-Mesnil illatas, taxacionem emendarum predictarum sibi reservando; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Johannes de Silvanecto ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus parcium predictarum, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et remisit curia nostra dictas partes ad predictum prepositum, ad videndum per eum taxari emendas predictas.

Sabbato post Invencionem Sancte-Crucis.

Remissus fuit processus dicto preposito.

XCVII. Lite mota, coram bajulo Montanarum Arvernie, inter Ay-

mericum de Fontangiis, militem, et Margaretam, ejus uxorem, ex una parte, et castellanum nostrum de Creba-Corio, pro nobis, ex altera, super eo quod dicti conjuges dicebant quod bassa justicia sexaginta solidorum et infra mansi seu affarii de Vedrinas ad ipsos pertinebat, ut ad dominos, et ad eorum predecessores pertinuerat et eam possederant vel quasi ab antiquo, excepto alto dominio, et quod dictus castellanus noster de Creba-Corio, ipsos in exercicio dicte basse justicie minus juste impediebat et de novo, licet alias, per Guillelmum de Achillosis, militem, tunc bajulum Montanarum, et in ipsius assisiis, fuisset, ut ipsi dicebant, declaratum dictam bassam justiciam ad ipsos conjuges pertinere debere et ad eorum predecessores diu pertinuisse, prout contineri dicebant in quibusdam litteris quas idem miles se habere dicebat; quas litteras tamen ipsi conjuges non exhibuerunt nec de predictis fidem sufficientem fecerunt. Item dicebant dicti conjuges se et eorum predecessores, ut dominos immediatos, excepto alto dominio, esse et fuisse in saisina recipiendi recogniciones a Guillelmo Pages, Guillelmo Poncier, Guillelma Ponciera, quondam ejus matre, et ab Huga la Contesse, quondam uxore Hugonis le Conte, et ab eorum antecessoribus, de tenementis que ipsi habent et eorum predecessores habuerunt apud mansum de Vedrinas, ac recipiendi redevancias et redditus, quolibet anno, a dictis tenenciariis debitis pro dictis tenementis, et instituendi in ipsis eosdem et quemlibet eorumdem, et investiendi ipsos de dictis tenementis, et utendi, in eisdem tenementis et personis predictis, omnibus spectantibus ad bassam justiciam, confitentes tamen dicti conjuges altam justiciam in predictis ad nos pertinere debere; quare petebant dicti conjuges ut bajulus predictus impedimentum in dicta bassa justicia, per dictum castellanum eis appositum, amoveret, et quod eidem castellano injungeret ut ipsos conjuges libere uti permitteret dicta bassa justicia in loco predicto, dicto castellano, pro nobis, e contrario dicente omnimodam justiciam altam et bassam, in manso predicto seu affario de Vedrinas et in personis predictis et in eorum tenementis ad nos pertinere debere, et nos esse et fuisse, ab antiquo, in bona

PHILIPPE IV. 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

saisina justicie supradicte; dictus vero bajulus, auditis, super hoc, dictis partibus, fecit veritatem inquiri, vocatis partibus, super propositis hinc et inde, quam inquestam ipse, cum dictis partibus, ad nostram misit curiam judicandam : Auditis igitur, in curia nostra, super hoc dictis partibus, et visa inquesta predicta, visis eciam litteris et instrumentis per dictos conjuges, super hoc, productis, quia per eam repertum est dictum castellanum nostrum, pro nobis, quantum ad predicta per dictos conjuges proposita et petita, melius et per plura et meliora expleta, suam intencionem probasse, per curie nostre judicium, dictus castellanus noster, pro nobis, fuit a peticione predicta dictorum conjugum totaliter absolutus.

Mercurii post Invencionem Sancte Crucis, anno trecentesimo decimo tercio.

M. R. de Sancto-Benedicto reportavit.

XCVIII. Cum, auditis, in parlamento presenti, partibus infrascriptis, per arrestum nostre curie, dictum fuisset quod inquesta facta inter Huardum Hapart, ex una parte, et heredes defuncte Ysabellis, quondam uxoris sue, et procuratorem nostrum, pro nobis, ex altera, videretur ad illum finem ad quem posset videri : Tandem visa et diligenter examinata inquesta predicta, cum inventum fuerit quod dicta inquesta non est in statu quod judicari possit ad presens, curia nostra precepit quod, pro ea complenda et perficienda, commissio renovetur ad M. J. de Roya et P. Mangon.

Mercurii predicta.

Tradita fuit inquesta auditoribus, ad perficiendum.

XCIX. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, inter magistrum Bernardum de Petra-Guillelmi, clericum, ex una parte, et Arnaldum, Guillelmum, Stephanum et Raymondum Stephani de Furno, fratres, ac Raymondum de Furno, nepotem dictorum fratrum, ex altera, super eo quod dictus magister Bernardus asserebat bajulum Montis-Cuci, de mandato dicti senescalli, ad manum nostram bona Guillelmi

de Furno, tunc defuncti, posuisse, tempore quo vivebat idem Guillelmus, que bona dictus magister asserebat se possidere, tempore dicte manus apposite et ante possedisse, ex donacione sibi facta per dictum Guillelmum, et ipsum magistrum in corporalem possessionem dictorum bonorum inductum fuisse, quare petebat dictus magister dictam manum in hujusmodi supra ipsum positam amoveri, et se, in possessione dictorum bonorum defendi, dictis fratribus et nepote se ad predicta opponentibus, et asserentibus dicta bona ad se pertinere, pleno jure, et eos seu eorum predecessores dicta bona possidere et possedisse per viginti annos et amplius, ex donacione sibi seu eorum predecessoribus facta per dictum Guillelmum, quare petebant dictam manum in hujusmodi supra se positam, amoveri, et se in possessione dictorum bonorum defendi; tandem dictus senescallus, per suum judicium, pronunciavit manum nostram in hujusmodi positam supra dictum magistrum Bernardum esse amovendam, et eandem amovit, et ipsum magistrum esse et fuisse, tempore dicte manus apposite, in possessione dictorum bonorum, nec eum debere super hoc impediri, non intendens dictis opponentibus, in proprietate, vel possessione, per dictum judicium suum, prejudicium generari, si et quando in judicio, contra dictum magistrum Bernardum, voluerint experiri, ipsosque opponentes, in expensis litis predicte, per idem judicium, condempnavit; a quo judicato, tanquam iniquo, dicti opponentes ad nostram curiam appellarunt. Post hoc, cum per partes predictas fuissent plures littere a nostra curia impetrate, super hoc et super pluribus appellacionibus hinc inde ad nostram curiam interjectis, nos volentes finem hujus negocii accelerare, mandavimus dictas partes, cum omnibus earum processibus, ad nostram curiam adjornari super earum principali negocio, prout esset racionabile processuras : Auditis igitur, in curia nostra, super hoc, dictis partibus, et visis diligenter dictis processibus, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit bene pronunciatum fuisse per dictum senescallum, et per dictos appellantes male appellatum fuisse, et quod judicatum predictum mandabitur execucioni.

PHILIPPE IV. 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

Mercurii predicta.

Mangon reportavit.

C. Cum Aquilinus Guillelmi, dominus de Sparra, requireret quod curia nostra videret et judicaret quendam processum ad ipsius instanciam, contra procuratorem ducis Aquitanie factum, per dilectos magistrum Yvonem de Laudunaco, clericum, et Petrum Heberti, militem, nostros, virtute commissionis, sub certa forma, per nos facte eisdem clerico et militi, super eo quod idem dominus Sparre, coram ipsis proposuerat quod, pendente appellacione, ab audiencia senescalli Vasconie, ad nos seu nostram curiam interjecta per eundem dominum, tanquam conjunctam personam defuncti Petri Viguierii, ipsius avunculi, et pro ipso, dum viveret, quem idem senescallus in prisione tenebat, in prejudicium appellacionis predicte, idem senescallus eundem dominum, pro eo quod dictam appellacionem fecerat, ceperat et incarceraverat, quodque, vi et metu carceris, ipsum renunciare appellacioni sue fecerat, et post renunciacionem sic factam, eundem in carcerem retruserat, propter quod idem dominus, ipsius senescalli timens seviciam, et crudelitatem ejusdem, ex quibusdam verisimilibus presumpcionibus, perhorrescens, de consilio quorumdam ipsius senescalli familiarium, sibi dicencium quod dictus senescallus volebat eum crudeliter et inhumaniter tractare, exinde exierat, et de dicta prisione se, per quandam fenestram precipitaverat, ac in hujusmodi alterum crurium suorum fregerat seu leserat, et apud Sparram, locum suum, se portari fecerat festinanter; item, quod pro eo quod idem senescallus, audita fuga hujusmodi, comminatus fuit se velle destruere et devastare locum de Sparra et terram ipsius, idem dominus fecerat locum suum predictum de Sparra muniri clausuris, et homines armatos, equites et pedites, ad tuendum et defendendum se ab incursu et insidiis dicti senescalli posuerat ibidem et diu tenuerat, et quod, propter hoc, dampnificatus fuerat, et expensas insolitas et maximas fecerat quas estimabat ad valorem decem millium librarum Turo-

nensium, quare petebat dictum ducem Aquitanie in dictis decem millibus librarum dicte monete, et in aliis viginti millibus librarum Turonensium, pro dictis injuriis, illatis eidem per senescallum predictum, condempnari; et e contra dictus procurator proponens dictum processum factum fuisse post legittimas appellaciones suas, in quibus appellacionibus ipse petebat adjornamentum sibi dari, et revocari omnia que, post dictas appellaciones suas, per dictos clericum et militem fuerant attemptata, et quod, dicti adjornamenti dilacione pendente, nichil interim super hiis innovaretur, et quod sibi fieret copia de processu predicto : Tandem, auditis hinc inde propositis, et visis processibus antedictis, per judicium nostre curie, dictum fuit quod curia nostra predictas appellaciones, utpote frivolas, non admittebat et quod dicti processus copiam dictus dux non haberet, et ipsum ducem in sex millibus librarum Turonensium, pro dictis dampnis, et in aliis sex millibus librarum ejusdem monete, pro dictis injuriis eidem domino sentencialiter condempnavit, salvo jure domini Regis de puniendo factum hujusmodi, quantum ad ipsum pertinet et quantum sua interest, prout, cum deliberacione consilii sui, viderit racionabiliter faciendum. PHILIPPE IV, 1312.

Pronunciatum fuit apud Pissiacum (16), lune post Quasimodo.

Non habui processum. M. J. de Templo debet habere.

CI. Cum Matheus, quondam Ebroicensis episcopus, proposuisset in curia nostra quod, cum Humbertus de Venda nobis teneretur in quadam magna pecunie quantitate, racione vendarum quarumdam forestarum nostrarum in ballivia Gisorcii existencium, de qua pecunie quantitate nobis solvenda dictus Humbertus nobis plures dederat fidejussores, inter quos fidejusserat, pro dicto Humberto, Johannes quondam de Bella-Pertica, miles, usque ad summam mille librarum Turonensium de quantitate predicta, et dictus episcopus et quidam amici sui, ad ejus requestam, pro residuo, erga nos, fidejusserant, dicto vero Humberto, postmodum in defectu solucionis dicti debiti existente, mandavissemus predictos fidejussores explectari, pro debito

PHILIPPE IV, 1312.

supradicto, et specialiter predictum Johannem de Bella-Pertica, pro mille libris predictis; verum quia dictus Johannes, in ballivia Gisorcii, aliqua bona non habebat, ballivus Ambianensis, ad requestam ballivi Gisorcii et de mandato nostro, centum libratas terre, situatas apud Alery, ballivie Ambianensis, pro dictis mille libris de terra dicti Johannis, pro nobis accepisset in solutum, legittima appreciacione, de mandato dicti ballivi Ambianensis, facta super hoc, precedente, quam appreciacionem nos ratam et gratam habentes pluries mandavimus ballivo Ambianensi, per nostras patentes litteras, ut dictas centum libratas terre, sic appreciatas ut nostras, in manu nostra levaret et teneret, et, de eis, una cum aliis ballivie sue receptis, gentibus Compotorum nostrorum redderet racionem; cumque postmodum dictus episcopus et alii confidejussores sui explectarentur, pro residuo debiti supradicti, idem episcopus volens deliberare amicos et confidejussores suos, onus tocius debiti predicti, in quo nobis dictus Humbertus tenebatur, in se suscepit, nobisque de dicto debito satisfacere promisit, bona sua patrimonialia, ubicumque sita, nobis, propter hoc, specialiter obligando, nosque prefato episcopo dilacionem solvendi predictum debitum, ad certos terminos, sibi per nos assignatos graciose dedissemus, et ad relevacionem ipsius episcopi concessissemus eidem ut omnia et singula bona mobilia et immobilia dicti Humberti, ubicumque existencia, idem episcopus acciperet ac in ipsum totum jus et totam actionem quod et quam habebamus, occasione predicta, contra dictum Humbertum, ejus fidejussores ac debitores, transtulissemus penitus in episcopum supradictum; et ea omnia et singula mandavissemus integre sibi liberari, quare petebat et supplicabat idem episcopus quot dictas mille libras, pro quibus, de terra dicti Johannis, centum libratas terre predictas acceperamus in solutum, deduceremus de summa in qua ipse nobis tenebatur, occasione debiti supradicti, maxime cum alias gentibus Compotorum nostrorum, per nostras patentes litteras, dedissemus in mandatis ut dictas mille libras dicto episcopo, absque more dispendio deducerent, cum nostre intencionis non esset quod, si dicto mi-

liti aut ejus heredibus de dicto redditu aliquam graciam faceremus, dicta deductio, propter hoc, impediretur seu quomodolibet retardaretur; Matheo de Bella-Pertica, milite, filio et herede dicti Johannis, ex adverso proponente predictam deductionem fieri non debere, pro eo quod, licet dictus Johannes fidejusserit, pro dicto Humberto erga nos, usque ad summam mille librarum Turonensium, dicto Humberto in defectu solucionis postmodum existente, ballivus Ambianensis centum libratas terre, pro dictis mille libris de terra dicti Johannis apud Alery, fecerit, pro nobis, appreciari, nichilominus predicta appreciacio, de patrie consuetudine, non valuit nec tenuit, ut dicebat, cum ad ipsam faciendam predicti Johannes vel Matheus nec aliquis, pro ipsis fuerint evocati, nec unquam de dictis centum libratis terre fuit idem Johannes dissaisitus, immo eas tenuit, tanquam suas, et possedit, quamdiu vixit, et, post ejus mortem, devenerunt ad dictum Matheum, tanquam ad filium et heredem dicti Johannis, qui dictum redditum tenuit et adhuc tenet et possidet, absque eo quod dictus ballivus Ambianensis aut alius, pro nobis, aliquid perceperit aut levaverit de redditu supradicto, presertim cum nos dicto ballivo per nostras litteras mandaverimus quod dictum Johannem, ad solvendum dictas mille libras, racione fidejussionis predicte, seu partem ipsarum, aliquatenus non compellat, cum dictus episcopus nobis promiserit se totale dicti Humberti debitum soluturum; postea dicebat idem Matheus quod eo tempore quo nos omnia bona dicti Humberti et debitorum suorum transtulimus in dictum episcopum, et quod dictus episcopus in se suscepit onus tocius debiti dicti Humberti, idem Humbertus habebat tantum in bonis mobilibus et immobilibus et in debitis et rebus aliis quod nobis potuisset, de toto predicto debito satisfecisse plenarie, et se ipsum ac omnes fidejussores suos liberasse et penitus acquitasse, unde, cum omnia bona predicta fuerint et sint translata in dictum episcopum, et ea dictus episcopus, ad sui utilitatem et commodum, receperit et habuerit, et ob hoc totale debitum dicti Humberti nobis soluturum se obligaverit, ut dicebat dictus Matheus, hiis et plu-

PHILIPPE IV. 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

ribus aliis racionibus, dictam deductionem predicto episcopo fieri non debere, immo petebat se a solucione dictarum mille librarum, vel eciam centum libratarum terre, pro ipsis, penitus exonerari ac eciam liberari, causis et racionibus antedictis : Auditis igitur, super hoc, dictis partibus, et inquesta, de mandato nostro, facta super premissis, visa et diligenter examinata, attenta insuper et considerata intentione nostra super premissis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicte mille libre, de dicto debito, dicto episcopo deducentur, et levabuntur decem centum librate terre, per dictum ballivum Ambianensem, pro nobis et nomine nostro, pro dictis mille libris, salvis omnibus juribus et actionibus dicto militi contra dictum episcopum, ejus heredes et executores, competentibus in premissis.

Martis post festum beatorum Philippi et Jacobi.

Thibotot reportavit.

Dominus episcopus Suessionensis, me R. Thibotot presente, locutus fuit, super hoc, cum domino Rege, et dominus Rex voluit deductionem fieri et dictum redditum levari.

CII. Cum Johanna de Sancto-Audoeno, domina de Sorvillari, curie nostre, conquerendo, monstrasset quod Johannes de Trocyaco, miles, Guillelmus de Glannes, scutifer, Johannes et Guillelmus, ipsius Guillelmi de Glannes filii, Petrus le Juenne, Guillelmus le Thyais et Percevallus d'Aunay, scutiferi, cum pluribus aliis eorum complicibus, nuper ad domum ipsius domine, de nocte, venientes hostiliter et cum armis, dictam domum violenter intraverunt, et ipsam que statim pepererat, in lecto suo jacentem, ceperunt, et de lecto suo violenter extraxerunt, et nudam, nisi de quodam parvo et brevi pellicio, quo se tegebat, ut poterat, parvulum suum inter sua brachia habentem, de camera in cameram duxerunt, enses evaginatos et gladios alios in manibus suis portantes, plures eidem domine injurias inferendo, curia nostra, vocatis partibus antedictis, et auditis racionibus et factis, super hoc, propositis hinc et inde, mandavit super omnibus predictis, vocatis partibus, veritatem inquiri; facta igi-

tur inquesta predicta et ad nostram curiam reportata, ipsa curia nostra, vocatis dictis partibus et auditis, precepit dictam inquestam videri et judicari; visa igitur et diligenter examinata inquesta predicta, in novissime preterito parlamento, dilecti et fideles nostri parlamentum tenentes, predictum judicatum suum, quod proferre super hoc deliberaverant nobis significaverunt, pro scienda nostra, super hoc, voluntate, quorum deliberacio non modicum extitit nobis grata; et interim, dicto parlamento finito, gentibus nostris requestas, Parisius, tenentibus, mandavimus et ex causa, ut ipsi, vocatis ad certam diem, coram se, dictis partibus, quamquam finitum esset dictum parlamentum, ac quacumque ordinacione contraria non obstante, judicatum pronunciarent predictum, quod judicatum tantam volumus auctoritatem habere ac si latum esset parlamento sedente (17); mandavimus eciam quod illos qui per dictum essent judicium condempnati, facerent in Castelleto nostro, Parisius, captos teneri, quousque de complendo integre judicato predicto, ydoneam prestiterint caucionem : Vocatis igitur, coram dictis gentibus nostris, ad certam et competentem diem, dictis partibus et personaliter comparentibus coram eis, dicte gentes nostre judicatum predictum, secundum quod concordatum et reportatum nobis fuerat, pronunciaverunt in hunc modum, videlicet quod predicti Johannes de Trocyaco, miles, Guillelmus de Glannes, scutifer, Johannes et Guillelmus, ipsius Guillelmi de Glannes filii, Petrus le Juenne et Guillelmus le Thyais, scutiferi, pro predictis excessibus contra eos probatis, solvent nobis tria millia et quingentas libras Turonenses, pro emenda nostra, et dicte domine mille et quingentas libras Turonenses, pro suis injuriis et dampnis, et in eo quod alter dictorum condemnatorum solvere non poterit, ad alios predictos condempnatos habebitur recursus, usque ad integram solucionem quinque millium librarum predictarum; quodque dictus Percevallus d'Aunay tenebit in Castelleto nostro, Parisius, usque ad duos annos continuos, prisionem firmatam, in pane et aqua, et, dictis duobus annis completis, ipse de regno nostro imperpetuum bannietur; et contra predictos complices, vocatis partibus, absque dilacione, veritas super

PHILIPPE IV. 1312.

PHILIPPE IV, 1312.

hoc inquiretur, ad finem civilem, et, super hoc, fiet commissio ad certos auditores.

Extra parlamentum martis post festum Trinitatis.

Non habui processum. M. J. de Templo debet ipsum habere.

CIII. Inquesta facta inter preceptorem Hospitalis de Cerisers, ex parte una, et quosdam homines dicte ville, ex altera, non fuit judicata, quia partes super hoc pacificaverunt, sicut reportavit magister P. Mangon qui dictam habebat inquestam; et est in sacco hujus parlamenti.

CIV. Processus factus contra Audam, dominam de Tyranno, pro noverca sua, per judicium curie fuit anullatus; judicatum hujusmodi scriptum est in rotulo hujus parlamenti.

CV. Processus inter Raymundam Nanhana et Petrum Labrossa, in auditorio juris scripti judicatus; et est judicatum in rotulo Chalop hujus parlamenti.

Dominus P. de Blanosco vidit.

CVI. Item. Processus inter P. de Inter-Montes et Beatricem, relictam Alexandri de Sancto-Siro seu ejus heredes, in dicto auditorio juris scripti judicatus; et est judicatum in rotulo Chalop hujus parlamenti.

INQUESTE ET PROCESSUS

PER CURIAM JUDICATI IN PARLAMENTO OCTABARUM HYEMALIS FESTI BEATI-MARTINI;

ANNO DOMINI MCCCXIII.

I. Cum capitulum ecclesie Sancti-Quintini, in Viromandia, cum eorum personis et bonis, in speciali garda nostra existentes, nobis significari fecissent quod Jacobus dictus Bourgois, et Quintinus Ravenier, ville Sancti-Quintini burgenses, cum pluribus eorum complicibus, domum magistri Thome de Morlanis, ipsius ecclesie canonici, excogitata malicia, et cum armis publice aggredi presumpserunt, et ad portam ipsius domus quasi hostilem facientes insultum, eam pulsantes et alta voce clamantes, « Foras! foras! latrunculi ad mortem! » plures ibidem injurias violenter et cum armis intulerunt, in prejudicium dictorum capituli et canonici, et garde nostre contemptum, nos, super predictis, mandavimus, vocatis dictis partibus, veritatem inquiri; facta igitur, super hiis, inquesta, et ad nostram curiam, per ballivum Viromandensem, reportata, comparentibus ibidem dictis partibus, et auditis, ad illum finem utrum dicta inquesta videri deberet, auditis dictarum parcium racionibus, hinc et inde, curia nostra precepit, dictam inquestam videri et judicari : Visa igitur et diligenter examinata inquesta predicta, cum, per eam, curie nostre liquido constiterit, predictos Jacobum et Quintinum excessisse in predictis, ipsis verumtamen ad sui excusacionem dicentibus quod, cum quidam consanguineus dicti magistri Thome eorum alterum vileniasset, dictus magister Thomas, ut hoc eidem faceret emendari sufficienter requisitus, se super hoc habuerat negligenter, per quod curie nostre visum fuit dicti facti punicionem, equitate suadente, debere racionabiliter moderari, per curie nostre judicium, dictum fuit quod

PHILIPPE IV, 1313.

predicti Jacobus et Quintinus, in quindena instantis festi beati Andree, apostoli, venient in capitulo dicte ecclesie, hora tercia, et eidem capitulo, pro dictis injuriis, gagiabunt emendam; et deinde incontinenti ibunt ad domum dicti magistri Thome, et presentibus illis qui ibidem interesse voluerint, eidem canonico, pro dictis injuriis, similiter gagiabunt emendam, quodque dicti capitulum et canonicus, gagiamento hujusmodi, virtute presentis judicati pro predictis facto, erunt contenti, et quod ipsi Jacobus et Quintinus, racione dicte portacionis armorum, et dicte garde nostre violate, solvent nobis, eorum quilibet, quinquaginta libras Turonenses, pro emenda.

Dominica post Sanctum-Clementem.

Decanus Senonensis reportavit.

II. Cum dudum, propter plures excessus apud Cathalanum factos, constabularius Francie ad hoc, a domino Rege, specialiter deputatus, amoveri fecisset portas ville Cathalanensis et eciam portas banni Sancti-Petri ad montes Cathalanenses, et deinde abbas et conventus dicti monasterii, non obtenta super hoc licencia, a dicto constabulario, dictas portas suas reponi fecissent, gentes domini Regis eosdem religiosos, super hoc, ad racionem posuerunt, petentes quod ipsi hoc emendarent; ipsi vero, ad suam excusacionem, dicebant quod Petrus le Jumeaux, tunc ballivus Viromandensis, dederat eis licenciam dictas portas reponendi. Quo ballivo rebus humanis exempto, ejus heredes, super hoc, ad racionem positi, dixerunt se de hoc nichil scire, super quibus dominus Rex mandavit veritatem inquiri; visa igitur inquesta super hoc facta, per eam constitit, quod dictus ballivus licenciam concesserat predictam; dicti vero heredes proposuerunt quod, si dictus defunctus licenciam hujusmodi dederat hoc potuerat fecisse, maxime cum dictus constabularius eundem, loco sui, in hujusmodi negocio deputasset, exhibentes dicti constabularii patentes litteras, inter cetera, continentes, quod ipse, loco sui, predictum ballivum in facto hujusmodi, deputaverat, et dederat eidem potestatem justiciandi culpabiles, et alios deliberandi, prout ipse faciendum videret:

Auditis igitur, hinc inde, propositis, per arrestum curie, tam dicti religiosi quam heredes predicti a peticione dicte emende absoluti fuerunt (18). PHILIPPE IV, 1313.

Veneris post Sanctum-Andream.

III. Cum frater Guido de Chandenayo, decanus de Turribus-supra-Maternam, ordinis Clugniacensis, in speciali garda nostra existens, nobis conquestus fuisset, quod eidem, qui ad campos exierat, visurus quasdam terras dicti decanatus limitari, Guillelmus li Gras, Robinus Hurtaut, Theobaldus Coree, et quidam consortes eorum, cives Remenses, plures injurias intulerunt cum armis, requirens predicta tam nobis quam sibi competenter emendari; nos, ad ipsius instanciam, mandavimus, super hoc, vocatis partibus, veritatem inquiri : Inquesta igitur, super hoc, et super excusacionibus dictorum civium, vocatis partibus, facta, et ad nostram curiam asportata, visa diligenter et examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicti cives, ad certos diem et horam, per ballivum Viromandensem prefigendos eisdem, ibunt ad locum predictum in quo dictus decanus asserit se vileniatum fuisse, et eidem decano, pro predictis, gagiabunt emendam, quodque dictus decanus gagiamento hujusmodi contentus, nihil aliud petere poterit ab eis pro predictis, virtute judicati presentis.

De emenda vero domini Regis curia tacuit, et ex causa.

Lune post Sanctum-Nicholaum hyemalem.

IV. Cum, inter Marcellum de Canchi, et domicellam Mathildim, dictam la Prevoste, racione prepositure de Villers, ex una parte, et preceptorem domus Hospitalis loci ejusdem, ex altera, lis fuisset mota, in curia de Dorlans, super eo quod dicti prepositi dicebant se injuste, et de novo, impeditos per dictum preceptorem in tercia parte emendarum et quibusdam aliis expletis ad eos pertinentibus in loco predicto, ratione dicte prepositure; et e contra dictus preceptor dicebat se esse in saisina quod, ad ejus mandatum, dicti prepositi fa-

PHILIPPE IV, 1313.

cere tenentur expleta justicie que accidunt ibidem, pro quibus faciendis, dicti prepositi, per manum dicti preceptoris, habent terciam partem emendarum que inde levantur ; item quod idem preceptor est in saisina quittandi, pro voluntate sua, dictas emendas, et tunc dicti prepositi nichil habent de dictis emendis sic quittatis; auditis hinc inde propositis, et visis deposicionibus testium a dictis partibus productorum, homines, judicantes in dicta curia, judicatum suum inter dictas partes, sub certa forma, protulerunt; a quo judicato, in quantum contra dictum preceptorem faciebat, idem preceptor, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in causa appellacionis hujusmodi, dictis partibus, et visis processibus antedictis, cum ibidem inventum fuerit quosdam articulos impertinentes propositos fuisse, super eo quod dicti prepositi dicebant se in feodum tenere a Johanne de Mailliaco, milite, illud quod ipsi habent apud Villers, dicto preceptore contrarium asserente, hominesque predictos hujusmodi articulos admisisse, probaciones super eis recepisse, et tandem super ipsis judicasse, curia nostra totalem processum, super dictis articulis impertinentibus, factum penitus anullavit; ita tamen, quod, ex anullacione predicta, neutri parcium predictarum, super hujusmodi articulis impertinentibus, prejudicium generetur vel commodum acquiratur, et, per suum judicium, dicta curia nostra pronunciavit dictos homines, quantumad hoc male judicasse, dictumque preceptorem bene appellasse, et quod dicti homines hoc emendabunt; in ceteris vero articulis, in judicato predicto contentis, curia nostra confirmavit judicatum predictum; emendam vero predictam curia nostra taxavit ad centum libras Turonenses, et, ex causa, precepit quod ballivus Ambianensis, de dicta emenda, sexaginta libras Parisienses tantummodo levet.

Dominica post Sanctam-Luciam.

V. Processus inter Guidonem Dalbon, et Matheum de Talari, milites, factus, super quo, de voluntate curie et sine emenda, compromissum est et pacificatum, prout continetur in quadam littera,

duobus sigillis sigillata, super hoc facta, que littera est in sacco hujus parlamenti cum cedulis. PHILIPPE IV, 1313.

VI. Cum, mota discordia inter Johannem Coquilardi, militem, et Gilam de Ponderont, nunc ejus uxorem, relictam defuncti Johannis de Cramailles, militis, ex una parte, et Johannem dictum le Borgne de Cramailliis, et Guillelmum et Robertum, ejus fratres, milites, liberos dicti defuncti, ex prima uxore sua, ex altera, racione dotalicii ipsius Gile, necnon bailli liberorum suorum bonorumque pertinencium ad eos, ac racione mobilium et conquestuum factorum, durante matrimonio inter ipsam et defunctum predictum, commissiones, sub certa forma, super hiis, fecissemus ad decanum Silvanectensem et ejus collegas, et coram eis dicti fratres proposuissent quod ipsi, virtute dictarum commissionum, in causis hujusmodi procedere non debebant, pro eo maxime, ut dicebant, quod super hiis cause pendebant inter ipsas partes in assisiis Laudunensibus et Petre-Fontis, de qua nulla fiebat mencio in commissionibus predictis; tandem dicti commissarii, per suum judicium, pronunciaverunt, dictos fratres, non obstantibus eorum racionibus, teneri super hiis procedere coram eis; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dicti fratres ad nostram curiam appellarunt. Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis commissionibus et processu predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit eosdem commissarios male judicasse, et dictos fratres bene appellasse, et quod, in causis hujusmodi, in statu in quo sunt, in predictis assisiis, dicte partes ulterius, in parlamento nostro, procedent.

Jovis ante Nativitatem Domini.

VII. Cum comitissa Attrebatensis, asserens se esse in saisina instituendi et destituendi rectorem in hospitali de Conchy, siti in castellania de Hesdino, sub districtu et dominio dicte comitisse, necnon gardiandi dictum hospitale et audiendi compotos rectoris ejusdem; seque, prout ad eam pertinebat, Johannem Bouchier, tunc rectorem

PHILIPPE IV, 1313.

dicti hospitalis, cum Johanna Belle-Pignee, ejus uxore, propter malam ipsorum administracionem et conversacionem inhonestam, ut ipsa dicebat, amovisse ab administracione predicta et eandem administracionem, predicta saisina sua utendo, cuidam alii persone ydonee commisisse, conquereretur ex eo quod Robertus de Villa-Nova, tunc ballivus Ambianensis, dicta comitissa non vocata, et sine cause cognicione, dictam personam, per eam institutam ibidem, a regimine dicti hospitalis amovit, et ibidem reposuit conjuges supradictos, quodque dictus ballivus, virtute mandati nostri, super hoc sibi directi, ad instanciam dicte comitisse inde conquerentis, predictos conjuges amovit ab administracione predicta, et dictam comitissam permisit alium rectorem ponere in hospitali predicto, et quod deinde, pretextu quarumdam aliarum litterarum nostrarum, veritate de premissis tacita, obtentarum, dictus ballivus inde amovit personam predictam, per dictam comitissam in dicto hospitali positam, et ibidem reposuit conjuges predictos, dicta comitissa ad hoc seu ejus gentibus non vocatis, requirens ea que, super hoc, per dictum Robertum indebite facta sunt totaliter revocari, et eam saisina sua predicta permitti gaudere et uti, Leonardo Le-Sec, nunc gardiatore ballivie Ambianensis, e contrario requirente quod quedam inqueste seu informaciones que super hoc facte sunt viderentur, et, eis visis, curia nostra super hiis ordinaret quod videret racionabiliter faciendum; dicta comitissa e contrario proponente, se nolle stare dictis inquestis seu informacionibus, cum ad eas faciendas vocata non fuerit, ut dicebat: Tandem, auditis hinc inde propositis, et visis informacionibus predictis, quanquam, per eas, videretur posse constare de bono portamento conjugum predictorum, quia tunc, per eas, non constitit dictam comitissam ad eas faciendas vocatam fuisse, curia nostra non processit ad judicandum informaciones predictas, sed, ex officio suo et equitate pensata, super debato hujusmodi taliter ordinavit quod ex nunc dicti conjuges reponentur in administracione predicta, et ipsis interim ibidem remanentibus, ad inquirendum de portamento ipsorum super dicti hospitalis administracione, dicta

comitissa unum virum ydoneum deputabit, et curia nostra eidem deputato alium ydoneum, ex parte nostra, ex officio suo, ad hoc adjunget, absque prejudicio comitisse predicte; qui deputati, si per eorum inquestam quam super hoc, partibus vocatis, facere debebunt, invenerint dictos conjuges se in administracione predicta sufficienter hactenus habuisse, dictam administracionem dimittent eisdem; si vero, per inquestam predictam, liquido eis constet dictos conjuges sufficientes non esse ad tenendum administracionem predictam, ipsos inde amovebunt, et dicta comitissa, jure suo, alium administratorem ydoneum ponet ibidem; si vero concordes in hujusmodi non fuerint deputati predicti, aut dubium aliud super hoc incidat inter eos, ipsi dubium hujusmodi sufficienter per eos, vocatis partibus, inquisitum, ad nostram curiam reportabunt, ad nostrum futurum proximo parlamentum, et tunc, visa eorum inquesta, per curiam nostram, super dubio predicto, dicta comitissa, consilio camere nostre, jure suo utendo, super hoc acquiescet, alioquin camera nostra id quod racionabiliter faciendum fuerit super hoc ordinabit. PHILIPPE IV. 1313.

Jovis ante Nativitatem Domini.

Curia deputavit ad hoc Johannem de La-Lagne, militem, et comitissa, scolasticum Ambianensem.

VIII. Cum domicella Ada du Kaisnel, in curia nostra, peticionem suam, in causa proprietatis, fecisset contra Odardum de Hangesto et Coletam Germainne, ejus uxorem, super certa hereditate que vocatur la Vigne-au-Val, centum et quatuor terre jornalia continente, dictique conjuges, ut eandem domicellam, super hoc, repellerent ab agendo, excipiendo proposuissent contra eam quod ipsa domicella, tanquam heres defuncti patris sui, qui pater, dum vivebat, vendiderat hereditatem predictam, tenebatur eisdem hereditatem hujusmodi garantire; et e contra dicta domicella, ad illum finem quod ipsa non teneretur dictam hereditatem dictis conjugibus garantire, plures raciones et plura facta contraria proposuisset; tandem, super articulis dictarum parcium, factis ad finem dicte garancie faciende

PHILIPPE IV, 1313.

vel non, mandavimus, vocatis partibus, veritatem inquiri : Inquesta igitur super hoc facta, visa per curiam nostram et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta domicella, pro illa parte pro qua ipsa est heres dicti patris sui, garantire tenetur dictis conjugibus hereditatem predictam.

Dominica ante Nativitatem Domini.

IX. Cum, in curia de Dorlans, lis mota fuisset, inter Johannem de Biau-Val, scutiferum, ex una parte, et scabinos ville ejusdem, pro se et habitatoribus dicte ville, ex altera, super pluribus articulis contenciosis inter partes predictas, dicto Johanne in primo suo articulo proponente, se esse in saisina capiendi, levandi et habendi farinam, pro suo fornagio preparando, a qualibet persona coquente ad furnos suos de Bella-Valle; dictis scabinis contrarium asserentibus, prout in judicato hominum dicte curie de Dorlans plenius continetur; cujus tenor sequitur in hec verba : « Du debat meu entre Jehan de Biau-Val, d'une part, et les eschevins de Biau-Val, pour les habitanz de ladite ville, d'autre, sus ce que lidit Jehan dit et maintient contre les diz habitanz qu'il est en bone saisine, par lui ou par ses genz, ou par les genz de ses devanciers de cui il ha cause, de prendre, recevoir, lever et avoir de la farine de toutes les personnes qui fournient au fours de Biau-Val pour faire ses fournages et de chascune personne, selonc sa porcion; item, de prendre, recevoir, lever et emporter de touz les habitanz de ladite ville, quant il fournient a ses fours, la farine qui demoure sus les couches ou l'en ha mis le pain, et d'escourre lesdiz couches quant li pains est mis ou four; item, de prendre et recevoir l'escousseure des corbeilles quant la paste est ostee; item, la farine qui demeure sus le maisse quant les personnes qui fournient a ses fours ont leurs pains faiz et elles ont oste les monciaux de farine s'eles les ont; item, de recevoir de chascun menage de touz les habitanz de la ville de Biau-Val, quant il ont fournie a ses fours, en celle annee, un pain a Noel, pour cause du dit fournage, et que des choses desus dites est et ha este en saisine;

la quele chose lidit eschevin, pour lesdiz habitanz, li ont mis en ni, et ont offert a prouver qu'il sont et ont este en saisine et possession, et de tel temps que valoir leur doit a saisine aquerre, de fournier ausdiz fours en paiant, de trente un pains, un pain en paste tant seulement et senz autre redevance paier; item, de fournier offrendes, falves, tourtiaux a leur fournees et des quignez au Noel, senz nient paier de fournage, parmi un pain que li cuisant ausdiz fours paient au Noel de tel pain comme cil est de leur fournée; item, que quant cil qui ont tenu lesdiz fours, de par Jehan ou de par ses devanciers, ont eu aucune foiz mestier d'un pou de farine, il ont prie et requis aucunes d'icelles qui fournioient que l'en leur donast de la farine, et moult de foiz leur refusoit l'en, et il s'en souffroient, et quant on leur donnoit, il disoient grant merciz et Dex le vous mire, laquele chose lidit Jehan leur ha mis en ni, et ha offert chascune des parties ses faiz a monstrer. Veue l'enqueste sus ce faite, rapportee en jugement, close et seellee, avec les raisons de droit et reprouches d'une partie et d'autre, dit est, et a droit, que lidit Jehan ha bien prouve sa saisine desreainnement, quant a ses quatre premiers articles, en la maniere qu'il en parolent, et lidit eschevin moins souffisanment; et, quant au quint, ouquel lidit eschevin propousent que pour le pain dont mention est faite oudit article, lidit Jehan leur doit cuire tourtiaux, falves, offrendes et quignez au Noel, laquele chose lidit Jehan leur nia; dit est par droit que lidit eschevin l'ont bien prouve : » auditis partibus, et visis earum probacionibus, ac inquesta facta super predictis, homines dicte curie judicatum suum, sub certa forma, super hiis protulissent, scabini predicti ab hujusmodi judicato, in quantum contra se et dictos habitatores faciebat, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, et visis processibus et inquesta predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos homines, quantum ad dictum primum articulum dicti Johannis, male judicasse et dictos scabinos bene appellasse, in ceteris vero articulis, in judicato predicto contentis, curia nostra confir-

PHILIPPE IV. 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

mavit judicatum predictum, et, ex causa, quittavit dictis hominibus mendam predictam.

Dominica post Sanctam-Luciam.

X. Cum, super eo quod, coram ballivo Silvanectensi, in assisia sua Petre-Fontis, fuit propositum, ex parte nostra, contra Gilonem de Vaux, majorem de Jansy, et Johannem Vantelot, ejus filium, quod ipsi, cuidam servienti nostro, qui quosdam armatos ceperat, rescussam fecerant et prisionem eisdem, per prepositum Petre-Fontis, propter hoc injunctam, fregerant, dicti pater et filius, facta hujusmodi confitentes, gagiassent emendam, et postmodum, in alia dicti ballivi assisia Petre-Fontis, presentibus ibidem dictis patri et filio ac preposito supradicto et requirentibus dictam emendam taxari et judicari, emenda predicta, quantum ad dictum prepositum, per homines nostros, in dicta assisia judicantes, taxata et judicata fuisset, et, quantum nos tangit, ejusdem emende fuisset nobis seu nostre curie taxacio reservata; dicti pater et filius, quasdam, postea, super facto hujusmodi, subrepticias litteras obtinuerunt a nobis, ad decanum Silvanectensem, quarum virtute, idem decanus quandam, super hoc, fecit aprisiam seu inquestam; quam inquestam, in presenti parlamento exhibitam, dicti pater et filius videri pecierunt et judicari : Auditis igitur, super hoc, tam dictis requirentibus pro se, quam nostris gentibus ex adverso, visisque, tam litteris dictorum hominum super dicto judicato confectis, quam litteris nostris predictis decano predicto directis, curia nostra, per suum judicium, totalem processum, super hoc, per dictum decanum, virtute litterarum predictarum sibi directarum, factum, anullavit omnino, et predictos patrem et filium, propter factum hujusmodi, nobis in emendam quadraginta librarum Turonensium condempnavit.

Lune post Nativitatem Domini.

XI. Cum, inter Mariam la Micarde, relictam defuncti Thome Micart, ex una parte, et Vedastum d'Angicourt, ex altera, coram nunc

ballivo Silvanectensi, mota fuisset discordia, super quibusdam articulis contentis in judicato seu littera Roberti de Villa-Nova, dicti ballivi predecessoris, cujus tenor sequitur in hec verba : « Robert de Ville-Neuve, bailli de Senliz, a Odart Raymbert, Guiart Boutart, Oudet de Liencourt et Marcheant, sergenz le roy en la prevoste de Senliz, ou a l'un d'eus salut : A chascun de vous mandons et commetons que vous, ces lettres veues, senz nul delay, contraignez Vaast d'Angicourt, fermier de Courtillet, a paier et a rendre a Marie la Micarde, neuf muis de ble esquels il ha este condampnez par nostre sentence contre li en nostre darreniere assise de Senliz; item de douze livres, pour les fourrages que elle avoit en la granche de Courtillet quant il entra en la ferme; item, de vingt soulz, pour le poisson du vivier; item, de vint soulz, pour le columbier; item, pour escharaz, plantes, fagoz, buche, rabatuz les frez, soissante dis et sept soulz; item, vint solz, pour ce meesmes; item, pour autres escharaz, plantes, buche de l'an nuef, cent et douze solz, rabatu les couz; item, en cel an mesmes, escharaz, plantes, fagoz, rabatu les frez, coupez par Perot Beguin, Huet Beguin et Hubert Boulon, sis livres onze solz huit deniers; item, de trente et une mines d'avoine pour les terres de Aspremont-en-Marz; item, quatre solz pour un pourcel; item, pour feurre, douze solz, et le remanant monseigneur Challes fist lever par sa gent, dont lidit Vaast dit que il n'ot que les douze solz desusdiz; item, pour les jardins, soissante-diz solz que il rezçut de Jehan de Reins. Somme de l'argent, trente-cinc livres sept solz huit deniers Parisis, et nuef muis de ble et l'avoine desusdite ou la value, esquels choses lidit Vaast a este condempnez a nostre assise desusdite envers ladite fame, par bons tesmoingz que elle ha trait a ce prouver et par la confession dudit Vaast en aucunes choses; si faites tant de ce que ladite fame n'en retorne plus par votre defaute. Donne au Moncel le jour de la Sainct-Nicholas en may, l'an mil trois cens et onze. » Dictus nunc ballivus Silvanectensis, auditis partibus, et viso quodam processu, per suos commissarios super hoc facto, judicatum suum, sub certa forma, tulisset pro dicta Maria contra Vedastum predictum,

PHILIPPE IV. 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

idem Vedastus, a dicto judicato, tanquam falso et pravo, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu, judicato et littera supradictis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod omissis, sine emenda, appellacione predicta, necnon dicti nunc ballivi judicato predicto, dicti Roberti de Villa-Nova, tunc ballivi Silvanectensis, judicatum seu littera cujus tenor superius est expressus, ex integro mandabitur execucioni; hoc salvo quod, si dictus Vedastus aliqua de contentis in dicta littera predicte Marie solverit, illa sibi deducentur.

Lune post octabas Epiphanie.

XII. Cum, in causa proprietatis, coram ballivo Senonensi mota, per abbatem et conventum de Barbael contra habitatores ville de Capella-domini-Galteri, super saisina dictis habitatoribus adjudicata de ducendo et faciendo depasci bestias eorum in nemoribus religiosorum predictorum, dicti habitantes, excipiendo, proposuissent se non teneri procedere super hoc cum religiosis predictis, quousque ipsi restituissent eisdem prisias quas iidem religiosi supra dictos habitantes, dicta saisina sua utentes, racione bestiarum ipsorum habitancium in boscis dictorum religiosorum depascencium fecerant, ut dicebant, contra judicatum pro dictis habitantibus factum super saisina predicta; dictis religiosis e contrario proponentibus, se nichil fecisse contra judicatum predictum, dictosque habitantes, non obstante eorum excepcione predicta, teneri procedere cum dictis religiosis in causa proprietatis predicte; auditis hinc inde propositis, Philippus de Betisy, locum tenens dicti ballivi, certam diem predictis partibus assignavit ad audiendum jus utrum procurator dictorum habitancium teneretur procedere super peticione predicta cum dictis religiosis, vel si dicti religiosi ante omnia tenerentur habitantes eosdem de dictis prisiis resaisire; ad quam diem dictis partibus, ut premissum est, assignatam, idem locum tenens, per suum judicium, pronunciavit declaracionem quandam per Guillelmum de Hangesto, quondam ballivum Senonensem, factam, super predicto judicato dicte

saisine, debere teneri et observari ; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictorum habitancium procurator ad nostram curiam appellavit ; constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, dictorum appellancium procurator peciit, per curiam nostram, pronunciari dictum locum tenentem male judicasse et se bene appellasse, pro eo maxime, ut ipse dicebat, quod super alio fuerat judicatum quam super eo super quo ad jus audiendum dies fuerat dictis partibus assignata, parte adversa plures raciones e contrario proponente : Auditis igitur, super hoc, dictarum parcium racionibus, et visis assignacione, judicatis, declaracione et processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum locum tenentem male judicasse et dictorum habitancium procuratorem bene appellasse, quodque dicte partes ulterius procedent, in eorum principali causa predicta, coram ballivo predicto.

PHILIPPE IV, 1313.

Lune post octabas Epiphanie.

XIII. Super eo quod Symon de Calixte, scutifer, proponebat contra Jacobum de Ferrart, lumbardum, coram preposito Parisiensi, quod dictus Jacobus, de nocte, fraudulenter et maliciose et baratando dictum Symonem, per falsos decios, ad ludum grieschie, habuerat ab ipso, ceperat et asportaverat de pecunia dicti Symonis usque ad summam centum et quinquaginta librarum Parisiensium indebite et injuste et contra voluntatem dicti Symonis, quare petebat dictum Jacobum condempnari ad reddendum sibi summam peccunie supradictam, taxacione judicis legittima, si necesse esset, precedente; dicto Jacobo plures ad sui defensionem raciones in contrarium proponente, dictus prepositus, cognito de causa hujusmodi, dictum Jacobum, per suum judicium, condempnavit ad reddendum dicto Symoni centum libras Parisienses, causis et racionibus supradictis; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, per dictum Jacobum, ad nostram curiam, extitit appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus in causa appellacionis predicte, et viso processu cause predicte, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judi-

PHILIPPE IV, 1313.

casse, et dictum Jacobum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Veneris post octabas Epiphanie.

Creci reportavit.

XIV. Cum Adam de Meulento, panetarius noster, ageret contra Agnetem la Bourdonne, coram preposito Parisiensi, dicendo quod, ipso existente in saisina medietatis cujusdam domus site Parisius, in vico Poterie, virtute cujusdam tradicionis seu concessionis, super hoc sibi facte, pro certa pensione annua, ab Ysabelli de Sancto-Dyonisio et Nichasio, ejus marito, quamdiu ipsa Ysabellis viveret tantummodo, cujus domus saisina, per dictum prepositum, fuerat alias, contra dictam Agnetem, predicte Ysabelli, advitam suam, racione sui dotalicii, adjudicata, dictaque Agnes condempnata fuerat dicte Ysabelli ad dividendum cum ipsa domum predictam, dicta Agnes predictum Adam impediebat in saisina medietatis dicte domus, indebite et de novo; quare petebat dictam Agnetem condempnari et compelli ad cessandum ab hujusmodi perturbacione et impedimento, et ad faciendum, cum ipso, divisionem de domo supradicta; dicta Agnete plures raciones in contrarium proponente, et specialiter quandam consuetudinem notoriam, ut dicebat, videlicet quod mulier non potest alienare rem dotalem in aliam personam quam in proprietarium dicte rei, alioquin jus dotalicii consolidatur cum proprietate; dictus prepositus, auditis hinc inde propositis, visisque deposicionibus testium, super hoc, a dictis partibus productorum, ac sufficienter informatus, ut ipse dicebat, super dicta consuetudine, pro notoria allegata, utrum ita esset vel non, sicut proponebatur, visoque judicato, de quo superius facta est mencio pro dicta Ysabelli facto, per suum judicium, adjudicavit saisinam medietatis dicte domus dicto Ade quamdiu dicta Ysabellis de Sancto-Dyonisio vixerit, condempnando dictam Agnetem ad faciendum divisionem, cum dicto Adam, de domo supradicta; a quo judicato, tanquam falso et pravo, per dictam Agnetem, ad nostram curiam fuit appellatum : Auditis igitur dictis partibus in causa appel-

lacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictam Agnetem male appellasse, et quod ipsa hoc emendabit. PHILIPPE IV, 1313.

Veneris post octabas Epiphanie.

Creci reportavit.

XV. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Reginaldum Coquel, ex parte una, et Arnulphum de Alta-Domo, ex altera, super eo quod, duarum litterarum, sigillo domini Regis, prepositurarum de Compendio et de Choisy, sigillatarum, continencium ipsum Arnulphum, dicto Reginaldo et ejus, in hujusmodi causa, consortibus, in certis pecunie summis, certis reddendis terminis, esse obligatum, contra Arnulphum predictum, execucio petebatur fieri, per prepositum antedictum, dicto Arnulpho predictam execucionem faciendam non esse, ipsumque absolvi debere a peticione predicta, pluribus racionibus, proponente; idem prepositus, auditis super hoc dictis partibus, visoque processu super hoc habito, coram ipso, ac litteris antedictis, per suum pronunciavit judicium dictum Arnulphum minus sufficienter super hoc suam intencionem probasse, et quod, non obstantibus per eum propositis, fiet execucio dictarum litterarum contra eundem Arnulphum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, ex parte dicti Arnulphi, extitit ad nostram curiam appellatum: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et litteris predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Arnulphum seu ejus procuratorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Lune ante Candelosam.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XVI. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, inter procuratorem nostrum dicte senescallie pro nobis, ex una parte, et consules ville Sancti-Cirici-in-Popia, ex altera, super eo quod dictus procurator noster, contra dictos consules, proponebat quod, cum quidam

PHILIPPE IV, 1313.

malefactores suspecti de morte Bernardi Cot, filii Arnaldi Cot, in domo Guillelmi de Tholosa, dicte ville habitatoris, se reclusissent, gentesque nostre ad dictam domum, pro capiendis dictis malefactoribus, accessissent et eosdem malefactores in ipsa domo existentes capere vellent, predicti consules, ad portam dicte domus existentes, dictas gentes nostras impediverunt quominus caperent malefactores predictos, licet ipse gentes nostre eisdem consulibus, ex parte nostra, preciperent quod eas permitterent dictam domum intrare et dictos capere malefactores, dicti vero malefactores, consilio et auxilio predictorum consulum, aufugerunt; postea vero dicte gentes nostre, attendentes quod dicti consules eosdem malefactores in sua potestate habebant, preceperunt eis, ex parte nostra, quod eos sibi redderent; qui consules, super hiis, totaliter inobedientes fuerunt; quare petebat dictus procurator noster quod commissarii, super hoc, a dicto senescallo deputati, super premissis veritatem inquirerent, et dictos consules inde punirent, prout justicia suaderet; dictis consulibus, ad sui defensionem, plures raciones proponentibus ex adverso; qui commissarii super propositis hinc et inde suam fecerunt inquestam, quam inquestam magister Yvo de Laudunaco, clericus, et Johannes Roberti, miles nostri, ad dictam senescalliam a nobis destinati, ad puniendum excessus ibidem commissos, et judicandum inquestas super hiis factas, quas non invenirent judicatas fuisse, vocatis dictis partibus et auditis earum racionibus, judicaverunt dictos consules nobis in trecentis libris Turonensibus, ex causis predictis, et dictis commissariis et Arnaldo dicto Cot, patri dicti Bernardi interfecti, qui dictam causam fuerat prosecutus, pro labore eorum et expensis propter hoc factis taxatis et juratis in quadraginta libris Turonensibus sentencialiter condempnarunt; a qua sentencia, tanquam iniqua, dicti consules ad nos appellarunt; que causa appellacionis postea fuit certis personis commissa; tandem cognito de predicta appellacionis causa, processus predicti, tam principalis cause quam appellacionis predicte, remissi fuerunt ad nostram curiam judicandi : Auditis, super hoc, dictis partibus, et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum

fuit predictos clericum et militem bene judicasse et dictos consules male appellasse, et mandabitur execucioni condempnacio predicta. PHILIPPE IV, 1313.

Lune ante Candelosam.

Housseia reportavit.

XVII. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, inter procuratorem nostrum dicte senescallie, pro nobis, ex una parte, et Guillelmum de Tholosa, seniorem, Bertrandam, ejus uxorem, Guerardum Ryota et ejus uxorem, necnon Guillelmum et Johannem de Rofinhaco, fratres, ac Guillelmum Bloquier, ex altera, super eo quod dictus procurator noster, contra dictos reos, proponebat quod ipsi suspecti erant de morte Bernardi dicti Cot, et coram commissariis a dicto senescallo super hoc deputatis, certam peticionem, racione facti hujusmodi, contra eos fecisset, dictis reis, ad sui defensionem, plures raciones proponentibus ex adverso, dicti commissarii, super propositis hinc et inde, suam fecerunt inquestam; quam inquestam magister Yvo de Laudunaco, clericus, et Johannes Roberti, miles nostri, ad dictam senescalliam, a nobis destinati, ad puniendum excessus ibidem commissos, et judicandum inquestas, super hiis, factas, quas non invenirent judicatas fuisse, vocatis dictis partibus et auditis earum racionibus, judicaverunt dictos reos nobis in ducentis libris Turonensibus, ex causis predictis, et Arnaldo dicto Cot, patri dicti Bernardi interfecti, qui dictam causam fuerat prosecutus, pro expensis suis, in viginti libris Turonensibus sentencialiter condempnarunt; a qua sentencia, tanquam iniqua, dicti rei ad nos appellarunt, que causa appellacionis fuit postea certis personis commissa; tandem cognito de predicta appellacionis causa, processus predicti, tam principalis cause quam appellacionis predicte, remissi fuerunt ad nostram curiam judicandi : Auditis igitur super hoc dictis partibus et visis processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos clericum et militem nostros male judicasse et dictos reos bene appellasse, nec mandabitur execucioni condempnacio predicta.

PHILIPPE IV, 1315.

Lune ante Candelosam.

Housseya reportavit.

XVIII. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Johannem de Guynes, militem, racione Johanne, uxoris sue, relicte defuncti Mathei de Monte-Morenciaco, quondam fratris Johannis, domini nunc de Monte-Morenciaco, militis, suo et dicte uxoris sue nomine, ex parte una, et dictum dominum de Monte-Morenciaco, heredem dicti Mathei, ut dicitur, ex alia, super eo quod idem Johannes de Guynes, quo supra nomine, quarumdam litterarum, sigillo Castelleti Parisiensis sigillatarum, continencium certas hereditates, in dictis litteris declaratas eidem Johanne esse, racione sui dotalicii, assignatas et traditas a dicto domino de Monte-Morenciaco execucionem fieri petebat, quodque manus domini Regis, in dictis hereditatibus apposita, racione adimplende dicte execucionis, ibidem remaneat, quousque completa fuerit execucio predicta, dicto domino de Monte-Morenciaco plures raciones e contrario proponente; idem prepositus, auditis, super hoc, hinc inde propositis, visisque litteris antedictis, cum dicte partes plura facta contraria super hoc proposuissent, per suum judicium, pronunciavit dictas partes esse admittendas ad probandum facta sua, super hoc proposita hinc et inde, in quantum recipienda erant de jure, ad illum finem ad quem dicte partes facta eorum proponebant, et quod dicta manus regia, in dictis hereditatibus, racione predicta, apposita, ibidem, dicta lite pendente, remanebit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus dominus de Monte-Morenciaco ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in nostra curia, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et litteris antedictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit dictum prepositum bene judicasse et eundem dominum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit; et ad procedendum ulterius in dicta causa, secundum tenorem judicati predicti, per dictum prepositum facti, curia nostra dictas partes ad eundem prepositum remisit.

Lune ante Candelosam.

M. Yvo Prepositi reportavit. PHILIPPE IV, 1313.
Remissus fuit processus preposito.

XIX. In causa saisine que, coram Parisiensi preposito, vertebatur inter Petronillam, relictam defuncti Johannis Lavache, et Giletum, ejus filium, ex una parte, et Stephanum Fabrum dictum le Tesserrant, et Genovefam, ejus uxorem, ex altera, in qua dictus prepositus admisit facta hinc inde proposita, ad probandum, ac pronunciavit recredenciam esse faciendam dicte Petronille et ejus filio de medietate bonorum que possidebat dictus maritus suus, tempore quo ipse decessit, dicti Stephanus et Genovefa, ejus uxor, a judicato predicto, tanquam falso et pravo, ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Lune predicta.

Creci reportavit.

XX. Cum magistri Johannes de Ceres et Johannes de Dyvione, a nobis deputati in negocio judeorum, certum commissarium in balliviis Trecensi et Calvi-Montis, pro se deputassent, in negocio predicto, et ipse traxisset in causam, coram se, procuratorem abbatis et conventus Clare-Vallis super ducentis et octoginta libris Turonensibus, in quibus dicti religiosi Fantino, judeo de Barro-super-Albam, ex vendicione coriorum, dicebantur teneri, et cognito de dicta causa, dictum procuratorem ad reddendum nobis et dicto judeo dictam summam pecunie, per suum judicium, condempnasset, idem procurator, a dicto judicato, tanquam a falso et pravo, ad deputatos predictos appellavit; qui deputati, in causa hujusmodi procedentes, per judicium suum, confirmaverunt judicatum predictum; a quorum judicato dictus procurator iterato ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque dictis processibus,

PHILIPPE IV, 1313.

per curie nostre judicium, dictum fuit predictos deputatos et eorum commissarium bene judicasse, dictumque procuratorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Lune post Conversionem sancti Pauli.

XXI. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Johannem de Corbolio, civem Parisiensem, ex parte una, et Johannem Bequet, garandum Stephani de Vitriaco, civis Parisiensis, ex alia, super eo quod idem Johannes de Corbolio quamdam domum sitam in Veteri-Draperia, Parisius, quam inhabitat, idem Stephanus, ad eundem Johannem, ut ipse dicebat, pro dimidia parte et pro indiviso pertinentem, ex successione defunctorum Stephanoti Mouton, fratris sui, ac Johanne, matris eorum, petebat dividi et ad se, pro parte dimidia, pertinere, ex causa predicta declarari, dicto Johanne Bequet, pluribus racionibus, proponente petita fieri non debere, dictus prepositus, auditis super hoc dictis partibus, cognitoque de causa predicta, per suum judicium, absolvit Johannem Bequet et Stephanum de Vitriaco antedictos a peticione predicta, a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Johannes de Corbolio ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et eundem Johannem de Corbolio male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Veneris ante Candelosam.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XXII. Cum, coram preposito Parisiensi, procurator noster, pro nobis, ac Symon de Spernone, tenens constumas halagii nostri Parisiensis, proponerent, contra mercatores pannorum de Broissellis, quod nos et tenentes dictas constumas sumus et fuimus, a tanto tempore cujus memoria non existit, in bona saisina habendi et recipiendi, ab omnibus mercatoribus foraneis qui adducunt seu adduci faciunt pannos, ad vendendum in villa Parisiensi, a quolibet mer-

catore, quadraginta solidos Parisienses aut certam financiam de qua concordaverint inter se dicti mercatores et tenentes constumas predictas, exceptis duobus primis sabbatis in quibus dicti foranei, de pannis quos ipsi vendunt, non tenentur solvere nisi tres obolos, pro quolibet panno vendito; item quod dicti mercatores de Broissellis indebite et de novo quedam horrea ubi consueverunt vendi allia et cepe, ordinaverunt, ad vendendum pannos suos, et eos ibi vendunt, in prejudicium jurium nostrorum et contra proclamationem, ex parte nostra, publice factam ne quis vendat pannos nisi nostris in halis, ad hoc specialiter deputatis, dictosque quadraginta solidos seu financiam consuetam solvere contradicunt injuste, quare petebant, nomine quo supra, dictos mercatores et eorum quemlibet condempnari et compelli ad solvendum nobis dictos quadraginta solidos seu financiam predictam et ad emendandum nobis factum predictum, necnon ad admovendum impedimenta in dicta saisina nostra indebite apposita per eosdem, dictis mercatoribus plures raciones proponentibus ex adverso, et maxime quod ipsi, solvendo tres obolos, pro quolibet panno vendito, et sex denarios, pro tholoneo seu leuda, libere poterant vendere pannos suos extra halas nostras, absque alia redebencia qualicunque, exceptis duodecim solidis Parisiensibus, quos ipsi in nundinis Sancti-Germani et Sancti-Lazari, pro archis, solvere tenentur; dictus prepositus, auditis hinc inde propositis, cognitoque de causa predicta, adjudicavit nobis saisinam eorum de quibus, ut premissum est, contendebatur, condempnando specialiter dictos mercatores nobis et dicto Symoni, prout ipsum tangit, ad solvendum quadraginta solidos supradictos; a quo judicato, tanquam falso et pravo, ex parte dictorum mercatorum, ad nostram fuit curiam appellatum : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, visoque et diligenter examinato processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos mercatores male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

PHILIPPE IV, 1313.

Veneris ante Candelosam.

PHILIPPE IV, 1313.

Creci reportavit.

XXIII. Lite mota, coram Benedicto de Sancto-Gervasio, auditore Castelleti Parisiensis, inter Robertum de Langre-Ville et consortes suos, ex una parte, et Symonem, capellanum capelle domini Regis ville Sancti-Germani-in-Laya, ex altera, super eo quod dictus Robertus et ejus consortes certas res hereditarias ipsius Symonis, de quibus fuerat facta ostensio, sibi et consortibus suis obligatas, per litteras Castelleti Parisiensis, tam ex causis in dictis litteris contentis quam eciam in processu, coram dicto auditore, inter dictas partes, habito, declaratis, petebant eis adjudicari, tenendas et possidendas, vendendas et explectandas, tanquam sibi ypothecatas, usque ad plenam satisfactionem, deliberacionem et garandiam omnium, tam in dictis litteris quam eciam in libello dictorum agencium contentorum; dicto Symone in contrarium proponente quod, cum ipse esset persona ecclesiastica, ipse non tenebatur, coram dicto auditore, in actione personali, qualem esse dicebat actionem contra ipsum propositam, respondere, et maxime cum res in dictis litteris contente, sub juridicione prepositi Parisiensis non existerent, ut ipse dicebat; dictus vero auditor, per suam interlocutoriam, pronunciavit, dictum Symonem, quantum ad actionem predictam, contra eum intentatam, ad judicem ecclesiasticum, et cognicionem dictarum rerum, ad dominos feudorum, esse remittendos; de qua interlocutoria dicti Robertus et ejus consortes emendacionem Parisiensis prepositi pecierunt; qui prepositus, auditis partibus, et viso dicto processu, inter dictas partes habito, per suum judicium, pronunciavit, dictum auditorem male pronunciasse, et predictum Symonem, super dicta actione ypothecaria, contra eum intentata, coram dicto preposito, respondere debere, et quod cognicio dictarum rerum, per litteras dicti Castelleti, per eum obligatarum, maxime cum ipse eas jurisdictioni prepositi Parisiensis supposuerit, coram eodem preposito remanebit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Symon ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa

appellacionis predicte, visisque processu, interlocutoria et judicato necnon litteris obligatoriis supradictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictum Symonem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE IV 1313.

Veneris ante Candelosam.

Roya reportavit.

Remissus fuit processus preposito Parisiensi.

XXIV. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Floriam de Foullayo, ex parte una, et Lambertum, dictum Laporte, ejus maritum, ex alia, super eo quod, ex parte dicte Florie, quarumdam litterarum, sigillo nostro Castelleti Parisiensis sigillatarum, continencium dictum Lambertum obligatum esse eidem Florie ad certum dotalicium, in dictis litteris declaratum, assignandum uxori predicte, fieri execucio petebatur, dicto Lamberto se, ex adverso, pluribus racionibus, opponente execucioni predicte, et quasdam, tam dilatorias quam fori declinatorias, primo et postea, quasdam peremptorias excepciones, cum protestacione debita, per ordinem proponente, cumque partes ipse plura facta contraria super hoc proponerent, et utrum admitti deberent, debatum esset inter ipsas, idem prepositus, auditis propositis hinc et inde, per suum pronunciavit judicium quod dicte cause cognicio, super execucione predictarum litterarum Castelleti predicti, in dicto Castelleto remanebit, quodque facta, ex parte dicte Florie, proposita ad finem predicte execucionis faciende, necnon et excepciones peremptorie, ex parte dicti Lamberti, ad finem contrarium proposite, recipientur, quantum recipi debebunt de racione, rejectis dilatoriis ac declinatoriis excepcionibus supradictis, et salvis, in diffinitiva sentencia, prout justicia suadebit, juris racionibus propositis hinc et inde; a quo judicato, tanquam falso et pravo, idem Lambertus, in quantum contra se faciebat, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu, judicato et litteris antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse

PHILIPPE IV, 1313.

et eundem Lambertum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit; et remisit curia nostra dictas partes, super predictis, ad prepositum antedictum.

Veneris predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus proposito Parisiensi.

XXV. Cum in causa, coram preposito Parisiensi pendente, inter Stephanum de Cormeilles, ex una parte, et Petronillam la Matine, ejus sororem, ex altera, dictus Stephanus ad certam diem adjornari fecisset dictam Petronillam, super utilitate cujusdam defectus quem ipse, contra eam, obtinuerat, ut dicebat, comparentibus, coram eodem preposito, dictis partibus, idem Stephanus proposuit quod, de consensu dictarum parcium, assignata fuerat eisdem, ad probandum secundo, hinc inde, dies lune post estivale festum beati Martini, anno trecentesimo duodecimo; ad quam diem dictus Stephanus comparens et offerens se facturum quod dies desiderabat, contra dictam Petronillam, que se non presentavit, obtinuit defectum et licenciam recedendi, quare petebat idem Stephanus dicti defectus utilitatem, sibi, secundum Castelleti nostri Parisiensis consuetudinem, adjudicari, dicta Petronilla e contrario proponente quod non dicta dies lune, sed dies mercurii subsequens fuerat, ad probandum secundo, hinc inde, dictis partibus assignata, ad quam diem mercurii, dicta Petronilla, ut ipsa dicebat, comparens et offerens se facturam quod dies desiderabat, contra dictum Stephanum, qui se ad dictam diem mercurii non presentavit, obtinuit defectum et licenciam recedendi, quare dicebat dictum defectum, per predictum Stephanum allegatum, nullius esse valoris, petebatque dicti defectus quem ipsa obtinuerat contra eum, sibi adjudicari utilitatem, secundum nostri consuetudinem Castelleti; quibus racionibus et pluribus aliis a dictis partibus super hoc propositis, auditis, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod dictorum defectuum, uno cum alio compensato, et utroque nullius valoris existente, dicte partes ulterius

procedent in eorum principali causa predicta, resumpta in illo statu in quo ipsa erat antequam obtenti fuissent defectus predicti; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicta Petronilla ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse, et dictam Petronillam bene appellasse, et revertentur dicte partes ad eundem prepositum, in illo statu in quo ipse erant, tempore facti judicati predicti. PHILIPPE IV, 1313.

Veneris in vigilia Candelarum.

Partibus reddidi earum processum.

XXVI. Coram Aurelianensi preposito lite mota, inter decanum et capitulum Aurelianenses, ex una parte, et voerium nostrum de Checiaco et procuratorem nostrum, pro nobis, ex altera, super eo quod procurator dictorum decani et capituli, proponens ipsos esse in bona saisina cognoscendi de falsis mensuris, contra suos hospites, in parrochia de Mardies commorantes, dictosque hospites puniendi, quando reperiuntur falsas, in suis domibus, habere mensuras, infra dictam parrochiam, dicebat dictos decanum et capitulum esse turbatos et impeditos de novo, per dictum voerium, in saisina predicta, quare petebat dictus procurator predictum impedimentum amoveri, et dictos decanum et capitulum defendi in eorum saisina predicta, dicto voerio ac procuratore nostro asserentibus e contrario nos et non dictos decanum et capitulum esse in saisina predicta; facta inquesta de predictis, per eundem prepositum vel de ejus mandato, et, pro judicando, ad eum reportata, idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictos voerium et procuratorem nostrum melius intencionem suam, pro nobis, super hoc probasse, et adjudicavit nobis saisinam predictam; a quo judicato, tanquam falso et pravo, procurator dictorum decani et capituli ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, visisque inquesta et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predic-

PHILIPPE IV, 1313.

tum prepositum bene judicasse et dictum procuratorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit; curia vero nostra, ex causa, dictam remisit emendam.

Veneris ante Cathedram Sancti-Petri.

Mangon reportavit.

XXVII. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Johannem Droiscy, presbiterum, ex una parte, et Genovefam la Gencienne, relictam defuncti Nicholai Gencian, ex altera, super eo quod, ex parte dicti presbiteri, contra dictam relictam, quarumdam litterarum, sigillo nostro Castelleti Parisiensis sigillatarum, continencium dictam relictam esse obligatam in certa summa pecunie, reddenda dicto presbitero aut latori dictarum litterarum, execucio fieri petebatur, dicta relicta, pluribus racionibus, e contrario proponente execucionem predictam fieri non debere, cum dicte partes plura facta contraria super hoc proponerent, et utrum deberent admitti, debatum esset inter ipsas; idem prepositus, auditis super hoc propositis hinc et inde, per suum pronunciavit judicium facta, ex parte dicte relicte, super hoc proposita recipienda non esse, et quod super factis, ex parte dicti presbiteri, super hoc propositis, procedetur in causa predicta; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicta relicta ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, curia nostra, propter defectus per eam in processu predicto repertos, dictum processum anullavit, et obmissa appellacione predicta, partes ipsas remisit ad dictum prepositum, injungens quod idem prepositus dictarum parcium raciones quas, super hiis, hinc inde proponere voluerint audiat, et illas recipiat que fuerint de racione recipiende, et, super eis, faciat quod justicia suadebit.

Veneris predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XXVIII. Cum, inter priorem de Alneto, Clugniacensis ordinis, de

speciali garda nostra existentem, nomine prioratus sui, ex una parte, et Guiardum de Coudrayo, armigerum, tempore quo ipse vivebat, ex altera, coram preposito Parisiensi, lis mota fuisset, super eo quod dictus prior proponebat quod ipse erat et priores de Alneto, predecessores sui, nomine dicti prioratus, fuerant in bona saisina quoddam nemus, tempore debito scindi consuetum, situm apud Coudraium, juxta domum dicti armigeri, sicut dictum nemus, ex utroque latere se comportat, tenendi et habendi, pro duabus partibus, pro indiviso, exceptis tantummodo circiter quatuor arpentis dicti nemoris, de quibus, ut ipse dicebat, capellanus de Coudrayo habet circiter unum arpentum, et alie gentes, circiter commorantes, habent tria residua arpenta, et eciam, quociens dicti nemoris tonsura apta extitit ad vendendum, quod pluries acciderat, ut ipse dicebat, vendendi dictum nemus, pro duabus partibus, et faciendi illud scindi et recipiendi et habendi duas partes precii tonsure vendite nemoris predicti. Item, in saisina recipiendi et habendi, in villa de Coudrayo, quolibet anno, in festo beati Remigii, quod est in capite octobris, duas partes de viginti quatuor solidis vel circiter minuti census qui solvi, dicta dies, a certis personis ibidem, ut ipse dicebat, priori dicti loci, tanquam domino treffundario, consuevit. Item, pro duabus peciis terre sitis in territorio de Coudrayo, juxta terras dicti armigeri, supra viam, per quam itur de Coudrayo apud Sanctum-Dyonisium, continentibus circiter unum arpentum et dimidium terre, in saisina recipiendi, tanquam dominus treffundarius, quolibet anno, de annuo redditu, in crastino Nativitatis Domini, tres capones et unum sextarium et dimidium avene et dimidiam minam bladi et tres boissellos consuetos solvi, apud Alnetum, in prioratu predicto. Item, habendi duas partes sex denariorum solvi consuetorum apud Coudraium, in festo beati Remigii, de quibus dicebat dictus prior, nomine supradicto, se plures soluciones et pluries recepisse, usque ad illud tempus quo dictus Guiardus predictum priorem, ut ipse dicebat, in predictorum saisina impedivit, indebite et de novo, contra inhibicionem, ex parte nostra, ut ipse dicebat, sibi factam per Johannem le

PHILIPPE IV. 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

Page, Castelleti nostri Parisiensis servientem. Item, dicebat dictus prior quod ipse erat in bona saisina quod ipse, in saisina predictorum et aliis juribus et bonis suis, per nos gardietur, quare petebat dictus prior, nomine quo supra, predictum impedimentum per dictum Guiardum in predictis sibi appositum, amoveri per nos tanquam per gardiatorem suum, ita quod ipse pacifice gaudere possit omnium predictorum saisina, et factum hujusmodi competenter emendari, dicto Guiardo plures raciones et plura facta contraria ex adverso proponente; lite igitur super hiis contestata, productisque testibus hinc et inde et plene cognito de causa predicta et in ea concluso, assignataque certa die dictis partibus ad diffinitivam sentenciam, super hiis, audiendam, dicte diei dilacione pendente, idem Guiardus diem clausit extremum, superviventibus eidem domicella Ysabelli, ejus uxore, ac Perineto, filio eorumdem, que relicta, tam suo quam dicti filii sui nomine, cujus se gardiam habere dicebat, ad dictam diem, comparens coram dicto preposito, et in se arramenta dicte cause, in statu in quo erat resumens, dicto eciam priore comparente ibidem, instanter peciit eadem relicta jus sibi fieri super predictis, dicto priore hoc idem similiter requirente; dictus vero prepositus, auditis hinc inde propositis et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit quod dictus prior, contra predictum Guiardum et contra dictam ejus relictam, suo et dicti filii ipsorum nomine, quantum ad ea que secuntur, sufficienter probavit intencionem suam, videlicet quod ipse est in saisina vendendi, ut premissum est, dictum nemus, et habendi duas partes precii vendicionis tonsure ejusdem, quociens vendi contigerit dictum nemus, exceptis quatuor arpentis superius declaratis; item, in saisina habendi et capiendi, quolibet anno, in festo beati Remigii, duas partes viginti quatuor solidorum minuti census, in villa de Coudrayo, a certis personis debiti dicto scutifero et ejus heredibus, per manum dicte relicte, suo et dicti filii sui nomine vel eorum gencium, capiendas a priore predicto; item, insaisina habendi dictas duas pecias terre sitas in territorio de Coudrayo, pro quibus annuatim debentur dicto priori, tanquam domino

treffundario, tres capones redditus annui, in crastino Nativitatis Domini, unus sextarius et dimidius avene et dimidia mina bladi et tres boisselli, solvendi apud Alnetum, in prioratu predicto; item, in saisina habendi duas partes sex denariorum solvi consuetorum in festo beati Remigii, apud Coudraium, annuatim, per manum dicte relicte, suo et dicti filii sui nomine, percipiendas ab eodem priore; item, in saisina quod idem prior per nos gardietur, et, quantum ad predicta, dictus prepositus eidem priori saisinam eorum adjudicavit, et pronunciavit quod, quantum ad ista, impedimentum per dictum Guiardum, tempore quo ipse vivebat, ac per dictam relictam, suo et dicti filii sui nomine, in predictis eidem priori appositum, necnon manus nostra ibidem apposita, propter debatum parcium predictarum, inde amovebuntur, salvo utrique parti jure proprietatis in premissis, prout hec omnia, in predicto judicato ejusdem prepositi, plenius continentur; a quo judicato tanquam a falso et pravo, dicta relicta quo supra nomine, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictam relictam, quo supra nomine, male appellasse, et quod ipsa hoc emendabit.

Philippe IV, 1313.

Veneris ante Cathedram Sancti-Petri.

M. J. Brito reportavit.

XXIX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Petronillam, relictam defuncti Petri Nantier, et Theobaldum de Monsterolio, nomine tutorio Perrote, minoris annis, filie et heredis dictorum Petri et Petronille, agencium, ex una parte, et Hugonem de Monte-Gisonis, reum, ex altera, super eo quod dicebant dicti actores, nominibus quibus supra, quod dictus Hugo, post interdictam eidem Petro, tanquam prodigo, bonorum suorum et dicte uxoris sue administracionem, per officialem Parisiensem, judicem ordinarium ipsius Petri, qui clericus erat, ut dicebat, et postquam dicti interdicti publicacio ad noticiam ipsius Hugonis pervenerat, certas res mobiles ipsorum Petri et Petro-

PHILIPPE IV, 1313.

nille, in eorum libello declaratas, durante matrimonio inter dictos conjuges, a dicto Petro habuerat et receperat minus juste, quarum rerum dimidiam partem ad dictam Petronillam, racione sui dotalicii, et aliam dimidiam, ad dictum tutorem, racione dicte minoris, ex successione dicti Petri, patris sui, de patrie consuetudine notoria, pertinere dicebant, quare petebant predictum Hugonem, per dictum prepositum, sibi condempnari ad restitucionem dictarum rerum, vel, si non extarent, ad estimacionem earumdem, dicto Hugone in contrarium proponente quod dicte res, quas ipse, in processu predicto, confessus fuerat se a dicto Petro habuisse, ab eodem Petro, justo et legittimo precio, emerat, de quo eidem Petro qui tunc communiter contrahebat, emebat et vendebat, fuerat a dicto Hugone legittime satisfactum, et hoc offerebat se legittime probaturum, quare petebat se a predictis contra eum petitis absolvi; lite vero, super premissis, legittime contestata, cognitoque de causa predicta et in ea concluso, dictus prepositus eundem Hugonem a predictis, contra eum petitis, per suum judicium absolvit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti actores ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, et attento quod dicto Petro, bonorum suorum et ejus uxoris interdictum administracionis, per dictum officialem factum, nullius debebat habere roboris firmitatem, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos actores male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Veneris predicta.

Roya reportavit.

XXX. Lite mota, coram ballivo Parisiensis episcopi, commissario, super hoc, ab ipso episcopo specialiter deputato, inter decanum et capitulum Sancti-Marcelli, juxta Parisius, ex parte una, et dictum episcopum, ex alia, super eo quod dicti decanus et capitulum, dicentes se, per eundem episcopum, dissaisitos injuste de Jehanneto Galien, quem ipsi, in prisione sua, tenebant, se de ipso resaisiri petebant, et

manum ipsius episcopi, propter hoc, in ipsorum temporalitate, ut ipsi dicebant, injuste appositam, amoveri, procuratore dicti episcopi, pluribus racionibus, e contrario proponente, petita fieri non debere. Cum autem dicte partes plura facta contraria proponerent, hinc et inde, et, utrum facta hujusmodi admitti deberent, debatum esset inter ipsas et se super hoc in jure posuissent, idem ballivus, auditis super hoc, hinc et inde, propositis, per suum judicium, pronunciavit dictas partes ad probandum sua facta predicta ad finem debitum debere admitti; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti decanus et capitulum ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictos decanum et capitulum male appellasse et quod ipsi hoc emendabunt, et redibunt dicte partes, super earum causa principali predicta, ad ballivum predictum. Curia vero nostra dictam moderavit emendam, ex causa, ad decem libras Parisienses. PHILIPPE IV. 1313.

Veneris ante Cathedram Sancti-Petri.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus ad dictum ballivum.

XXXI. Lite mota, coram preposito de Gonnessa, inter Garnerium de Gonessa, ex una parte, et Johannem Sarraceni, ex alia, super eo quod dictus Garnerius, in judicio, requirebat dictum Johannem sibi condempnari et compelli ad complendum plures convenciones habitas inter ipsos Garnerium et Johannem, videlicet ad deliberandum dictum Garnerium et ejus bona erga custodes nundinarum Campanie, et specialiter erga magistrum Petrum d'Orgemont et Johannem, ejus fratrem, de ducentis octoginta et octo libris Parisiensibus, in quibus dictus Garnerius fuerat dictis fratribus obligatus, et ad faciendum sibi reddi litteras obligacionis predicte; de qua pecunie summa predictus Johannes Sarraceni promiserat, ut ipse dicebat, acquittare et deliberare dictum Garnerium erga fratres predictos, usque ad summam ducentarum librarum Parisiensium; pro quibus ducentis libris,

PHILIPPE IV, 1313.

dictus Johannes habuerat, ut ipse dicebat, bonas denariatas, ex parte ipsius Garnerii et de bonis ejusdem; de quibus denariatis dictus Johannes se tenuerat pro bene pagato, sicut dictus Garnerius asserebat, et ad deliberandum eundem Garnerium erga dictum prepositum de duodecim libris Parisiensibus et erga Petrum, ejus clericum, de centum solidis in quibus ipse dictis preposito et clerico, ex justis causis, tenebatur, ut ipse dicebat, et ad reddendum dicto Garnerio quasdam litteras obligatorias, summam centum quadraginta et octo librarum Turonensium continentes, in quibus ipse Garnerius eidem Johanni olim fuerat obligatus, ut ipse dicebat, et quinquaginta et duos solidos quos idem Johannes poterat ei debere, residuos de summis predictis; dicto Johanne, plures raciones, ad sui defensionem, e contrario proponente, per quas dicebat se, a peticione predicta dicti Garnerii, debere absolvi, asserente eciam quod dicta littera sua de centum quadraginta et octo libris Turonensibus, saltem usque ad summam quadraginta et sex librarum Parisiensium, contra dictum Garnerium, debebat execucioni mandari, non obstantibus propositis ex parte Garnerii predicti; lite igitur super premissis contestata, testibus ab utraque parte productis, et concluso in causa predicta, dictus prepositus de consensu parcium predictarum plures dies ad audiendum jus super diffinitiva sentencia dictis partibus assignavit; postea vero dictus prepositus de Gonessa, preposito Parisiensi, dictum processum ad judicandum, de consensu predictarum parcium reportavit; qui prepositus Parisiensis, viso dicto processu, per suum judicium, pronunciavit dictum Garnerium intencionem suam, super predictis, sufficienter probavisse contra dictum Johannem Sarraceni, et eundem Johannem condempnavit ad deliberandum dictum Garnerium de obligacionibus supradictis, et ad cessandum imperpetuum a dicta peticione debiti predicti, quam faciebat contra dictum Garnerium, salva dicto Johanni actione sua contra dictum Garnerium et Guibertum, ejus fidejussorem, de medietate guede quam deliberavit et tradidit idem Johannes Guillelmo Mailg de Fer, de mandato dicti Garnerii, ut ipse dicebat, quandocunque ipse movere voluerit super hoc ques-

tionem, et salva protestacione dicto Garnerio, quam ipse fecit de dampnis suis, custibus et expensis, contra dictum Johannem, quando voluerit super hoc experiri; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dictus Johannes ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Johannem Sarraceni male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE IV. 1313.

Veneris ante Cathedram Sancti-Petri.

Housseya reportavit.

XXXII. Cum, inter Guillelmum de Moy, ex una parte, et homines parrochie de Moy, ex altera, super pluribus articulis, inter eos contenciosis, penderet in curia nostra debatum, tandem dicte partes concordaverunt certam fieri commissionem, super hiis, per nostram curiam in hec verba : « Philippus, Dei gracia, Francorum rex, dilectis magistris Martino de Crepon, et Johanni de Templo, clericis nostris, salutem et dileccionem : De consensu parcium infrascriptarum et ad earum requisicionem, contenciones seu debata inter Guillelmum, dominum de Moy, ex una parte, et homines parrochie de Moy, ex altera, in judicio vel extra, super certis articulis, ortas vel orta, vobis committimus audiendum, mandantes vobis quatenus ad dictum locum, propter hoc, vos personaliter conferentes, super contencionibus seu debatis hujusmodi, vocatis evocandis, inquiratis plenius veritatem, liquida sine debito mediante justicia, decisuri, dubiaque vel obscura premissa negocium tangencia, nostre curie, ut, de hiis, eadem ordinet, relaturi. Damus autem omnibus justiciariis et aliis subditis nostris, presentibus, in mandatis, ut vobis in hac parte pareant efficaciter et intendant. Actum Parisius, die septima januarii, anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo. » Cujus virtute commissionis, dicti commissarii ad locum accedentes predictum, dictas partes coram se vocaverunt, ut coram eis procederent, secundum tenorem commissionis predicte; coram quibus idem dominus plures propo-

Philippe IV, 1313.

suit raciones ad finem curie, super hoc, sibi reddende, dictis hominibus plures raciones proponentibus ex adverso; cum autem dicti commissarii processum suum, super dicto incidenti, factum, curie nostre reportaverunt, ad presens parlamentum, dictus dominus requisivit processum hujusmodi videri, ad finem dicte curie sibi reddende, dictis hominibus e contra proponentibus, predictum dominum super hoc non debere audiri, immo super articulis predictis, ad eorum finalem decisionem, debere procedi, secundum tenorem commissionis predicte : Auditis igitur hinc inde propositis, et visa commissione predicta, de consensu dictarum parcium facta, curia nostra dictum processum, coram dictis commissariis habitum, ad finem dicte curie per dictum dominum petite, totaliter anullavit, et pronunciavit quod dictus dominus, super hiis, curiam non habebit, ac precepit quod, super articulis predictis, super quibus facta est dicta commissio, ad finem decisionis finalis eorundem articulorum procedatur, secundum tenorem commissionis predicte.

Lune post Brandones.

Traditus fuit dictus processus M. Martino de Crepon.

XXXIII. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Adam Anglici, tanquam portitorem quarumdam litterarum Johannis Anglici, sigillo nostro Castelleti Parisiensis, sigillatarum, continencium Bertrandum de Balastre in trecentis quinquaginta quinque libris et decem solidis Parisiensibus, certo termino reddendis, dicto Johanni vel predictarum litterarum portitori esse obligatum, ex una parte, et dictum Bertrandum, ex altera, super eo quod cum idem Bertrandus, viginti unam libras Parisienses, de dicta summa residuas, non solvisset, dicto termino in ipsis litteris contento, promisissetque idem Bertrandus, in dictis litteris, pro die qualibet qua ipse deficeret in solucione dictarum trecentarum quinquaginta quinque librarum et decem solidorum Parisiensium, in toto vel in parte, viginti solidos Parisienses pro pena solvendos, nobis, pro medietate, et parti adverse, pro alia medietate ; quare petebat idem Adam, nomine quo supra,

dictum Bertrandum ad solvendum viginti solidos, pro pena predicta, pro die qualibet in qua defecit, ac deficeret idem Bertrandus in solucione dictarum viginti unius librarum Parisiensium necnon et eundem Bertrandum in expensis, interesse et dampnis in prosecucione execucionis dictarum litterarum per eundem agentem factis, sentencialiter condempnari; dicto Bertrando e contrario, pluribus racionibus, proponente, petita fieri non debere; idem prepositus, auditis, super hoc, dictis partibus, visisque dictis litteris et consideratis diebus quibus idem Bertrandus jam defecerat in solucione dictarum viginti unius librarum Parisiensium, dictum Bertrandum, pro dicto tempore preterito, in trecentis triginta sex libris Parisiensibus, racione dicte pene in eisdem litteris contente, necnon et in viginti solidis Parisiensibus, pro die qualibet qua ipse de cetero defecerit in solucione dictarum viginti unius librarum Parisiensium, pro penis predictis, solvendis nobis, pro medietate, et parti adverse, pro alia medietate; item et in expensis, interesse et dampnis predictis, primo taxandis ab eodem preposito, et postea a dicto agente jurandis, per suum judicium, condempnavit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, idem Bertrandus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque litteris, judicato et processibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum Bertrandum bene appellasse.

Philippe IV, 1313.

Jovis post Brandones.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XXXIV. Cum, ex parte procuratoris nostri senescallie Petragoricensis, Bernardi de Marsaguilli, presbiteri, et Remondi, ejus nepotis, fuisset senescallo Petragoricensi, conquerendo, monstratum, quod Gerardus Ferrerii et Remondus de Bosco-Viridi, una secum multitudine gencium coadunata, cum armis prohibitis, pluries invaserunt dictum presbiterum, et quamplures injurias eidem intulerunt, hostium domus sue frangendo, plura bona inde extrahendo et secum portando, et, post appellacionem ad nos, per ipsum, interpositam et

PHILIPPE IV, 1313.

propter assecuramentum a dicto Gerardo eidem presbitero prestitum, mansum suum et domum suam violenter intrarunt, gallinas suas, invito dicto presbitero, ceperunt et comederunt, peniceriam ejusdem immaturam secari fecerunt, dictum presbiterum et ejus nepotem, per servientes et alios consortes suos, capi et in prisione, apud Figiacum, duci fecerunt, seu omnia premissa, nomine suo facta, rata habuit dictus Gerardus et de premissis dictos factores in judicio advoavit, ut dicebant dicti conquerentes, quare petebant dicti procurator noster, presbiter ac ejus nepos premissa nobis et eis competenter emendari; de quo Gerardo, prior Sancti-Cirici, quantum ad causam hujusmodi, suo et abbatis sui de Aureliaco nomine, peciit, super premissis, curia sibi reddi, eo quod justicia dicti mansi ad ipsos religiosos pertinebat, ut dicebat, racione prioratus predicti; lite igitur, super dicto facto principali ante omnia, contestata, posicionibus factis et responsionibus ad easdem, testibus productis, juratis et examinatis, in dicta causa principali, ex utraque parte, et deinde ex parte dictorum religiosorum, ad finem remissionis curie predicte, dictus senescallus, cognito de causa predicta, condempnavit ipsum Gerardum in octingentis libris, et dictum Remondum de Bosco-Viridi, in quinquaginta libris Turonensibus, nobis solvendis, pro excessibus antedictis, dictum Gerardum ad examen predictorum abbatis et prioris remittendo, quatenus excessus predicti non tangunt fraccionem dicti assecuramenti et predictam portacionem armorum, condempnavitque dictum Gerardum ad dampna, interesse et sumptus quos et que dictus presbiter sustinuit, racione facti hujusmodi, et dicte cause prosecucionis, taxandos per ipsum senescallum aut ejus curiam et, per eundem presbiterum, jurandos; condempnavit eciam dictum Gerardum in expensis dictorum religiosorum quas ipsi fecerunt, quantum ad nos pertinet, in causa predicta; a quo judicato, tanquam iniquo, dicti Gerardus et Remondus et dictus procurator noster, tanquam a modica taxacione, ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque dictis processibus, et viso quodam arresto, inter dictas partes

facto, in novissimo preterito parlamento, et ejus tenore servato, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum, quantum ad condempnacionem predictam, de dictis octingentis et quinquaginta libris, et, quantum ad dampna, sumptus et interesse dicti presbiteri, in quibus dicti Gerardus et Remondus de Bosco, per ipsum senescallum, condempnati fuerunt, bene judicasse, et dictos Gerardum et Remondum male appellasse; fuit eciam dictum eundem senescallum, in ceteris supradictis, male judicasse, et dictos appellantes bene appellasse, quodque curia nostra non intendit, per hoc, inferre prejudicium aliquod dictis abbati et priori, in jure suo, si quod ipsi habent, in manso predicto, loco et tempore debitis prosequendo. PHILIPPE IV, 1313.

Jovis post Brandones.

Creci reportavit.

XXXV. Cum, a quodam judicato, per senescallum ducis Britannie, in senescallia de Broyherec lato, pro Petro Corfaut contra Normannum de Aurayo, idem Normannus, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellasset, et ad procedendum in dicta causa appellacionis, predictas partes adjornari fecisset, ad diem ballivie Turonensis parlamenti, quod fuit anno Domini millesimo trecentesimo decimo, nostreque curie significasset quod, pendente appellacione predicta, dicti ducis gentes et ministri, eundem appellantem incarceraverant, et diu captum tenuerant, bonaque ipsius vendiderant et devastaverant, et plura alia attemptaverant contra ipsum, in prejudicium appellacionis predicte, ac ipsum impediverant ne prosequeretur eandem appellacionem; nos, super attemptatis et impedimentis hujusmodi, mandavimus veritatem inquiri, et inquestam hujusmodi ad nostram curiam judicandam remitti, ad diem ballivie Turonensis, parlamenti presentis, et ad eandem diem dictas partes adjornari, ad videndum judicari inquestam predictam, et ad procedendum ulterius in causa appellacionis predicte; comparentibus igitur, in curia nostra, dictis partibus, idem appellans, inquestam super dictis attemptatis et impedimentis factam, curie nostre, per ballivum Turonensem

PHILIPPE IV, 1313.

traditam, videri peciit judicari, partemque adversam compelli ad procedendum, cum ipso, in causa appellacionis predicte; parte adversa plures raciones e contrario proponente, et maxime quod idem appellans dictam appellacionem suam sufficienter non fuerat prosecutus : Auditis igitur, hinc inde, propositis, curia nostra, dictam inquestam videri precepit; visaque postmodum inquesta predicta, cum, per eam, inventum sit plura fuisse attemptata contra dictum Normannum, in prejudicium dicte appellacionis sue, de quantitate vero dictorum bonorum suorum ac dampnorum, sibi, per hoc, illatorum, non invenitur inquisitum fuisse, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod attemptata predicta, contra dictum Normannum facta, ad statum debitum reducentur, scita prius de plano dictorum bonorum suorum valore, et dampnorum predictorum quantitate, quodque Alanus dictus de la Verge, serviens dicti ducis, et alii ejus consortes qui dictum Normannum, post ejus appellacionem ceperunt, et diu captum tenuerunt, adducentur capti, Parisius, in Castelletum nostrum, pro emendando nobis et dicto Normanno factum predictum; quantum vero ad prosecucionem dicte appellacionis et impedimentum per dictum Normannum propositum, dictum fuit eundem Normannum, propter defectum prosecucionis, cecidisse ab appellacione sua predicta.

Jovis post Brandones.

Curia noluit quod dictus Normannus de hoc solveret emendam, quia pauper et gravatus.

XXXVI. Cum lis mota fuisset, coram ballivo Ambianensi, in assisia sua Ambianensi, inter Eustachium de Baillolio, militem, ex una parte, et magistrum Jacobum Cornuti, ex altera, super eo quod idem miles petebat quasdam litteras execucioni mandari, certam summam pecunie continentes, in quibus, dicebat idem miles, dictum Jacobum sibi teneri, eodem Jacobo, pluribus racionibus, e contrario proponente, dictas litteras non debere execucioni mandari, sed totaliter anullari, pro eo maxime, ut ipse Jacobus dicebat, quod eidem, per

cheminum publicum itineranti, dictus miles, cum suis complicibus, insidiatus fuerat et eundem arrestaverat, ipsumque minis et terroribus, ac per detencionem carceris, et per metum, qui debuit cadere in constantem virum, violenter et injuriose, ac post assecuramentum sibi, a dicto milite, prestitum, compulerat se dicto militi promittere dictam summam pecunie, quamquam indebitam, soluturum, et eidem, super hoc, concedere litteras antedictas, summam centum quadraginta librarum continentes, ac eundem renunciare assecuramento predicto, idem ballivus fecisset super hiis, vocatis partibus, veritatem inquiri, et inquesta, super hoc, facta, coram dicto ballivo, in assisia sua, ad judicandum reportata, idem ballivus, per judicium hominum in assisia predicta judicancium, pronunciasset dictas litteras debere execucioni mandari; idem Jacobus, a judicato hujusmodi, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellavit, et, ad procedendum in causa appellacionis predicte, adjornari fecit ballivum et militem predictos; dictos vero homines qui predictum fecerant judicatum, super hoc, adjornari non fecit; propter quem defectum, servata in hujusmodi curie nostre consuetudine, ipsa curia nostra, licet, per apercionem dicte inqueste, videretur liquere de violenciis supradictis, per arrestum suum, pronunciavit dictum Jacobum cecidisse ab appellacione sua predicta, adjungens quod, de dictis violenciis, ipsa curia nostra, si expediens videret, ex officio suo, vocatis partibus, ad finem civilem inquiri faceret veritatem; deinde vero arresto predicto, posito in suspenso, curia nostra, ex officio suo, super dictis violenciis fecit, ad finem civilem, vocatis partibus, veritatem inquiri: Inquesta igitur super hiis facta, una cum precedenti inquesta, visis et diligenter examinatis, cum, per eas, liquido constiterit dictas violencias sufficienter esse probatas, curia nostra per suum judicium, et ex causa, totaliter revocavit arrestum predictum, contra dictum Jacobum latum, et anullavit dictas litteras et obligacionem in eis contentam, ac renunciacionem quam fecit dictus Jacobus, de sibi prestito assecuramento predicto, dictumque militem condempnavit ad solvendum dicto Jacobo, pro injuriis et dampnis

PHILIPPE IV. 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

sibi, per hoc, illatis, quingentas libras Parisienses, et nobis mille libras Parisienses, pro emenda, et ad tenendum prisionem in Castelleto nostro Parisius, quousque idem miles, secundum curie nostre consuetudinem, renovaverit assecuramentum predictum dictasque litteras obligatorias curie nostre reddiderit et ydoneam caucionem prestiterit de solvendo, prius dicto Jacobo, et deinde nobis, summas pecunie supradictas.

Lune post Cathedram Sancti-Petri.

Voyssi reportavit.

Reginaldus de Albigniaco et Guido de Hardencourt, milites, sunt fidejussores de dictis condempnacionibus contra Eustachium factis.

XXXVII. Significavit curie nostre ballivus Viromandensis quod, cum major et jurati ville Sancti-Quintini in Viromandia, conquesti fuissent eidem, dicentes quod, cum ipsi cepissent, et in eorum prisione tenuissent, Johannem de Plesseyo, tunc scutiferum, et quendam ejus socium, pro justicia de eis facienda, super eo quod ipsi, in dicta villa Sancti-Quintini, quendam hominem injuriose verberaverant et vulneraverant, et tandem, super injuriis predictis, facta concordia, inter dictos injuriantes et vileniatum, ipsi major et jurati, dictos injuriantes, ad instanciam amicorum suorum, sine emenda, deliberassent, postea dictus Johannes, cum quibusdam suis complicibus, nulla facta diffidencia burgensibus, dicte ville, eisdem burgensibus posuit insidias, et quosdam de eisdem, extra dictam villam, per cheminum publicum, ad suas mercaturas euntes, invasit cum suis dictis complicibus, et cum armis, et vileniavit eosdem, pro eo solummodo quod dicti major et jurati, eundem Johannem, sicut premissum est, in sua tenuerunt prisione, propter quod factum, dictus ballivus, predictum Johannem, nunc militem, necnon Huetum de Huchini, Sarrazinum de Villers, Droconem de Nuilly, Radulphum de Calceata, et Baudetum de Sauviller, scutiferos, ejusdem Johannis, in facto hujusmodi consortes, capi fecit et imprisionari, qui malefactores, dictis majori et juratis, quantum ad eos pertinet, factum

hujusmodi emendarunt, et, super hoc, fecerunt eisdem gratum suum, prout dicti ballivi rescripcio continebat; dictus vero ballivus, super facto hujusmodi, quantum ad nos pertinet, vocatis partibus, fecit veritatem inquiri, tam per confessiones dictorum malefactorum quam per deposiciones testium, super hoc, productorum; quam inquestam, dictus ballivus, de mandato nostro, ad nostram reportavit curiam, pro emenda, super facto hujusmodi, quantum ad nos pertinet, judicanda et taxanda; auditis igitur, super hoc, in curia nostra, dicto ballivo, ac dicti Johannis de Plesseyo, militis, procuratore, curia nostra precepit, dictam inquestam videri: Qua inquesta, postea, per curiam nostram, aperta, visisque confessionibus dictorum malefactorum ibidem repertis, et deposicionibus testium in ea productorum, curia nostra, per suum judicium, pro emenda nostra, dictum Johannem de Plesseyo, in ducentis libris Turonensibus, et quinque predictos ejus consortes, quemlibet eorum, in sexaginta libris Turonensibus, sentencialiter condempnavit.

PHILIPPE IV, 1313.

Jovis post Brandones.

XXXVIII. Cum procurator abbatis et conventus mōnasterii Sancti-Vedasti Attrebatensis, in curia nostra, proposuisset, contra comitissam Attrebatensem, quod, cum dicti religiosi sint et fuerint, ut ipse dicebat, in saisina ducendi et reducendi, per se seu per alios, bona sui monasterii, per villam de Bapalmis et infra fines pedagii dicte ville, absque solucione pedagii seu alterius redebencie solvendo, anno quolibet, pedagiariis dicte comitisse, in festo beati Remigii, unum par caligarum de scallata, pedagiariique dicte comitisse ceperint currus et quadrigas ducentes seu reducentes bona dictorum religiosorum, ipsos religiosos, in dicta saisina sua, indebite perturbantes, et de novo, occasione pedagii non soluti, quare petebat dictum impedimentum amoveri, et dictas prisias que, propter debatum hujusmodi, ad manum nostram, tanquam superioris, posite fuerant, sibi reddi et ad plenum deliberari, dicte comitisse procuratore in contrarium dicente quod ipsa est in saisina recipiendi pedagium ab omnibus du-

PHILIPPE IV, 1313.

centibus currus ad timones per villam de Bapalmis et infra fines pedagii dicti loci, gagiandique, pro dicto pedagio non soluto, quoslibet, cujuscumque condicionis aut status existant, et, cum pedagiarii sui cepissent duos currus qui erant dominorum censuariorum qui ducebant mesrenum de Francia in Flandriam, pro pedagio non soluto, et pro emenda debita exinde, continuando saisinam dicte comitisse, ipse dicebat dictas prisias, ad requestam religiosorum predictorum, ad manum nostram positas, sibi debere deliberari, et impedimentum, per dictos religiosos in hujusmodi appositum, amoveri : Inquesta igitur, super hoc, de mandato curie nostre, facta, et auditis partibus ad judicandum reportata, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicte prisie per gentes dicte comitisse facte, et ad manum nostram, tanquam superioris, posite, ad plenum deliberabuntur ipsis religiosis, et amovebitur impedimentum per gentes dicte comitisse appositum in dicta saisina religiosorum predictorum, et conservabuntur per nos dicti religiosi in saisina predicta, salva super hoc dicte comitisse questione proprietatis.

Dominica post Sanctum-Mathiam.

Creci reportavit.

XXXIX. Lite mota, coram preposito Aurelianensi, inter Margaritam, relictam defuncti Martini Auberici, ex una parte, et Johannam et Margaritam, filias defunctorum Thome Auberici, quondam fratris dicti Martini, et Marie, ejus uxoris, sororis quondam dicte relicte, cum auctoritate maritorum suorum, ex altera, super eo quod petebat dicta relicta defuncti Martini medietatem omnium hereditatum quas ipsa et Maria, soror sua predicta, detulerant secum in matrimonium, cum predictis Martino et Thoma, fratribus, tanquam suam sibi reddi et deliberari; item medietatem, racione sui dotalicii, hereditatum quas secum dictus Martinus detulerat in matrimonium cum eadem relicta; item quartam partem omnium mobilium et conquestuum quos dicti fratres acquisiverant, durantibus matrimoniis inter ipsos et dictas sorores, et quos ipsi habebant, tempore mortis sue;

que permissa fuerant et adhuc erant inter ipsos communia, ut dicebat dicta relicta; item ducentas libras in mobilibus et quadraginta libras annui redditus quas eidem relicte, in suo testamento, reliquerat dictus Martinus, ut ipsa dicebat, requirens eadem relicta, racionibus antedictis et aliis causis et racionibus in libello suo propositis, dictos defendentes ad predicta sibi condempnari et compelli, dictis Johanna et Margarita, cum auctoritate maritorum suorum, ad sui defensionem, proponentibus ex adverso quod in tractatibus matrimoniorum inter dictos Martinum et Thomam, fratres, et predictas Margaritam et Mariam, sorores, habitis, concordatum fuerat quod, si altera dictarum sororum superviveret marito suo, decedenti sine liberis, ipsa, pro omnibus mobilibus et conquestibus, haberet tantummodo centum libras Turonenses cum illis jocalibus, trossello et hereditate propria que ipsa secum detulerat in matrimonium predictum, una cum dotalicio suo quod, juxta consuetudinem patrie, paratas se offerebant eidem assidere, dicentes predictum legatum dicte relicte a predicto Martino factum, contra loci consuetudinem factum esse et nullius valoris; lite igitur super hinc inde, coram dicto preposito, a dictis partibus, propositis, legittime contestata, cognitoque de causa predicta et in ea concluso, dictus prepositus medietatem hereditatum quas dicte Margarita et Maria, sorores, secum detulerant in matrimonium cum dictis Martino et Thoma, earum maritis, eidem relicte, tanquam suam; item medietatem hereditatum quas cum eadem relicta detulerat dictus Martinus in matrimonium, eidem, racione sui dotalicii; item quartam partem omnium mobilium et conquestuum, durantibus matrimoniis dictorum fratrum et sororum, factorum inter eos, eidem Margarite, relicte dicti Martini, adjudicavit, reddendas et deliberandas, partem adversam ad hoc, per suum judicium, condempnando; quantum vero ad dictas ducentas libras in mobilibus, et quadraginta libras annui redditus per eandem relictam petitas, dictas sorores, per idem judicium, absolvit; a quo judicato, procurator dictarum sororum, in quantum faciebat contra ipsas, tanquam a falso et pravo, ad ballivum Aurelianensem appellavit; qui

PHILIPPE IV, 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

ballivus, auditis, super hoc, dictis partibus et viso processu predicto, post multas altercaciones super hoc habitas, predictum judicatum dicti prepositi, per suum judicium, confirmavit; a cujus ballivi judicato predicto, tanquam falso et pravo, procurator dictarum sororum, cum auctoritate maritorum suorum, causam hujusmodi prosequencium, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicatis predictis, et eciam quibusdam arrestis in causa hujusmodi, in presenti parlamento, inter dictas partes, factis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos prepositum et ballivum bene judicasse, et dictum procuratorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Dominica que cantatur Reminiscere.

Roya reportavit.

XL. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Heluisim de Trocy, ex una parte, et Richardum de Viri, ex altera, super eo quod dicebat Heluisis quod, cum ipsa quandam peciam vinee sitam apud Franqueville, continentem circiter duo arpenta, que sibi, ex successione Giraudi dicti Roussel, fratris sui, quondam obvenerat, et de qua, ex causa dicte successionis, ipsa erat in bona saisina, vendimiari faceret in vendemiis, anno millesimo trecentesimo duodecimo, dictus Richardus eandem Heluisim, in dicta vinea existentem, de dicta vinea expulit indebite et de novo, que vinea, propter debatum dictarum parcium, ad manum prioris de Conflans, a quo movet et tenetur dicta vinea, posita extitit, ut ipsa dicebat, quare petebat, per judicium dicti prepositi, declarari ipsam in saisina dicte vinee debere reponi, et in ea custodiri et defendi, et violencias seu novitates, in premissis, per dictum Richardum sibi illatas debere amoveri et emendari, dicto Richardo, ad suam defensionem, in contrarium proponente se et predecessores suos, a quibus ipse causam habebat, ex justis causa et titulo, esse et fuisse in saisina dicte vinee per unum annum et per duos annos immediate preteritos et per tantum tempus

quod sufficiebat et sufficere debebat ad bonam saisinam acquirendam, et petente impedimentum eidem, in saisina dicte vinee, per dictam Heluisim, de novo, ut ipse dicebat, appositum amoveri; lite igitur, super premissis, coram dicto preposito, contestata, cognitoque de dicta causa et in ea concluso, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit, dictum Richardum, quantum ad saisinam dicte vinee, intencionem suam melius probavisse quam dictam Heluisim, et quod ipse in saisina dicte vinee debebat remanere, salva super hoc dicte Heluisi questione proprietatis; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicta Heluisis ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictam Heluisim male appellasse, emendam vero, racione appellacionis predicte, debitam dicta curia nostra remisit eidem, et ex causa. PHILIPPE IV, 1313.

Roya reportavit.

Jovis post Reminiscere.

XLI. Coram Aurelianensi preposito, lite mota, inter procuratorem nostrum, pro nobis, et Girardum Cadois, ex parte una, et Margaritam, relictam Johannis Ligerii, nomine suo et liberorum suorum, ex dicto Johanne susceptorum, racione bailli dictorum liberorum, ex altera, super eo quod dicti procurator et Girardus, in quantum quemlibet tangebat, proponentes dictum Girardum esse liberum hominem nostrum et esse et fuisse, longo tempore, in saisina libertatis, justiciabilemque nostrum, in casibus quibuscumque, dicebant dictam Margaritam, per se vel per alium, ipsa mandante, seu nomine suo factum ratum habente, cepisse et asportasse indebite et injuste plura bona dicti Girardi in valore centum librarum Parisiensium, quare petebant dictam Margaritam condempnari et compelli ad reddendum dicta bona vel valorem predictam, et pronunciari dictum Girardum esse in saisina libertatis et justiciabilem nostrum, tanquam hominem liberum, in casibus quibuscumque, dicta Margarita, nomine quo

Philippe IV, 1313.

supra, e contrario proponente dictum Girardum esse suum hominem de corpore et tailliabilem ejusdem, ad voluntatem, et de hoc dictum Johannem, maritum predicte Margarite, tempore quo ipse vivebat, fuisse, ipsamque Margaritam esse et illos a quibus ipsi causam super hoc habuerunt, longo tempore fuisse in saisina predictorum, dicente eciam se cepisse aliqua de bonis dicti Girardi, juste tamen et utendo saisina sua predicta, quare petebat dicta Margarita quod dictus Girardus super hoc non audiretur, et quod ipsa permitteretur uti saisina sua predicta; lite igitur, super premissis, contestata, testibus hinc inde productis et examinatis, conclusoque in causa predicta, dictus prepositus, per suum judicium, condempnavit dictam Margaritam ad reddendum predicto Girardo sexaginta libras Parisienses, pro valore dictorum bonorum suorum, per dictam Margaritam, ut premissum est, captorum, et ad emendam nobis propter hoc faciendam, et, per idem judicium, pronunciavit quod dictus Girardus in saisina libertatis remanebit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicta Margarita ad ballivum Aurelianensem appellavit; qui ballivus, auditis super hoc dictis partibus et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit predictum prepositum male judicasse et dictam relictam male appellasse; a cujus ballivi judicato, tanquam falso et pravo, dictus Girardus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis dictis processibus et judicatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Girardum male appellasse, salva super hoc dictis procuratori nostro et Girardo questione proprietatis. Curia vero nostra, dicto Girardo, ex causa, remisit emendam debitam racione appellacionis predicte.

Jovis post Reminiscere.

Mangon reportavit.

XLII. Lite mota, coram judice seu gardiatore nostro Lugdunensi, inter Johannem de Dramella, mercatorem, ex parte una, et Jocerandum de Bosco, ex alia, super eo quod idem mercator petebat a

dicto Jocerando sibi reddi triginta quinque libras Turonensium parvorum quas ipse, ut dicebat, eidem Jocerando tradiderat in deposito, dicto Jocerando confitente se dictam pecuniam in deposito recepisse, pluribus tamen racionibus, proponente petita fieri non debere, et pro eo maxime, ut ipse dicebat, quod archa dicti Jocerandi, in qua dicta pecunia reposita fuerat, violenter fracta inventa extiterat, et exinde dicta pecunia, una cum ipsius Jocerandi pecunia, ibidem existente, furtive substracta per quendam Lumbardum qui hospitatus erat in domo quam inhabitabat dictus Jocerandus, in qua erat dicta archa, cum pecunia supradicta, contra quem Lumbardum, super hoc, et de innocencia dicti Jocerandi, ut ipse dicebat, vox erat et fama communis, asserente eciam dicto Jocerando se clericum esse, procuratoreque communis curie ecclesiastice archiepiscopi et decani Lugdunensium, petente dictum Jocerandum, ut clericum, super hoc, ad dictam curiam suam remitti; quibus sic propositis, et, ex parte dicti mercatoris, negatis, productisque testibus super hoc, ex parte Jocerandi predicti, idem judex seu gardiator, auditis propositis hinc et inde, visoque processu predicto, per suum judicium, pronunciavit, contra dictum Jocerandum, propter confessionem suam predictam, quantum ad triginta quinque libras predictas, debere fieri execucionem, precipiens dicto Jocerando quod ipse satisfaceret dicto mercatori de summa predicta; a quibus judicato et precepto, tanquam falsis et pravis, dictus Jocerandus ad judicem appellacionum Lugdunensem, pro nobis, appellavit; in qua causa dictus judex appellacionum procedens, auditis, super hoc, dictis partibus, visoque processu predicto, per suum judicium, pronunciavit judicem seu gardiatorem predictum bene pronunciasse, et dictum Jocerandum male appellasse, questione expensarum nichilominus reservata; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Jocerandus iterato ad nostram curiam appellavit; quam appellacionis causam commisimus magistro Petro de Virgizone, canonico Matisconensi; auditis igitur super hoc dictis partibus, coram magistro Petro, commissario predicto, visisque processibus et judicatis predictis, idem commissarius, per suum judicium, pro-

PHILIPPE IV, 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

nunciavit dictos processus et sentencias, per predictos judices nostros factos, esse nullos ac irritos et inanes, et dictum Jocerandum ab eis bene appellasse ; a quo judicato dicti commissarii, tanquam falso et pravo, idem mercator ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in nostra curia, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicatis predictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum magistrum Petrum, commissarium, bene judicasse, et dictum Johannem, mercatorem, male appellasse.

Jovis predicta.

M. Yvo Preposito reportavit.

XLIII. Cum procurator noster ballivie Turonensis contra Guidonem Odardi, militem, pro nobis proponens quod dictus miles, in prejudicium juris nostri, plura expleta alte justicie fecerat in villa et territorio de Montibus, cujus loci altam justiciam ipse ad nos pertinere, pluribus racionibus, proponebat, peteret quod dictus miles hoc nobis emendaret, quibusdam consuetudinibus per eundem procuratorem super hoc allegatis, dicto milite plures raciones e contrario proponente et dicente se plura expleta alte justicie, in loco predicto, fecisse, a tanto tempore de quo memoria non existit, propter quod dicebat se in saisina alte justicie predicte remanere debere, nos, super predictis, fecimus, vocatis partibus, veritatem inquiri : Inquesta igitur super premissis facta, et ad judicandum, auditis dictis partibus, curie nostre tradita, visaque et diligenter examinata, attentis et visis consuetudinibus per dictum procuratorem nostrum in ea pro nobis propositis et confessionibus partis adverse, super hoc, factis ac deposicionibus testium productorum in inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit altam justiciam dicti loci ad nos pertinere et nobis remanere debere. De emenda vero predicta, per dictum procuratorem nostrum, contra dictum militem petita, curia nostra supersedit, et, ex causa, pepercit eidem.

Jovis post Reminiscere.

M. Johannes de Goy reportavit.

XLIV. Cum, ex parte Remensis archiepiscopi et hominum ville sue de Cormissy, nobis significatum fuisset quod Johannes Richerii, serviens noster in prepositura Laudunensi, cum quibusdam suis complicibus, ad dictam villam de Cormissy accedentes, cum armis, plures excessus commiserunt ibidem, quodque homines dicte ville ac dicti archiepiscopi justicia dictum Johannem et suos complices credentes esse malefactores, ceperunt et secum captos duxerunt, quibusdam vulneribus in capcione hujusmodi forsitan illatis Johanni predicto, ex quibus vulneribus mortis periculum vel membrorum mutilacio non fuerunt subsecuta, nos, ad instanciam dictorum significancium, mandavimus et commisimus, per litteras nostras, ballivo Viromandensi ut ipse, vocatis partibus, super facto hujusmodi inquireret voluntatem[1]; quibus litteris dicto ballivo presentatis, ipse preposito Laudunensi, virtute dictarum litterarum, commisit ut ipse, adjuncto secum aliquo probo viro, vice dicti ballivi veritatem inquireret super facto predicto; qua subrogacione sic facta, dictus ballivus, ad inquirendum, ex officio suo, super facto hujusmodi, veritatem, procedi fecit per quosdam commissarios quos ipse antea deputaverat in predictis; comparentibus igitur, in curia nostra, dictis partibus, pars dictorum archiepiscopi et hominum instanter peciit inquestam, virtute commissionis nostre dicto ballivo directe, factam, super hoc, videri et judicari, et aliam inquestam, per dictum ballivum, ex officio suo, vel ejus commissarios, maxime post recepcionem dicti mandati nostri, factam, totaliter anullari, dicto ballivo, pluribus racionibus, e contrario proponente utramque inquestam debere videri et judicari; quibus auditis, curia nostra precepit dictas inquestas aperiri, ad illum finem ad quem possent videri : Dictis igitur inquestis diligenter visis, curia nostra, per arrestum suum, inquestam predictam ex officio dicti ballivi factam, post dicti mandati nostri recepcionem, totaliter anullavit, et aliam inquestam, virtute dicte commissionis nostre, factam, tanquam non completam et minus sufficienter factam, curia nostra non potuit judicare, immo precepit quod dic-

PHILIPPE IV, 1313.

[1] Lisez *veritatem*.

PHILIPPE IV, 1313.

tus ballivus, per se ipsum, vocatis partibus, tam, per testes, in utraque inquesta productos, quam per alios super hoc a dictis partibus producendos, constitutoque, super hoc, ab ipso, aliquo ydoneo viro, pro nobis, ad negocium hujusmodi prosequendum, super totali facto predicto inquirat cum diligencia veritatem, et inquestam hujusmodi factam et completam curie nostre mittat quam cicius judicandam.

Lune in vigilia beati Gregorii.

Utraque inquesta dicto ballivo tradatur pro sciendis nominibus testium in earum qualibet productorum.

Facta fuit, super hoc, commissio, et tradite fuerunt dicte inqueste ballivo.

XLV. Cum, super mota controversia inter Huardum Hapart, ex parte una, et procuratorem nostrum, pro nobis, necnon Guiotum, Robinum et Martinum, filios Guerini Daufaut, et heredes defuncte Ysabellis, uxoris quondam dicti Huardi, ex altera, super bonis per ipsum Huardum, ut dicebatur, recelatis et non positis, per ipsum Huardum, in inventario per eum facto de bonis mobilibus, debitis et conquestibus que dicti Huardus et Ysabellis, constante matrimonio inter eos, acquisierant, et super eo quod dictis bonis ad manum nostram positis existentibus, idem Huardus, de dictis bonis, plura levasse dicebatur, post obitum dicte uxoris sue, ac super eo quod dicti heredes plura dampna se dicebant sustinuisse per factum dicti Huardi, ex eo quod idem Huardus quendam papirum, in quo continebantur plura nomina debitorum dictorum Huardi et Ysabellis, in ignem projecit et comburi fecit, serviente nostro et dictis heredibus reclamantibus et invitis, pro quo facto, dictus Huardus fuit nobis in mille libris Turonensibus condempnatus, et precepit curia nostra quod, de dampnis predictis que dicti heredes dicebant se incurrisse, racione dicte combustionis, ac de bonis predictis, ut dicitur, recelatis, que ad nos, pro dimidia, et ad dictos heredes, pro alia parte, per curiam nostram, fuerunt adjudicata, inquireretur veritas, vocatis evocandis; post que cum, ut dicebatur, dictus Huardus plures res-

cussas commissariis deputatis per nos in hujusmodi fecisset, resistendo eis ne fieret execucio de mille libris predictis; item rogasset instanter, ut dicebatur, plures debitores ipsius et dicte Ysabellis, in quibusdam tabulis repertos, qui in dicto inventario non erant, ut dicebatur, positi, subornando eos, quod ipsi alicui non revelarent debita in quibus ipsi dictis Huardo et Ysabelli tenebantur, et ipse Huardus magnum respectum eis, super hoc, daret et curialitatem, propter hoc, faceret eis magnam; super omnibus predictis mandavimus, vocatis partibus, veritatem inquiri, et dictum Huardum ad solvendum nobis dictas mille libras compelli; qua inquesta, auditis partibus, curie nostre reportata et visa, cum, per eam, constiterit curie nostre predictum Huardum dictas mille libras nobis solvisse ac dictas rescussas ac subornacionem predictam, contra ipsum non fuisse probatas, ipsa curia nostra, per arrestum suum, dictum Huardum a predictis absolvit; verum quia, super dictis bonis recelatis et dampnis, inventum fuit dictam inquestam non esse omnino completam, per idem judicium, dictum fuit quod super eis perficeretur dicta inquesta, vocatis partibus ac procuratore nostro : Completa igitur dicta inquesta super eis, quantum ad dictos Huardum et heredes, et nostre curie reportata, in cujus prosecucione procurator noster inventus fuit negligens[1] exstitisse, auditisque, super hiis, dictis partibus, dictisque inquestis, tam prima quam secunda, visis et diligenter examinatis, dicti procuratoris nostri negligencia non obstante, cum, per easdem inquestas, nichil inventum fuerit contra dictum Huardum de dictis recelacione et dampnis, probatum, dictosque heredes articulos hujusmodi non fuisse prosecutos, immo quod, racione dicte recelacionis, quamquam de ea non constaret, mille trecentas et quinquaginta libras debilis monete supra dictum Huardum, per magistrum Petrum de Stilo, commissarium nostrum, levate fuerunt, et nobis et dictis heredibus, ut dixit in camera nostra dictus magister Petrus de Stilo, applicate, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicte mille trecenta et quinquaginta libre monete predicte red-

PHILIPPE IV. 1313.

[1] Lisez *negligentem*.

PHILIPPE IV, 1313.

dentur eidem, et quod debita compulsio ad hoc fiet supra gentes nostras et dictos heredes, si ipsi dictam pecuniam receperunt, alioquin habebitur, super hoc, recursus ad dictum magistrum Petrum, salva insuper dicto Huardo actione sua contra magistrum Petrum predictum, super eis que dicit ipse Huardus dictum Petrum de bonis suis, ultra summam predictam, recepisse, racione dicte recelacionis proposite et non probate, salva eciam nobis actione nostra super recelacione predicta que, per procuratoris nostri negligenciam, non fuit prosecuta.

Septima die marcii.

Mangon reportavit.

XLVI. Cum magister Alexander de Homme, certam peticionem, in curia nostra, faceret ad finem civilem contra Gyraudum Trigan et Richardum de Valle, burgensem Cadomi, super eo quod ipse dicebat se, per eos, vel ipsis procurantibus, impocionatum fuisse, et se, ex hoc, plura dampna et gravamina sustinuisse, petens predicta gravamina et dampna sibi reddi et resarciri, et e contra dicti burgenses proponentes se, ad instanciam dicti Alexandri, super hoc alias impetitos fuisse et diu, propter hoc, et pluries prisionem in Castelleto Parisius, tenuisse et hujusmodi questionem, tam in dicto Castelleto quam in curia nostra sufficienter deductam fuisse, ipsosque burgenses, post multos processus, super hoc habitos, finaliter, tam per Parisiensem prepositum quam per curiam nostram, super facto hujusmodi deliberatos fuisse, pluribus racionibus, pretenderent dictum Alexandrum super hoc ulterius non debere audiri : Tandem, auditis hinc inde propositis et visis pluribus litteris et processibus, super hoc, exhibitis hinc et inde, visaque deliberacione super facto hujusmodi alias facta, tam per prepositum Parisiensem quam per curiam nostram, pro burgensibus antedictis, curia nostra deliberacionem predictam, super facto predicto, pro dictis burgensibus, ut premissum est, factam, per suum judicium, confirmavit, et super facto impocionacionis perpetuum imposuit silencium Alexandro predicto.

Lune in vigilia beati Gregorii. PHILIPPE IV, 1313.

XLVII. Lite mota coram ballivo Montanarum Arvernie, inter procuratorem nostrum, pro nobis, ex una parte, et Petrum Furnerii de Aureliaco, ex altera, super eo quod dictus procurator noster proponebat quod dictus Petrus, motu proprio, vocavit Petrum Maignen, notarium nostrum in ballivia predicta, usurarium pravum, et hoc non contentus, predictus reus manus violentas injecit in dictum notarium nostrum, animo injuriandi, et eundem, de pugno, in capite percussit pluries, ac capucium dicti notarii per violenciam in lutum contemptibiliter projecit, in dampnum et prejudicium dicti notarii ac in nostri contemptum, quare petebat dictus procurator noster predictum reum nobis in emendam condignam, propter hoc, condempnari. Item proponebat idem procurator, contra dictum reum, quod quidam judeus quedam pignora dicto reo tradiderat, et, cum ab eodem peterentur, in judicio, coram ballivo predicto, dictus Petrus negavit se predicta pignora habuisse et recepisse, et postmodum probatum fuit, contra eum, coram predicto ballivo, quod ipse dicta pignora a predicto judeo habuerat, et ob hoc dictus ballivus eundem Petrum ad restitucionem predictorum pignorum ipsi judeo condempnaverat, et nobis in centum libris Turonensibus, pro emenda nostra; verum cum ad noticiam procuratoris nostri predicti pervenisset quod dictus reus in predictis centum libris, per dictum ballivum, fuerat condempnatus, ipse dictum Petrum, coram magistro Guillelmo de Dumis, canonico Bituricensi, clerico, et Philippo de Blenello, milite, nostris a nobis inquisitoribus deputatis in ballivia supradicta, fecit adjornari ad diem competentem; qua die predictus procurator noster in judicio peciit, coram predictis inquisitoribus, predictam sentenciam execucioni debite demandari, et ipsum reum compelli ad solvendum predictas centum libras, dicto Petro hoc negante et plures raciones e contrario proponente, per quas ipse dicebat se ad solucionem predictarum centum librarum non teneri : Lite igitur, super premissis, contestata, testibus productis et concluso in negocio hujusmodi, et om-

PHILIPPE IV, 1313.

nibus rite actis, factaque inquesta, vocatis partibus, super predictis, et, ad judicandum, ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, cum, per eam et per processum utriusque partis in dicta causa factum, liquido appareat intencionem dicti procuratoris nostri, super predictis, sufficienter fuisse probatam, per curie nostre judicium, dictus Petrus condempnatus fuit ad solvendum nobis centum libras predictas; item viginti libras Turonenses, pro emenda nostra, racione dictarum injuriarum, per eum, predicto nostro notario illatarum.

Martis ante Ramos-Palmarum.

Housseya reportavit.

XLVIII. Cum, ex parte Haymonis de Calvingniaco, nobis fuisset, conquerendo, monstratum quod, cum ipse, contra episcopum Pictavensem et gentes suas, locum suum in temporalitate sua tenentes, super denegacione seu defectu juris, se applegiasset coram senescallo Pictavensi, super eo quod, ut dicebat, ipso existente in saisina vendendi vinum ad tabernam, in domo sua de Talabastre, juxta Calvingniacum, quam ipse tenet a dicto episcopo in feodum, durante stanco sive banno dicti episcopi in castro de Calvingniaco, ipse, per dictas gentes ipsius episcopi, indebite fuerat dissaisitus de mensuris ad quas ipse vinum vendebat in domo predicta, dicto banno durante, inhibitumque fuerat eidem, per gentes predictas ne ipse, durante dicto banno, amplius vinum venderet ibidem, de quibus mensuris ipse, in assisia dicti episcopi, peciit se ressaisiri, et dictam prohibicionem revocari, vel saltem recredenciam, super hoc, sibi fieri, cum ydonea caucione, quam eis offerebat, jusque sibi fieri super premissis, quod tamen sibi facere denegarunt; quod applegiamentum, dictus senescallus, significari fecit episcopo predicto, et eundem episcopum requiri fecit sufficienter, si se, super hoc, vellet contraapplegiare; qui sufficienter requisitus, se contraapplegiare, super hoc, noluit, propter quod, elapso tempore infra quod, de patrie consuetudine, fieri debuit dictum contraapplegiamentum, pre-

dictus senescallus eundem Haymonem, per suum judicium, reposuit in saisina sua dictarum mensurarum, et suum in dicta domo vendendi vinum, durante stanco seu banno supradicto, et inhibuit ipsi episcopo et gentibus suis ne dictum Haymonem, in saisina sua predicta, molestarent, et ne ipsi Haymoni aliquam molestiam inferrent directe vel indirecte, occasione premissorum. Quibus sic actis, postea dictus senescallus, per judicium suum, non vocato ad hoc dicto episcopo, dictum Haymonem ab omni feodali et alia quacunque obediencia temporali ipsius episcopi absolvit; cum autem postmodum dictus episcopus, per se et suos, eundem Haymonem, per forum ecclesie, multipliciter inquietasset, occasione premissorum, in prejudicium nostrum, ut ipse dicebat, et idem Haymo nobis, super hoc, conquestus fuisset, nos, super omnibus predictis, mandavimus, vocatis partibus, veritatem inquiri; facta igitur inquesta, super hiis, et ad nostram curiam reportata, dictus Haymo ac procurator noster pecierunt dictam inquestam videri et judicari, gentes vero dicti episcopi, videlicet ejus vicarius, et quidam alii, presentes in curia nostra, dixerunt quod dictus episcopus, et ipsi, pro eo, super hoc, partem facere nolebant; quibus auditis, curia nostra precepit dictam inquestam videri et judicari: Visa igitur inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit judicatum predictum, per dictum senescallum primo factum, pro dicto Haymone, super saisina predicta, debere remanere et inviolabiliter observari; verumtamen secundum aliud judicatum per quod dictus senescallus, eundem Haymonem ab obediencia dicti episcopi, ad hoc non vocati, absolvit, curia nostra totaliter anullavit, et precepit quod dictus senescallus, vocatis partibus, super eis que, post dictum primum judicatum restant, super hiis facienda, tam pro nobis quam pro dictis partibus, servata patrie consuetudine, faciat justicie complementum, et, super eo quod dictus episcopus et gentes sue, in prejudicium nostrum, dicuntur molestare dictum Haymonem, per forum ecclesie, occasione premissorum, curia nostra precepit quod dictus senescallus, quantum ad eum pertinet, super hoc, procuret oportunum remedium adhiberi.

PHILIPPE IV, 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

Martis ante Ramos-Palmarum.
Creci reportavit.

XLIX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Burs, in Hyspania, ex una parte, et Clementem de Nuyliaco, civem Parisiensem, ex altera, super eo quod dictus Johannes dicebat predictum Clementem induxisse, per fraudem et dolum, ipsum Johannem, ad vendendum et tradendum magistro Stephano de Monte-Argi, clerico, duos equos, unum videlicet liardum et alium ferrandum, pro precio quadringentarum librarum, quarum ducente libre debebant tunc, sine dilacione aliqua, solvi dicto Johanni, et alie ducente libre debebant solvi ipsi Johanni, infra festum beati Michaelis futurum anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo; de quibus quadringentis libris, ducente et quinquaginta libre remanserunt ad solvendum; propter quod idem Johannes dampna sustinuit, ut ipse dicebat, que sustinuisse noluisset pro centum libris, quare petebat idem Johannes, predictum Clementem, per dictum prepositum, condempnari ad reddendum sibi dictas ducentas et quinquaginta libras, ex una parte, et predictas centum libras, ex alia, causis et racionibus antedictis; dicto Clemente plures raciones in contrarium proponente, quare ad premissa dicebat minime se teneri; lite igitur super premissis, coram dicto preposito, inter ipsas partes, legittime contestata, testibus, ab utraque parte, productis, et eorum attestacionibus publicatis, predictus Johannes proposuit, contra dictum Clementem et testes, ex parte ipsius, productos, et attestaciones eorum, plures raciones per quas ipse dicebat quod dictus prepositus debebat pronunciare predictos testes et deposiciones eorum nullius esse valoris, que dictus Clemens negavit, prout erant proposita et narrata, esse vera; lite igitur, super dictis racionibus legittime contestata, testibus, ex parte dicti Johannis, super ipsis productis, et eorum attestacionibus publicatis, dieque certa assignata predictis partibus, per prepositum antedictum ad procedendum in ipsa causa, prout de jure esset procedendum, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit om-

nes testes productos in dicta causa principali, tam, ex parte ipsius Johannis, contra dictum Clementem, quam, ex parte ipsius Clementis, contra dictum Johannem, fore iterum audiendos et examinandos; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Clemens ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus factis inter ipsas partes, coram dicto preposito, tam super dicta causa principali quam super racionibus seu excepcionibus antedictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, quantum ad hoc quod ipse pronunciavit predictos testes in dicta causa principali per dictum Johannem productos contra predictum Clementem, esse iterato audiendos et examinandos, male judicasse, et dictum Clementem, quantum ad hoc, bene appellasse, quantum vero ad cetera, in dicti prepositi judicato predicto contenta, eundem prepositum bene judicasse, et remisit curia nostra dictas partes, super predictis, ad prepositum antedictum.

Philippe IV. 1313.

Martis ante Ramos-Palmarum.

M. P. Fauvelli reportavit.

Remissus fuit processus dicto preposito.

L. Visa inquesta, de mandato curie nostre, facta, in causa appellacionis ad nos emisse per priorem de Carato, Lugdunensis dyocesis, a quadam condempnacione, per ballivum nostrum Matisconensem, ad instanciam procuratoris nostri dicte ballivie facta, super quibusdam excessibus temporalem juridicionem nostram tangentibus, a dicto priore aut ejus gentibus perpetratis, ut dicebat, dictus procurator noster: Cum inventum fuerit dictam inquestam, pro parte nostra, non esse completam, per curie nostre judicium, dictum fuit quod illud quod factum est de dicta inquesta tenebit, et pro parte nostra perficietur, vocatis dictis partibus, et maxime ballivo et procuratore nostris dicte ballivie, quibus tradentur articuli contra nos in dicta inquesta contenti ut contrarios articulos super hoc faciant pro nobis, et super eis producant probaciones suas. Item, tradentur eis nomina testium in inquesta predicta, ex parte dicti prioris, productorum, ut eos pos-

PHILIPPE IV, 1313.

sint, si voluerint, reprobare, et dicta inquesta sic completa remittetur ad nostram curiam judicanda.

Martis predicta.

M. P. Fauvelli reportavit.

LI. Cum, super quadam illicita portacione armorum, contra vicecomitem de Pologniaco, facta, per Bertrandum de Sancto-Necterio, militem, et consortes ejusdem in facto predicto, dictus Bertrandus, in manu nostra, gagiasset emendam, et, ad finem majoris vel minoris faciende taxacionis emende predicte, curia nostra mandasset, super dicta portacione armorum et super totali facto predicto, per certum commissarium, vocatis partibus, inquiri veritatem, et inquesta hujusmodi nostre curie reportari; dictaque inquesta facta, super hoc, et ad nostram curiam reportata, dictus Bertrandus proposuisset dictam inquestam non debere videri nec judicari pro eo, ut ipse dicebat, quod dictus commissarius noluit sibi facere copiam commissionis sue nec articulorum propositorum, super hoc, contra ipsum, nec voluit obedire cuidam gracie a nobis sibi facte, de negociis suis tenendis in statu, et auditis super hoc partibus, curia nostra precepisset, et ballivo Arvernie, per litteras nostras, commisisset, quod ipse de predictis, per dictum Bertrandum, propositis, infra certum terminum in dicta commissione contentum, inquireret veritatem, et veritate, de premissis, infra dictum terminum, inquisita vel non, ex tunc, curia nostra, prout esset racionabile, ulterius procederet ad videndum et judicandum inquestam predictam, parlamento nostro durante, vel non durante, cumque, propter occupacionem dicti ballivi, de premissis infra dictum terminum non fuisset inquisitum, curia nostra dicto ballivo, per litteras nostras, iterato mandavit, ut ipse premissa fieri et ad presens parlamentum, secundum formam predictam, faceret remitti; in quo parlamento, dictus ballivus presens verbotenus reportavit quod ipse nunquam fuerat requisitus de inquirendo super premissis, ad que probanda idem Bertrandus fuerat admissus, quodque ipse dictum Bertrandum ad certam diem adjornavit, ad presens parla-

mentum, ad videndum judicari inquestam predictam, ad quam diem dictus Bertrandus non presentavit se, et sufficienter vocatus, non fuit in curia inventus; quibus auditis, curia nostra precepit dictam inquestam videri et judicari ad finem faciende taxacionis emende predicte per dictum Bertrandum gagiate : Visa igitur inquesta predicta, cum per eam repertum fuerit, dictum Bertrandum, cum magna cavalcata et armatorum multitudine peditum et equitum, molendinum dicti vicecomitis violenter intrasse, ejus portas, rotas, molas et mensuras fregisse, blada et farinam ibidem existencia dispersisse, plures excessus alios committendo ibidem, in prejudicium dicti vicecomitis, dicti molendini molendinarii et plurium aliorum blada et farinam habencium ibidem, curia nostra, dictam emendam taxando, per suum judicium, condempnavit dictum Bertrandum ad solvendum nobis ducentas libras Turonenses, pro emenda predicta, et ad reddendum dictis dampna passis, hujusmodi dampna per hoc eis illata de quibus poterit de plano constare, et precepit quod dictus ballivus, super eis de plano, vocatis partibus, veritatem inquirat, et quicquid ipse, super hoc, invenerit execucioni debite celeriter demandet.

Philippe IV. 1313.

Martis ante Ramos-Palmarum.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LII. Cum nos, nuper, Richardo Vavassoris, officium alnandi telas in mercato nostro ville Archiarum, per litteras nostras, concessissemus, ab ipso, quamdiu nobis placeret, tenendum, ad emolumenta que pro alnacione dictarum telarum consueverunt ibidem prestari, et postea dicte ville burgenses, ex parte sua et mercatorum dicte ville mercata frequentancium, nobis conquerentes, ex eo, ut ipsi dicebant, quod nos, alias, dictum officium non concesseramus ibidem, quodque dicta novitas in nostrum dampnum et dictorum mercatorum cedebat, requirerent dictam novitatem amoveri, et permitti dictum officium, prout hactenus ab antiquo consuetum extitit exerceri, quodque nos, quandam inquestam, de mandato nostro, super hoc, factam, antequam dictum officium concessissemus Richardo predicto, faceremus

PHILIPPE IV, 1313.

videri, cum per eam constare posset, ut ipsi dicebant, utrum nobis et dictis mercatoribus expediret si per nos certus alneator poneretur ibidem : Tandem inquesta predicta, tam de mandato nostro quam magistrorum scacarii Rothomagensis, nobis, Parisius, reportata, visa per curiam nostram, et diligenter examinata, habita, super hoc, relacione fidelium nostrorum presens tenencium parlamentum, de ipsorum consilio, officii predicti concessionem duximus revocandam, et precepimus quod dictum officium alnandi ibidem exerceatur, prout hactenus extitit consuetum.

Martis ante Ramos-Palmarum.

LIII. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, commissario a curia nostra dato, inter Raymondum et Geraldum de Cornelio, fratres, ex una parte, et Guidonem de Tornamina, burgensem de Martello, ex altera, super eo quod dicti fratres proponebant, se, titulo vendicionis, concessisse dicto Guidoni molendinum suum et stangnum vocatum Del-Ga et quasdam res immobiles nominatim expressas in quodam publico instrumento, pro precio, mille librarum Turonensium solutarum in quingentis libris Turonensium duplicium tunc currencium, seu eorum valore; hoc acto inter partes easdem expresse, in ipso contractu, quod idem Guido, infra sequens terminum, reddere seu revendere teneretur eisdem fratribus, pro eodem precio, seu reddi et revendi facere, pro se, res easdem per Bernardum Bovis, expromissorem a dicto Guidone datum, de revendendo, pro dicto Guidone, ipsis fratribus, dictas res, quociens dicti fratres vel alter eorum, infra tempus predictum, offerrent eidem Bernardo Bovis dictam pecunie summam, proponebant eciam ipsi fratres, quod predictus Bernardus Bovis, de voluntate et mandato dicti Guidonis, promiserat se, pro dicto Guidone, revenditurum, predictis fratribus, dictum precium offerentibus, infra dictum terminum, res predictas, quare, cum dicti fratres predictam pecunie summam Bernardo Bovis, expromissori predicto, sufficienter obtulerint, deposuerint et consignaverint, infra tempus predictum, prout est in talibus fieri consuetum, dicto

Bernardo Bovis, predictam pecunie summam sibi oblatam, sine justa causa, recipere recusante, petebant ipsi fratres, dictum Guidonem sibi condempnari et compelli ad servandum sibi, tenendum et complendum pacta et convenciones predictas et dicta bona, pro dicto precio sic consignato et deposito, sibi reddi una cum fructibus exinde perceptis, a tempore oblacionis predicte, predicto Guidone, ad sui defensionem, plures raciones e contrario proponente; tandem, cognito de dicta causa, per senescallum predictum seu deputatos ab ipso, idem senescallus seu ejus locum tenens, delato ab ipso, super hoc, juramento dicto Guidoni, ac prestito ab eodem Guidone juramento predicto, per suum judicium, predictum Guidonem a predicta peticione dictorum fratrum absolvit, ipsos fratres dicto Guidoni in expensis dicte cause condampnans; a quo judicato, tanquam ab iniquo, dicti fratres ad nostram curiam appellarunt : Visis igitur et diligenter examinatis, per curiam nostram, dicte cause processu et judicato predicto, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum vel ejus locum tenentem male judicasse et dictos fratres bene appellasse, et quod dicte res eisdem fratribus reddentur, cum fructibus inde perceptis, a tempore oblacionis, consignacionis et deposicionis pecunie supradicte, et quod dicti fratres reddent eidem Guidoni dictum precium sic consignatum in moneta, tempore dicti contractus, currente, seu ejus valore, secundum statutum seu ordinacionem regiam super cursu monetarum factam. PHILIPPE IV, 1313.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

G. de Usco reportavit.

Postea fuit iterato visus dictus processus et fuit confirmatum dictum judicatum, prout continetur infra, in parlamento presenti.

LIV. Lite mota, coram ballivo Turonensi, commissario, a nobis deputato, inter Huetum de Bauceyo, filium, et heredem defuncti Huonis de Bauceyo, militis, ex una parte, et procuratorem nostrum dicte ballivie, ex altera, super eo quod dictus Huetus, contra dictum procuratorem, proponebat, quod dictus pater suus stangnum et cal-

PHILIPPE IV, 1313.

ceiam de Champigny, in locis et platea dicti stangni, ex causis justis, construxerat, et postea, per plures annos, ea pacifice tenuerat et de eis saisitus decesserat, dictusque Huetus, post mortem dicti patris sui predicta, per annum et diem, pacifice possederat, proponens, insuper, quod medietas dictorum locorum ad ipsum, tanquam suum proprium domanium, ex causa escambii, et alia medietas, ex consensu vicinorum qui in ea jus habebant, pertinebat, necnon et quod, tam ipse quam predecessores sui, in dictis locis ab antiquo justiciaverant, quando casus justicie ibidem acciderat; et cum dictus ballivus loca predicta ad manum nostram cepisset et adhuc in manu nostra detineret, ut ipse dicebat, sine cause cognicione, dicto Hueto non vocato ad hoc nec convicto, quare idem Huetus petebat dictam manum nostram inde amoveri, sibique predicta loca deliberari, ita quod ipse gaudere valeret de eisdem, premissa proponens ad finem predictum seu ad finem proprietatis aut ad fines ad quos valere poterant et debebant; dicto procuratore nostro ex adverso proponente quod, antequam dicta stangnum et calceya ibidem fierent, predicta loca erant et adhuc sunt pascua nostra communia ad depascendum animalia quorumcunque, et quod erant et sunt in et de feodo nostro, et quod in eis omnem justiciam habebamus et habemus, exceptis undecim tournis, tam pratorum quam terrarum arabilium, in loco dicti stangni comprehensis, quas confessus fuit dictus procurator noster, coram commissariis a nobis, in hujusmodi negocio deputatis, dictum militem, a quibusdam certis personis, per escambium, habuisse; item, cum, ex alia parte, Aymericus Oudardi, pro se, proponeret, coram ballivo predicto, contra dictum procuratorem nostrum, quod loca, in quibus sita sunt dicta stangnum et calceia, erant et sunt de pertinentiis et infra metas territoriorum seu feodorum de Ancey et de Chesac, et quod in dictis territoriis et locis, tam ipse quam predecessores sui, usi fuerant, ab antiquo, omnimoda justicia, quando casus justicie ibidem accidebat; et, cum ballivus predictus loca predicta ad nos asserens pertinere, ea ad manum nostram cepisset, et adhuc in manu nostra detineret, in ipsius Aymerici prejudicium, ut ipse dicebat,

quare petebat dictus Aymericus, manum nostram, per dictum ballivum, in predictis locis appositam, amoveri et quod, per judicium curie nostre, pronunciaretur et declararetur dictum Aymericum habere jus in dictis locis et territoriis, tam in justicia quam dominio, tam in proprietate quam saisina, dicto procuratore nostro e contrario proponente, sicut prius, quod loca predicta erant et sunt pascua nostra communia seu publica quibuscunque, excepto quodam terre spacio, versus primam bondam dicti stangni in dicta calceya existente, excepta eciam modica parte terre in platea dicti stangni existente, que dictus procurator confessus fuit, coram commissariis predictis, de feodo dicti Aymerici extitisse, dicens tamen quod dictus Aymericus, id quod ipse habuerat ibidem, dicto Huoni, patri predicti Hueti, per escambium dimiserat, dicto Aymerico, predictum escambium negante: Visis itaque processibus et inquestis, tam pro nobis quam pro dictis Hueto et Aymerico, super premissis, factis et habitis, tam per ballivum predictum, quam per alios commissarios, pro supplendis quibusdam defectibus ibidem repertis a nobis deputatos, cum, per inquestas et processus predictos, repertum sit, procuratorem nostrum, pro nobis, melius intencionem suam fundasse et probasse, videlicet loca predicta, de quibus est contencio, esse et fuisse pascua communia ad depascendum animalia quorumcunque, et ad nos in dictis locis omnimodam justiciam pertinere, exceptis locis per dictum procuratorem nostrum confessatis, per judicium curie nostre, dictum fuit predicta loca dictis Hueto et Aymerico seu alteri eorumdem deliberari non debere, sed quod ea nobis remanebunt et in manu nostra, tanquam pascua omnibus communia et de nostra justicia, tenebuntur, amoto impedimento super premissis apposito, per Huetum et Aymericum predictos, exceptis terris et pratis, per dictum procuratorem nostrum confessatis ad dictos Huetum et Aymericum pertinere, que per ballivum predictum videbuntur et limitabuntur, quibus visione et limitacione, vocatis partibus, sufficienter factis, dicta loca confessata deliberabuntur predictis Aymerico et Hueto, per ballivum supradictum.

PHILIPPE IV, 1313.

III.

Philippe IV, 1313.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

Goy reportavit.

LV. Visa inquesta, de mandato curie nostre, facta super questione que pendet, in ipsa curia nostra, super saisina justicie grangie de Aigremont, inter heredes et dominos de Barris, ex una parte, et abbatem et conventum de Prulliaco et ballivum Senonensem, pro nobis, ex alia, inventum est quod Huo de Bovilla, miles, qui nomine uxoris sue, heredis de Barris, ut dicitur, facit partem in causa predicta, constituit procuratorem, pro se, in causa ipsa, contra dictos religiosos solum et non contra nos. Item inventum est quod procurator heredum et dominorum ipsorum non respondit ad articulos propositos, ex parte nostra et dictorum religiosorum, et preterea, ex utraque parte, sunt multe reprobaciones proposite contra testes ipsarum parcium, propter quos defectus inquesta predicta non potuit judicari, et curia nostra, super hoc, sic ordinavit quod dictus Huo, pro se et dicta uxore sua, ratificando processum jam habitum cum procuratore suo et uxoris sue, faciet procuratorium aliud sufficiens, ad causam ipsam, in quantum nos tangit, et respondebit procurator heredum et dominorum predictorum ad articulos nostros et dictorum religiosorum, et producent dicte partes, super principali causa predicta, probaciones suas, hinc inde, usque ad numerum sufficientem, et sic perficietur inquesta predicta, et interim dormient reprobaciones predicte.

Martis post Quasimodo, apud Pontisaram, anno trecentesimo decimo quarto.

M. Egidius de Remino reportavit.

Tradita fuit M. J., clerico senescalli Pictavensis, pro mittenda auditoribus ad perficiendum, undecima die octobris anno trecentesimo quindecimo.

LVI. Cum procurator comitis Pontivi, contra abbatem et conventum de Sery, et ballivum nostrum Ambianensem, proposuisset quod, cum dictus comes esset, tam per se quam per feodatarios suos, in

saisina exercendi omnem justiciam infra muros domus de Busmenart, pertinentis ad abbaciam de Sery supradictam, et in saisina gardiandi eosdem et gentes ipsius comitis, continuando saisinam juridicionis sue predicte, cepissent in dicta domo, equos dicte domus et famulos, pro quadam emenda quam, ut ipse dicebat, magister ipsius domus gentibus dicti comitis gagiaverat nec eam solverat, dicti religiosi procuraverunt erga ballivum predictum quod facta fuit eis recredentia, per manum nostram, de bonis et hominibus predictis, sic ipsum comitem in saisina sua predicta indebite perturbando, quare petebat dicta bona reponi, per manum nostram, ad locum ubi capta fuerunt, et de hiis sibi fieri plenam deliberacionem, declararique saisinam dicte justicie, in dicta domo, ad ipsum comitem et non ad nos, pertinere, quodque impedimentum, per dictos religiosos et ballivum, ibi appositum, amoveretur, ballivo predicto, pro nobis, et dictis religiosis, pro se, in contrarium se opponentibus, et dicentibus quod saisina dicte justicie ac garde dicti loci ad nos et non ad dictum comitem pertinebat; quare petebant, nominibus quibus supra, dictas res et homines predictos, captos in dicta domo, dictis religiosis recreditos ad plenum eisdem deliberari, saisinamque dicte justicie pronunciari ad nos et non ad dictum comitem pertinere : Inquesta igitur super hoc, de mandato curie nostre, facta, et ad judicandum reportata, visa et diligenter examinata, quia inventum est, dictum comitem saisinam justicie in dicto loco melius quam nos, et nos saisinam garde in eodem loco melius quam dictum comitem probasse, per curie nostre judicium, saisina justicie dicte domus de Busmenart eidem comiti fuit adjudicata, sine prejudicio tamen saisine dicte garde nostre et juridicionis ad gardam pertinentis; verum quia, per eandem inquestam, inventum est, quod dicta capcio equorum et hominum facta, in ipsa domo, per gentes dicti comitis, facta fuit in prejudicium saisine dicte garde pertinentis ad nos in eodem loco, per idem judicium, dictum fuit quod predicte prisie non reddentur comiti supradicto, sed dictis religiosis, per manum nostram, deliberabuntur ad plenum, questione proprietatis utrique parti, super hiis, reservata.

PHILIPPE IV, 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

Apud Pontisaram, martis post Quasimodo, anno trecentesimo quarto decimo.

Creci reportavit.

LVII. Lite mota, coram senescallo Tholosano, inter Othonem de Casa-Nova, militem quondam, et consules castri de Grondino, sui consulatus nomine agentes, ex parte una, et consules, homines et universitatem ville de Helizona et territorii de Heuzano seu eorum sindicum, defendentes, ex altera, super eo quod dicti miles et consules de Grondino dicebant quod predicti consules, homines et universitas ville de Helizona et de Heuzano, turba coadunata, more hostili, cum diversis armorum generibus, contra bonum pacis et statum terre, ac nostra statuta, temere venientes loca dicti militis et subditorum suorum pluries invaserant, et plura dampna grandia et gravia intulerant in locis eisdem, super quibus instanter requisierat dictus miles comitem Armaniaci, tanquam dominum immediatum, de justicia super hiis exhibenda; qui comes, pluries requisitus super hoc, noluit eidem militi, ut idem miles dicebat, providere de remedio oportuno, propter quod ad nostram curiam appellaverat dictus miles, contra comitem supradictum, se nostre gardie supponendo, que garda nostra fuerat apposita in personis, bonis et terris dicti militis et suorum, racione predicta, ut dicebat dictus miles, quibus apposicione et garda predictis non obstantibus, dicti consules, homines et universitas de Helizona et de Heuzano, turba coadunata, cum pluribus aliis extraneis sibi associatis, equitibus et peditibus, cum lanceis, telis et aliis diversis armorum generibus, more hostili et elevato vexillo de Helizona, ex certo proposito et preconcepta malicia, pacem terre ac nostra statuta violando, loca, domos, vineas et arbores fructiferas dicti militis et subditorum suorum pluries invaserunt, et, per ignis immissionem, destruxerunt, et dampna quamplurima intulerunt dicto militi et suis subditis et in terra et bonis ipsorum, quare petebant dictos consules, homines, universitatem et eorum sindicum, pro premissis violenciis, injuriis et dampnis, in triginta millibus librarum

Turonensium sibi condempnari, dicta parte adversa, pluribus racionibus, e contrario proponente petita fieri non debere; dictus vero senescallus, auditis super hoc dictis partibus, et utriusque partis probacionibus super hiis receptis, cognitoque de causa predicta, dictos homines et universitatem dicte ville de Helizona et eorumdem sindicum, ipsorum nomine, ad dandum et solvendum Othoni de Casa-Nova, filio et heredi dicti militis et ejus curatori et procuratori pro ipso, quinque millia librarum Turonensium parvorum, pro satisfaccione et emenda dampnorum et injuriarum predictarum, premissa super hoc taxacione dicti senescalli, usque ad summam predictam et de ipsa juramento recepto a procuratore et curatore predicto, sentencialiter condempnavit, et in expensis eciam dicte litis, quarum taxacionem idem senescallus suo judicio reservavit, dictam partem defendentem super aliis, contra ipsam petitis, per eandem sentenciam absolvendo; a qua sententia, pars utraque, quatenus contra se lata fuit, tanquam ab iniqua, quibus supra nominibus, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis ac quodam arresto per nostram curiam dato, super reprobacionibus ex parte dicte partis defendentis propositis, contra testes dicte partis agentis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod dictum judicatum mandabitur execucioni. PHILIPPE IV. 1313.

Apud Pontisaram, martis post Quasimodo, anno trecentesimo quarto decimo.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LVIII. Lite mota, coram senescallo Tholosano, inter procuratorem nostrum, in judicatura Verduni constitutum, et quosdam singulares homines locorum de Gondrino, de Casa-Nova et quorumdam aliorum locorum subditorum Othonis de Casa-Nova, militis, seu procuratorem et sindicum eorumdem agentes, ex una parte, et ballivos, consules et universitatem villarum de Helizona et ville comi-

PHILIPPE IV, 1313.

talis alias vocate Bretanha ac castri novi de Heuzano et quosdam alios homines singulares locorum predictorum et aliunde defendentes, ex altera, super eo quod dicti agentes dicebant quod predicti defendentes, cum pluribus aliis malefactoribus aliunde venientibus, equitibus et peditibus, sibi associatis, cum lanceis, telis et aliis diversis armorum generibus, hostili more, contra bonum pacis, terre statum et statuta nostra, temere veniendo, sedicionem et insultum faciendo et guerram, turba coadunata, vexillo ville de Helizona elevato, ex certo proposito et preconcepta malicia, loca, domos, vineas et arbores fructiferas dicti militis et subjectorum suorum, per ignis immissionem, devastaverant, depopulaverant et pluries invaserant, pluraque dampna grandia intulerant eisdem in bonis et terris ipsorum, licet tunc in personis, bonis et dictis terris ejusdem militis et suorum predictorum nostra salva-gardia fuisset apposita, sicut dicebant agentes predicti, quare petebant, scilicet dictus procurator noster, pro nobis, factum hujusmodi nobis competenter emendari, et procurator dictorum singularium hominum de Gondrino, de Casa-Nova et aliorum locorum dicti militis, quo supra nomine, de dictis injuriis et dampnis, ipsis singularibus hominibus, per malefactores predictos illatis, satisfieri competenter, et quod fieret ad finem civilem emenda competens, per judicis officium, de premissis usque ad summam contentam in articulis traditis, super hoc, contra defendentes predictos, syndico seu procuratore dictarum villarum de Helizona, ville comitalis et castri novi de Heuzano, procuratorio nomine seu sindicatus earum, ex adverso, pluribus racionibus, proponente petita fieri non debere; dictus vero senescallus auditis propositis hinc et inde, liteque legittime contestata et utriusque partis probacionibus, super hiis, receptis, cognitoque de causa predicta, dictas universitates de Helizona, ville comitalis alias vocate Bretanha et castri novi de Heuzano et earum quamlibet et procuratorem seu sindicum earumdem, nomine procuratorio et sindicatus earum, per suam sentenciam, omni consulatu, ita quod ipsi amodo non habeant consulatum, nec possint consules eligere vel creare in locis predictis aut aliquo eorum-

dem in futurum, privavit, et nichilominus, ad dandum et solvendum nobis, pro dictis excessibus, decem millia librarum Turonensium parvorum, necnon et ad dandum, solvendum et restituendum dictis hominibus singularibus dampna passis et procuratoribus ipsorum, nomine procuratorio eorumdem, certas summas pecunie, in dicti senescalli judicato lato, super hoc, expresse contentas et declaratas, pro satisfactione et emenda dictorum dampnorum, premissa super hoc taxacione dicti senescalli et juramento recepto a dictis dampna passis, super estimacione dictorum dampnorum, per eandem sentenciam condempnavit, necnon et in expensis dicte litis, quarum taxacionem idem senescallus, suo judicio, reservavit, predictas universitates et earum homines a majori pena, si quam, pro predictis incurrerint, absolvendo, salvo tamen et retento quod contra Petrum Despeciis, tunc ballivum de Helizona, et contra alios singulares, si qui fuerint qui in predictis separatim deliquerint, sive dicantur deliquisse, contra quos, per processum hujusmodi, non fuit inquisitum, adhuc inquiri possit, et fieri super hoc, ad finem civilem, justicie complementum; a qua sentencia, pars utraque, quatenus contra se lata fuit, tanquam ab iniqua, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, ac arresto quodam, per curiam nostram, lato super reprobacionibus, ex parte dicte partis defendentis, propositis contra testes dicte partis agentis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse, et dictos appellasse[1] male appellasse, et quod predicta sentencia dicti senescalli mandabitur execucioni.

PHILIPPE IV, 1313.

Apud Pontisaram, martis post Quasimodo, anno trecentesimo quarto decimo.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LIX. Viso processu facto, pre ballivum Viromandensem, contra Johannem dictum de Pynon et suos complices, super cavalcata facta

[1] Lisez *appellantes*.

PHILIPPE IV, 1313.

per eum, cum armis, contra Johannem de Moncellis, armigerum, Johannem de Cramailles dictum le Borgne, et eorum complices, necnon processu facto per ipsum ballivum contra dictum Johannem de Moncellis et Johannem de Cramailles predictum et complices eorumdem, super cavalcata facta per eos, cum armis, contra dictum dominum de Pynon, et visis et auditis parcium confessionibus, tam super facto cavalcatarum hujusmodi, quam super verberacione et vulneracione famuli Petri Loys, burgensis Sancti-Quintini, et occisione equi ipsius Petri factis, per partem dicti Johannis de Moncellis, curia nostra, ex certa causa, condempnavit dictum dominum de Pynon, pro se et universis suis complicibus, in ducentis libris Turonensibus, dictumque Johannem de Moncellis in aliis ducentis libris Turonensibus, nobis, pro emenda, solvendis; item dicto famulo vulnerato in centum libris Turonensibus, pro injuriis suis, et ad reddendum sibi vel dicto Petro, ejus domino, valorem dicti equi occisi; item, dictum Joannem le Borgne de Cramailles, militem, qui fuit ductor principalis dicte cavalcate, et sub cujus confidencia dictus Johannes hoc faciebat, nobis in quingentis libris Turonensibus, pro emenda, et singulos milites alios, qui fuerunt pro parte dicti Johannis de Moncellis, in facto hujusmodi, quemlibet eorum, in sexaginta libris Turonensibus, ac ceteros non milites, qui cum dicto Johanne in facto hujusmodi fuerunt, quemlibet eorum in quadraginta libris Turonensibus, nobis pro emenda solvendis.

Nomina vero ceterorum qui fuerunt cum dicto Johanne de Moncellis in dicta cavalcata, contra dominum de Pynon, et summa cuilibet imposita, sunt ista, videlicet : Robertus et Guilelmus dicti de Cramailles, fratres predicti Johannis dicti le Borgne, milites; Symon de Sarco et Gerardus Malocaianz, milites, quilibet istorum quatuor militum, in sexaginta libris Turonensibus condempnati fuerunt; — item, Johannes de Cuiri, — Johannes de la Male-Meson, — Anseletus de Monceaux, — Anseletus d'Alemanz, — Johannes de Audeignies, — Robinus de Creci, — Jozellus de Sarmaises, — Wietus des Chans, — Monachus de Bouclenay, — Johannes de Cra-

mailles, alias dictus de Stratis, — Raolinus de Cramailles, — Albrionus, valetus domini R. de Cramailles; — Johannes de Cormeilles, — Petrus de Bello-Rivo, — et Gilo de Landefay, armigeri, quilibet istorum in quadraginta libris Turonensibus condempnati fuerunt. PHILIPPE IV, 1313.

Apud Pontisaram, martis post Quasimodo, anno trecentesimo quarto decimo.

M. Egidius de Remino reportavit.

LX. Cum episcopus Autissiodorensis domino Regi conquestus fuisset proponens quod, quando ipse dominus Rex terras comitatuum Nivernensis et Autissiodorensis ad manum suam poni fecit, propter delicta, rebelliones et alia crimina que contra ipsius regiam magestatem, Ludovicus, quondam comes Nivernensis, et dicti comitatus Autissiodorensis balliviam tenens, commiserat, idem episcopus, ut ipse dicebat, ante dictam assignacionem, per gentes domini Regis ad terras predictas factam, jure suo videlicet propter defectum hominis, ad terram et baroniam de Danziaco et de Collanges et ad dictum comitatum Autissiodorensem, exceptis castro et antiqua civitate Autissiodorensibus, tanquam ad res de feodo suo moventes, assignaverat, et eas ad manum suam posuerat et tenebat, dictarumque terrarum et omnium pertinenciarum earum, fructus et exitus, per se et gentes suas, levabat et explectabat, et quod, si dictus Ludovicus vel ejus gentes de dictis locis aliquid levaverant, hoc fecerant contra voluntatem ipsius episcopi, ut ipse dicebat, et manum suam frangendo, quare petebat quod dominus Rex sibi faceret, super hoc, justicie complementum, gentibus domini Regis in contrarium dicentibus quod, cum ipsi, de mandato domini Regis, pro predictis comitatibus et terris saisiendis, et ad manum domini Regis ponendis, ad dicta loca venissent, omnia predicta que dictus episcopus, ut premissum est, asserebat de feodo suo esse, gentes dicti Ludovici pacifice et quiete levabant et explectabant, absque aliqua manus imposicione vel saisina, per dictum episcopum, in rebus predictis facta, et quod,

Philippe IV, 1313.

si dictus episcopus manum suam forsitan posuerat in premissis, post hec Nicholaus ipse dictum Ludovicum, tunc comitem, in sua sufferencia, super hoc, posuerat, et quod, tempore manus domini Regis apposite in predictis, dicta sufferencia durabat, super quibus ipse dominus Rex suam volens conscienciam informari, per suas commisit litteras magistro Symoni de Aula ut ipse ad loca ad que, propter hoc, esset accedendum, personaliter accedens, vocatis dicto episcopo et ipsius domini Regis gentibus, de predictis omnibus et eorum circunstanciis summarie et de plano se informaret, et informacionem quam inde faceret, ipsi domino Regi remitteret, ad certam diem; qui magister suam fecit super hoc informacionem, dicti episcopi ac domini Regis gentibus ad hoc vocatis; que domini Regis gentes, coram eodem magistro, expresse protestate fuerunt quod raciones et declaraciones, pro parte domini Regis, in negocio hujusmodi, per eas proposite et tradite contra dictum episcopum non reciperentur nec valerent seu profiterent, nisi in quantum tangere poterant tenorem commissionis in hujusmodi negocio dicto magistro facte; dicta igitur informacione ad nostram curiam asportata, visa et diligenter examinata, ad finem predictum, inventum est per eam dictum episcopum melius quam gentes domini Regis probavisse quod tempore quo manus domini Regis fuit apposita in predictis comitatibus, ex causis antedictis, dictus episcopus predictam baroniam de Danziaco, Collingias et comitatum Autissiodorensem, cum suis pertinenciis, exceptis castro et antiqua civitate Autissiodorensibus, ex causa per ipsum superius allegata, per se et gentes suas tenebat et explectabat, exceptis villa Sancti-Salvatoris in Puiseya et villa de Autreyo que sunt de baronia Danziaci, de quibus invenitur melius probatum quod gentes dicti Ludovici, tempore quo manus domini Regis fuit ibidem apposita, dicta loca tenebant, et emolumenta, ex eis proveniencia, levabant et explectabant, quibus diligenter visis et facta, super eis, per curiam, relacione domino Regi, placuit ipsi domino Regi quod curia, super hoc, per arrestum suum pronunciaret illud quod per informacionem predictam videret racionabiliter faciendum : Attentis

igitur diligenter omnibus supradictis, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod manus domini Regis amovebitur de baronia de Danziaco, de Collinges et de comitatu Autissiodorensi et pertinenciis eorumdem, exceptis castro et antiqua civitate Autissiodorensibus et exceptis villa Sancti-Salvatoris in Puiseya et villa de Autreyo, salvo insuper domino Regi, super hiis, omni jure suo, tam in saisina quam in proprietate, quam jure quolibet alio quod, tam ex jure regio quam racione superioritatis sue vel qualibet alia racione, sibi potest competere in predictis. PHILIPPE IV, 1313.

Apud Pontisaram, martis post Quasimodo, anno trecentesimo quarto decimo.

Roya reportavit.

LXI. Cum, super debato in curia nostra pendente, inter comitem Campanie, ex una parte, et prepositum Calestrie, in ecclesia beati Martini Turonensis, ex altera, super eo quod procurator dicti comitis conquerebatur ex eo quod quamplures homines, cum eorum bonis, dicti comitis justiciabiles et in ejus justicia commorantes, dictus prepositus ceperat et captos tenebat, in ipsius comitis prejudicium et hominum predictorum, petebatque dictos homines, cum eorum bonis, sibi deliberari, dicto preposito plures raciones e contrario proponente, curia nostra, partibus auditis, commissionem, sub certa forma, fecisset super hoc, ad certos auditores, dictique auditores, virtute commissionis predicte, in negocio hujusmodi procedentes, vocatis coram se dictis partibus, super contentis in dicta commissione, inquisita per eos veritate, dictas personas, cum eorum bonis, per manum nostram, tanquam superioris, recredi fecissent, et super debato hujusmodi, certam diem dictis partibus assignassent, Parisius, in parlamento presenti, ad quam diem reportata curie nostre inquesta, super hoc, facta, dictis partibus presentibus, idem prepositus, proponens se, ex certis causis, in hujusmodi negocio, a dictis auditoribus appellasse, pluribus racionibus, peciit dictorum auditorum processum hujusmodi totaliter revocari et procedi in causa ap-

PHILIPPE IV, 1313.

pellacionis predicte, procuratore dicti comitis plures raciones e contrario proponente : Tandem, auditis hinc inde propositis visisque processu et commissione predictis, auditaque dictorum commissariorum relacione, curia nostra, per arrestum suum, dicti prepositi appellacionem predictam totaliter annullavit, et pronunciavit quod dictorum commissariorum processus predictus et recredencia predicta per eos facta, tenebunt, et, si dictus prepositus aliquid velit petere a dictis personis vel a comite predicto, curia nostra, vocatis partibus, super hiis que proponentur hinc inde, partibus exhibebit justicie complementum.

Martis predicta.

LXII. Lite dudum mota, coram senescallo Carcassonensi, inter partes infrascriptas, in eadem causa, libellus fuit oblatus sub forma que sequitur in hec verba : « Coram vobis nobili viro domino Philippo de Montibus, milite domini Regis, senescallo Carcassonensi et Biterrensi, asserunt Bertrandus Michaelis, procurator nobilis viri domini Johannis de Monte-Forti, militis, et Guillelmus Estandardi, miles, curator Elienoris, domicelle, sororis prefati domini Johannis, et procurator nobilis viri domini Bernardi de Convenis, filii nobilis viri domini comitis Convenarum, procuratorio et causatorio nomine ipsorum in judicio, contra dominum Hugonem Ademarii, militem, et Briant, domicellum, fratrem ejus, et contra dominam Vaqueriam, uxorem nobilis viri domini Jordani de Insula, militis senioris, et contra ipsum dominum Jordanum, dicentes quod castrum de Lumberiis et ville et castra seu forcie infrascripta, videlicet : La-Millaria, Leianum, Theuletum, Freiayrolas, Mosieys, Favys, Romegos, Ronellum, Mondrago, Botaria, Siurac, Pozols, Polanh, Brugeria, Sanctus-Benedictus, castrum de Berenx, Montainh, Alayrac, Sanctum-Felicium, Orbainh, villa Ruppis-de-Ariphato, villa Sancti-Antonini, villa Sancti-Lieux, castrum de Sancto-Jorio, villa de Marssail, bastida de Font-Cuberta, que vulgariter nuncupatur Brama-Fam, villa de Libuer; item medietas, pro indiviso, bastide seu ville Regalis-Montis, que quidem castra,

forcie seu ville sunt site seu sita in dyocesi Albiensi, versus partes Carcassone, citra flumen Tarni, pertinent ad dictum dominum Johannem, pro duabus partibus, pro indiviso, et ad dominam Elienor, pro dimidia residue tercie partis, pro indiviso, jure utilis dominii. Item asserunt quod dictus dominus Johannes, pro dictis duabus partibus, et dicta Elienor, pro dicta dimidia tercie partis, pro indiviso, habent in dictis castris, forciis et villis et toto tenemento ac pertinenciis eorum, merum et mixtum imperium et omnem ac quamlibet aliam juridicionem et cetera jura dominorum. Item asserunt quod domina Laura, soror dictorum domini Johannis et Elienoris, pertinentibus ad ipsam dominam Lauram dictis castris, forciis et villis pro alia dimidia dicte tercie partis, pro indiviso, jure utilis dominii, eaque habente et ad eam spectante, in dictis castris, forciis et villis et toto tenemento ac pertinenciis eorum, pro dicta dimidia tercie partis, mero et mixto imperio et omni ac qualibet alia juridicione et ceteris juribus dominorum, dedit et constituit in dotem et cessit, ex causa dotis, dicto nobili domino Bernardo de Convenis, militi, viro suo, omnia bona et jura sua tunc presencia et futura. Item asserunt, nominibus quibus supra, quod dicti dominus Hugo, Briant, domina Vaqueria et dominus Jordanus tenent et possident indebite et injuste dicta castra, forcias et villas, et utuntur mero et mixto imperio et omni ac qualibet alia juridicione et ceteris juribus dominorum in dictis castris, forciis et villis et toto tenemento ac pertinenciis eorum, non pacientes nec permittentes predictos dominum Johannem, Elienor, dominum Bernardum de Convenis nec ipsam dominam Lauram ibidem exercere merum nec mixtum imperium, nec aliquam aliam juridicionem, nec uti aliis juribus dominorum, quare agunt dicti Bertrandus Michaelis et Guillelmus Estandardi contra predictos dominum Hugonem Ademarii, Briandum, domicellum, et dominam Vaqueriam et dominum Jordanum de Insula, ejus virum, petentes ab eis, nominibus quibus supra, dicta castra, forcias et villas, prout ea tenent et possident, et ut patiantur predictos dominum Johannem, Elienor et dominum Bernardum de Convenis et quemlibet

PHILIPPE IV, 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

eorum pacifice uti, pro dictis partibus indivisis, mero et mixto imperio et omni ac qualibet alia juridicione et ceteris juribus dominorum in dictis castris, forciis et villis et toto tenemento ac pertinenciis eorum, et, ne prohibeant eosdem uti mero, mixto imperio et omni ac qualibet alia juridicione et ceteris juribus dominorum, in dictis castris, forciis et villis et tenementis ac pertinenciis eorum, et quod caveant ne in futurum impediant ipsos dominum Johannem, Elienor et dominum Bernardum de Convenis uti predictis juribus in dictis castris, forciis et villis et tenementis ac pertinenciis eorum, et in predictis petunt dicti Bertrandus Michaelis et Guillelmus Estandardi, miles, nominibus quibus supra, sibi et predictis quorum nomine agunt, per vos, domine senescalle, seu vestram curiam, condempnari predictos dominum Hugonem Ademarii, Briandum, dominam Vaqueriam et dominum Jordanum de Insula, cum fructibus inde perceptis a novem annis citra, si extant, vel eorum estimacionem, si non extant, quos fructus estimant mille libras Turonenses, annis singulis, valuisse, et petunt expensas factas et protestando faciendas, et predicta petunt, nominibus quibus supra, omni jure quo melius possunt petere, salvo jure addendi, mutandi, minuendi et corrigendi, protestantes quod non astringunt se ad omnia et singula predicta probanda, sed ad ea tantum que sibi et predictis, quorum nomine agunt, sufficiant, protestantes eciam sibi et predictis, quorum nomine agunt, fore salvas usus et consuetudines gallicanas et quod eis, suo loco et tempore, uti possint et se juvare, quatenus pro eis faciunt et facere possunt, quas reservant et reservare intendunt, nec eis nec alicui earum renunciant nec renunciare intendunt; immo faciunt generalem retinuam proponendi predicta et eis utendi loco et tempore oportunis; petunt eciam, nominibus quibus supra, ante omnia interrogari predictos dominum Hugonem Ademarii, Briandum, et dominam Vaqueriam et dominum Jordanum de Insula, si possident et quasi possident predicta, et pro qua parte quilibet possidet, divisa vel indivisa; ac, post multas altercassiones, ante litis contestacionem, super hoc habitas, inter partes easdem, factisque ostencionibus dictarum rerum

in libello predicto contentarum, lite que hujusmodi ad curiam nostram, Parisius, ex certa causa, postmodum remissa, in ipsa causa, Parisius, in curia nostra, per dictum Hugonem Ademarii, tam jure suo, quam ut heredem dicti Briancii, fratris sui, qui, hoc pendente, decessit, lis fuit legittime contestata, prout sequitur in hec verba : Salvo et protestato et retento, in omnibus, jure suo et salvis et retentis sibi omnibus suis defensionibus et excepcionibus, et quod eas possit proponere loco et tempore oportunis et specialiter de re judicata et de legittima prescripcione ac de pacto de non petendo, et quod libellus est ineptus et male conceptus, et protestato eciam quod ipse dominus Hugo non offert se sponte presenti liti, immo coactus et invitus, et quod non intendit litigare nec litem in se suscipere, nisi tantummodo de hiis que inferius confitebatur se possidere, et quod se reputat gravatum, quia compellitur litigare extra forum suum ordinarium senescalli Carcassonensis, sub quo res contente in libello sunt site et coram quo libellus fuit oblatus et facta generali et speciali retentione, per ipsum dominum Hugonem, omnium jurium suorum; respondet idem dominus Hugo Ademarii dicto libello, litem contestando in hunc modum; confitetur se, suo bono jure, possidere in solidum castrum de Lumberiis et villas, castra seu forcias de Milaria, de Leiano, de Theuleto, de Freiayrollis, de Mossieys, de Faus, de Romegos, de Roanello, de Posollis, de Pollano, de Brugeria, de Sancto-Benedicto, de Ruppe de Ariphato, de Santo-Anthonino, de Sancto-Lyaus, de Sancto-Jorio, de Marssail et de bastida de Font-Cuberta, cum quibusdam parciariis qui in eis recipiunt census et taschas que tenent in feudum ab ipso domino Hugone. Item confitetur se tenere et possidere in predictis merum et mixtum imperium et omnimodam juridicionem in solidum. Item confitetur se, ut proprietarium nudum, tenere et possidere villas seu forcias de Monte-Dracone et Bocaria et de Syuraco cum quibusdam parciariis qui ibi recipiunt taschas et census que tenent in feudum ab ipso domino Hugone, et se, ut proprietarium nudum, in proximis dictis locis, tenere et possidere merum et mixtum imperium et omnimodam juridicionem.

PHILIPPE IV, 1313.

PHILIPPE IV, 1313.

Item confitetur se tenere et possidere tres partes medietatis, pro indiviso ville Regalis-Montis, cum mero et mixto imperio et alia juridicione, cetera facta contenta et narrata in dicto libello, quatenus ipsum tangunt et contra ipsum facere possent, negat ut narrantur, et dicit petita fieri non debere; post dictam vero litis contestacionem, factis super hoc articulis a dictis partibus hinc et inde, et responcionibus ad eosdem, productisque testibus super hiis a dictis partibus, tam in Albigesio quam in Francia, tam super principali causa predicta, quam super consuetudinibus a dictis partibus allegatis, quam super objeccionibus contra testes productos hinc inde a dictis partibus propositis, pluribusque litteris et instrumentis ac diversis processibus a dictis partibus, in modum probacionis productis super hoc, ac pluribus racionibus, tam facti quam juris, allegatis super hoc hinc et inde, et finaliter, in dicta causa, ac partibus concluso dictaque Alienordi, tam jure suo, quam ut herede dicti Johannis, fratris sui, qui, hoc pendente, decessit, causam hujusmodi, tam cum dicto Hugone, quam, eo defuncto, cum Margarita, ejus filia et herede, ac Guidone de Convenis, ejus marito, prosequente, tandem inquesta super omnibus predictis, vocatis partibus, de mandato curie nostre, facta et completa, et ad curiam nostram, ad judicandum, remissa, ipsa curia nostra dictam inquestam videri fecit et diligenter examinari : Qua inquesta, cum diligenti discussione, per curiam nostram examinata, cum, per eam, inventum sit dictam Elienordim, tanquam principalem agentem, pro parte in dicto libello per ipsam petita, videlicet pro dimidia parte tercie partis rerum in dicta litis contestacione contentarum, et ut heredem dicti Johannis de Monte-Forti, fratris sui, et cujus ipsa, ut heres, in curia nostra arramenta dicte cause resumpsit, quantum ad duas partes castri de Lumberiis, ejus pertinenciarum et rerum et locorum aliorum, in dicta litis contestacione contentorum, per dictum Johannem, in predicto libello, petitas, que omnia dictus Hugo confessus fuit se possidere, cum mero et mixto imperio et omnimoda juridicione, in dictis locis, melius intencionem suam probavisse, curia nostra dicte Alienordi, pro jure suo, dimidiam partem tercie partis,

et eidem, tanquam heredi dicti defuncti Johannis, duas partes dicti castri de Lumberiis et ejus pertinenciarum et villarum, forciarum ac ceterarum rerum, in dicta litis contestacione contentarum, cum mero et mixto imperio et omnimoda juridicione, que omnia dictus Hugo confessus fuit se possidere, per suum judicium, adjudicavit, decernens predicta, jure utilis dominii, ad eam pertinere et predicta debere eidem deliberari et impedimentum in predictis, per quoscunque appositum, debere amoveri, salvo et reservato, dicte Alienordi contra heredes defuncte Vaquerie, quondam uxoris dicti Jordani de Insula, quantum ad cetera bona in dicta peticione contenta, et eidem Alienordi, per hujusmodi judicium, non adjudicata, jure suo, in quantum, de racione, salvum esse debebit, et reservata curie nostre condempnacione et taxacione fructuum et exituum de rebus predictis dicte Alienordi adjudicatis, a tempore quo predicta litis contestacio fuit facta, perceptorum, contra illos quos ad hoc, vocatis partibus, teneri, constiterit, prout racionabile fuerit, faciendis; quantum vero ad fructus et exitus de rebus predictis dicte Alienordi adjudicatis, ante dictam litis contestacionem, perceptos, in predicto libello petitos, curia nostra, per idem judicium, partem adversam absolvit. PHILIPPE IV, 1313.

Apud Pontisaram, lune post Sanctum-Marcum, anno trecentesimo decimo quarto.

Roya et Mangon reportaverunt.

LXIII. Lite mota, coram senescallo Belli-Cadri, inter Bethinum Cacinelli, militem, tempore quo ipse vivebat, ex una parte, et Petrum de Agantico, Raymondum Petri, dominum Agantici, domicellos, et Ermaganum de Melgorio, militem, ex altera, super nonnullis violenciis, injuriis et excessibus per eosdem Guillelmo de Castro-Novo, militi, locum dicti Betini tenenti in castro de Galazaincis, ut dicebatur, illatis, et cognito de dicta causa per commissarios super hoc datos, pluribusque diebus assignatis, ad diffinitivam sentenciam, super hoc, audiendam, dictis Petro Raymondo et Ermegano predictum senescallum et ejus commissarios recusantibus, ex causis plu-

PHILIPPE IV, 1313.

ribus, ut suspectos, quas recusacionum causas, dicti commissarii admittere noluerunt, tanquam invalidas et debito tempore non propositas; propter quod predicti Petrus Raymondus et Ermeganus ad nostram curiam appellarunt; tandem auditis in curia nostra dictis partibus, in causa appellacionis predicte, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod inquesta super predictis violenciis, injuriis et excessibus, facta, de mandato nostro, per predictos commissarios videretur et judicaretur : Visa igitur, per curiam nostram, inquesta predicta, et diligenter examinata, dicta curia nostra, predictos reos, ab impeticione predicta dicti Betini et heredum suorum, absolvit omnino.

Martis ante Ascensionem Domini.

Uscum reportavit.

LXIV. Lite mota, coram Matheo de Mantina, commissario per senescallum Belli-Cadri dato, inter Bermondum de Monte-Areno, priorem Sancti-Privati, Uticensis dyocesis, ex una parte, et Raymondum Peleti, militem, ex altera, super quibusdam violenciis, injuriis et excessibus, ut dicebatur, congregata multitudine armatorum, factis eidem priori per dictum militem, frangendo hostia claustri et domus ipsius prioris, et inde bladum, vinum, fenum, carnes et plures alias res dicti prioris extrahendo seu extrahi per violenciam faciendo, et ad domum ejusdem militis asportando, multasque injurias et excessus alios in persona dicti prioris et ejus familie committendo, ut dicebat idem prior, dicto milite, plura ad sui defensionem e contrario proponente; tandem, cognito, per dicti senescalli commissarium, de premissis, renunciato et concluso in causa predicta, dictisque partibus instanter petentibus jus sibi fieri super predictis, dictus commissarius, predictum militem in sexcentis libris Turonensibus, nobis, per suum judicium, pro emenda nostra, et predicto priori, pro dampnis et interesse suis ac eciam pro emenda excessuum predictorum et expensis in dicta lite factis, delato, ab eodem commissario dicto priori et prestito ab eodem juramento, super quantitate dampnorum et expensarum predictorum, in sex viginti libris Turonensibus condemp-

navit; a quo judicato utraque pars ad nostram curiam appellavit, videlicet predictus miles, tanquam ab iniquo, et dictus prior, tanquam a modica seu minori condempnacione : Auditis igitur, super hoc, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso per curiam nostram dicte cause principalis processu, predicta curia nostra, judicatum dicti commissarii corrigens et emendans, dictum militem nobis in quingentis libris Turonensibus, pro emenda nostra, racione dictorum excessuum, et dicto priori, in trecentis libris Turonensibus, pro suis dampnis et interesse predictis ac expensis litis predicte, per suum judicium condempnavit. PHILIPPE IV. 1313.

Martis predicta.

Uscum reportavit.

LXV. Discordiis motis, tam coram ballivo Ambianensi, quam in parlamento nostro, Parisius, inter personas inferius nominatas, super debato octo parium litterarum nostre curie finaliter traditarum, ac eciam novem aliarum litterarum sigillis abbatis et conventus Sancti-Vedasti Attrebatensis, ut dicitur, sigillatarum, in quibus abbas et conventus predicti, in certis pecuniarum summis, Guillelmo de Helebusterne, curato Sancti-Nicholay supra fossata Attrebatensia, tenebantur, ut dicitur, obligati solvendis earumdem litterarum portitori; primo mota discordia super dictis octo litteris, inter priorem Sancti-Vedasti predicti et magistrum Petrum de Ancra, executores, ut dicitur, Ysabellis de Nova-Villa, ex una parte, et Bertoudum de Beugi, ex alia, super eo quod predictus Bertoudus, coram dicto ballivo Ambianensi, petebat dictas octo litteras, ad commodum suum, execucioni demandari contra religiosos memoratos, dictis executoribus, coram predicto ballivo, in contrarium se opponentibus, allegando dictas octo litteras ad testamentum seu ordinacionem ultime voluntatis dicte Ysabellis, cujus ipsi se dicebant executores, pertinere ac sibi, tanquam executoribus dicte Ysabellis, pro dicta execucione adimplenda, deliberari debere et tradi. Item, super dictis octo litteris, mota discordia, inter dictum magistrum Petrum de Ancra, ex una

PHILIPPE IV, 1313.

parte, et dictum Bertoudum, ex alia, super eo quod dictus Bertoudus, coram dicto ballivo, petebat dictas octo litteras contra dictos religiosos, ad utilitatem suam, execucioni demandari, dicto magistro Petro se in contrarium opponente, et dicente dictas octo litteras, nomine dicti Guillelmi de Hellebusterne confectas, sibi, tanquam executori Guillelmi predicti ac eciam virtute cujusdam cessionis a dicto Guillelmo, de predictis octo litteris, sibi facte, pertinere debere, ac eciam dictas octo litteras per dictum ballivum debere sibi tradi et deliberari. Item super dictis octo litteris mota discordia in parlamento nostro, Parisius, inter Guidonem de Nigella, militem, et Petrum de Nova-Villa, heredes dicte Ysabellis, ut ipsi dicebant, ex una parte, et dictum Bertoudum de Beugi ac eciam predictos executores simul, ex alia, super eo quod dicti executores et Bertoudus, contra predictos Guidonem et Petrum, super dictis octo litteris, invicem contendentes, allegabant, ad fines per eos propositos, prout supra, dictis heredibus in contrarium se opponentibus, proponendo dictas octo litteras de pecunia dicte Ysabellis fuisse contractas, et ad commodum dicte Ysabellis fuisse confectas, et ad ipsam Ysabellim debere pertinere, ac per consequens sibi, tanquam heredibus Ysabellis predicte, debere tradi et deliberari. Item, super predictis aliis novem litteris, mota discordia, in curia nostra, inter Bertoudum predictum, ex una parte, et heredes predictos, ex altera, super eo quod dictus Bertoudus proponebat quod, licet ipse dictas alias novem litteras habuerit, tamen, de mandato episcopi Attrebatensis, dicte novem littere fratri Johanni de Beugi, de ordine Fratrum Minorum, fuerunt tradite ac eciam liberate : Visis igitur super hiis racionibus et responsionibus parcium predictarum, ac deposicionibus testium ab eisdem, super hiis, productorum, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicte octo littere, que sunt penes curiam nostram, dictis heredibus, tanquam sue, deliberabuntur, prestita tamen prius a dictis heredibus ydonea caucione, in manu curie nostre, de administranda et solvenda personis ydoneis, per curiam nostram, ad hoc deputandis, pecunia sufficienter, pro testamento vel ordinacione ultime voluntatis dicte Ysabel-

lis, prout in quibusdam cyrographis continetur, debite execucioni demandanda. PHILIPPE IV. 1313.

Martis ante Ascensionem Domini.

M. J. de Halis reportavit.

LXVI. Lite mota, coram senescallo Tholose, inter procuratorem nostrum, in judicatura Verduni constitutum, et Bernardum de Molinerio, sindicum tunc villarum et universitatum de Helisona et ville comitalis alias vocate Bertanha, et procuratorem aliquorum singularium hominum dictorum locorum dampna eisdem illata petencium, agentes, ex parte una, et Othonem de Casa-Nova, militem, dominum de Gondrino, Vigerium de Mahanco, Petrum de Scalano, Bertrandum de Galhardo, milites, Assinum de Galhardo, Guillelmum de Astraforti, domicellos, et consules castri de Gondrino defendentes, ex altera, super eo quod dicti agentes dicebant quod dicti defendentes, cum pluribus aliis malefactoribus, equitibus et peditibus, cum lanceis, telis et aliis diversis armorum generibus, elevatis vexillis, hostili more, contra bonum pacis securitatisque et garde nostrarum, per nos seu curiam nostram apportatarum, in bonis et personis ipsorum postque et contra appellacionem ad nos interpositam per agentes predictos, ut ipsi dicebant, loca, domos et bordas ipsorum in dictis villis et pertinenciis earumdem existentes, igne immisso in eis, destruxerant, et, ex certo proposito, et concepta malicia, dampna gravia intulerant eisdem, contra bonum pacis ac nostra statuta temere veniendo, quare petebant dicti agentes factum hujusmodi nobis et parti lese competenter emendari, et dampna, per hoc sibi illata, resarciri, usque ad summam contentam in articulis super hiis traditis contra defendentes predictos; dicta parte rea, pluribus racionibus, e contrario proponente, petita fieri non debere; auditis igitur super hiis, dictis partibus, liteque legittime super hoc contestata, et utriusque partis probacionibus super hiis receptis, cognitoque de causa predicta, tam cum dicto Othone de Casa-Nova, milite, quam, eo defuncto, cum Othone, ejus filio, domicello, et in dicta causa a parti-

PHILIPPE IV. 1313.

bus concluso, dictus senescallus, predictum Othonem de Casa-Nova, domicellum, filium et heredem dicti Othonis de Casa-Nova, militis, qui decesserat post litem super hoc cum eo contestatam, et ipsius heredis curatorem et procuratorem, quo supra nomine, ad dandum et solvendum dictis hominibus singularibus dampna passis et procuratori ipsorum, nomine procuratorio eorumdem, certas summas pecunie in judicato dicti senescalli, super hoc lato, contentas et declaratas, pro satisfactione et emenda dictorum dampnorum, premissa super hoc taxacione dicti senescalli et juramento recepto a dictis dampna passis, super estimacione et valore dictorum dampnorum, necnon et pro emenda nostra, dictum Assinum, in quingentis libris, dictum Vigerium, in ducentis libris, et predictum Bertrandum de Galhardo, militem, in sexaginta libris, et Guillelmum de Astraforti in ducentis libris, et Petrum de Scalano in sexaginta libris Turonensium parvorum, et consules, homines seu universitatem dicti castri de Gondrino in mille libris Turonensibus et procuratorem seu sindicum predictorum, nomine procuratorio seu sindicatus eorum, dandis et solvendis nobis, pro dictis excessibus, sentencialiter condempnavit, et insuper condempnavit eosdem in expensis dicte litis, quarum taxacionem, idem senescallus, suo judicio, reservavit, dictam partem ream a pena majori, si quam, pro premissis, incurrerat, absolvendo; salvo tamen et retento quod contra Bernardum de Auriabaco, qui tunc erat bajulus de Gondrino, et alios singulares, si qui fuerint, qui in predictis separatim deliquerint seu deliquisse dicantur, adhuc inquiri possit, ad finem civilem, et fieri justicie complementum; a qua sentencia pars utraque, tanquam ab iniqua, quatenus contra se lata fuit, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu, et judicato predictis eodem tamen judicato, quantum ad Garsiam de Fau, ad sexcentos solidos, et quantum ad Guillelmum Arnaldi de Galardaz, ad octoginta solidos monete, in dicti senescalli judicato, contente, licet ipsi Garsias et Guillelmus, per idem judicatum, in majoribus summis condempnati fuissent, moderato et restricto, per nostram cu-

riam, et ex causa, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit eumdem senescallum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod fiet execucio de summis predictis contra condempnatos predictos. PHILIPPE IV, 1313.

Martis ante Ascensionem Domini.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LXVII. Lite mota, coram judice ordinario Lectoriensi, inter Raymondum Guillelmi, de Colomerio, curatorem Arzende de Bordis, curatorio nomine ipsius Arzende, ex parte una, et Vitalem de Olivo, patrem et legittimum administratorem Petri et Vitalis de Olivo, filiorum suorum, heredum defuncti Guillelmi de Olivo, et Petrum de Olivo, defensorio nomine eorumdem, ex altera, super eo quod dictus curator dicebat, contra heredes predictos dicti Guillelmi de Olivo quod Bernarda de Cantamerla, avia quondam dicte Arzende, heredes suos universales instituerat dictam Arzendam et Girardam, ejus matrem, pro equalibus porcionibus, et quod dicta Bernarda, dum vivebat, et tempore mortis sue, habebat in bonis et tenebat, tanquam suam, quandam plateam, in qua nunc est domus de qua agitur, que confrontatur cum duobus itineribus publicis, ex duabus partibus, et cum domo Vitalis Daimeps, ex una parte, et cum domo Johannis de Bazetz, ex altera, et quod Bernardus Daguins et Garcionus de Barta, executores testamenti seu ultime voluntatis Bernarde predicte, vendiderunt dictam plateam Johanni de Gaurano, tempore quo ipse vivebat, pro solvendis debitis et legatis et pro complendo testamento dicte Bernarde, pro precio quater centum solidorum Morlanorum, et quod dicta Arzenda dictam plateam, ubi sita est dicta domus, retraxit ab emptoribus predictis, secundum usus et consuetudines Lectorie, et fuit de ea investita, racione retractus predicti, per dominos a quibus dicta platea tenetur in emphyteosim sub certo annuo censu, videlicet per Galterum de Ceres et Giraldum de la Sala, et ex tunc solvit dicta Arzenda, predictis dominis, censum seu servicium annuatim, pro dicta platea debitum, et quod Bernardus de

PHILIPPE IV, 1313.

Perdelhano, avus dicte Arzende, edificavit domum de qua agitur in parte dicte platee que erat dicte Arzende, et quod Petrus et Vitalis de Olivo, filii Vitalis de Olivo, heredesque dicti Guillelmi de Olivo, seu alii eorum nomine, detinent dictam domum, et eam reddere et restituere contradicunt dicte Arzende et curatori suo indebite et injuste, quare petebat dictus curator, nomine quo supra, declarari et decerni, per dictum judicem, predictam domum ad dictam Arzendam, ex causa dicti retractus, pertinere, et dictos heredes ad restituendum eandem dicte Arzende, sibi, nomine quo supra, condempnari; dictus judex, cognito de causa hujusmodi, dictam partem ream et dictum defensorem, nomine defensorio quo supra, ab impeticione dicte partis agentis, per suum judicium, absolvit, ipsam partem agentem, in decem libris Burdegalensibus, pro expensis dicte litis, eidem parti ree et dicto Petro, nomine defensorio quo supra, dandis, per eum taxatis et per dictum Petrum juratis, condempnans; reservans nichilominus ipsi parti agenti actionem, si quam habeat aliam quam racione dicti retractus ad res predictas; quam sentenciam dictus curator, nomine quo supra, in quantum pro ipso et dicta Arzenda faciebat, approbavit; in quantum vero contra ipsum et dictam Arzendam faciebat, tanquam ab iniqua, ad senescallum Vasconie appellavit; qui siquidem senescallus vel ejus locum tenens, cognito de causa hujusmodi, predictam sentenciam dicti judicis infirmando, pronunciavit dictum judicem male judicasse et partem appellantem bene appellasse; a qua pronunciacione, dicta pars defendens ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus antedictis, per judicium nostre curie, dictum fuit predictum senescallum vel ejus locum tenentem, quoad principalem causam predictam, male pronunciasse, et dictam partem defendentem bene appellasse. Quantum vero ad expensas in sentencia dicti prioris judicis comprehensas, curia nostra, per idem judicium, et ex causa, sentenciam dicti prioris judicis infirmavit, dictam partem agentem a dictarum expensarum condempnacione absolvens.

Marus ante Ascensionem Domini. PHILIPPE IV, 1313.
M. Riambaudus reportavit.

LXVIII. Lite mota in parlamento nostro Parisiensi, inter Guidonem de Noialle, militem, et Petrum de Nova-Villa, dicentes se heredes defuncte Ysabellis de Nova-Villa, civis Attrebatensis, ex una parte, et Bertoudum de Beugi, ex alia, super eo quod dicti Guido et Petrus, tanquam heredes dicte defuncte, requirebant quandam litteram, sigillo dicti Bertoudi sigillatam, in qua dictus Bertoudus in duobus millibus libris Parisiensibus debilis monete dicte defuncte Ysabelli extiterat et erat, ut dicebant, obligatus, dicto Bertoudo, ad sui liberacionem, proponente quod ipse de dictis duabus millibus libris satisfactionem fecerat competentem, proponendo eciam se plures peccuniarum summas, eciam quantitatem dictarum duarum millium librarum excedentes, diversis personis, pro dicta Ysabelli, secundum sue ultime voluntatis ordinacionem, ex certa causa, solvisse; quam solucionem ipse dicebat ad ejus liberacionem de dicto debito cedere debere, et quarum quantitatum particulas dictus Bertoudus coram gentibus nostris, se obtulit probaturum, prout in suis articulis continetur : Visis igitur, super hoc, racionibus dictarum parcium, ac deposicionibus testium, super hoc, a dictis partibus productorum, quia, per inquestam, super hoc factam, repertum est, dictum Bertoudum sufficienter probasse se certis personis infra nominatis solvisse, pro dicta defuncta Ysabelli, racione sui testamenti seu ultime voluntatis, sexcentas septuaginta quinque libras Parisienses debilis monete, videlicet Katerine, nepti sue, quingentas libras Parisienses debilis monete, filiis Lamberti de Nova-Villa, quinquaginta libras, Margote la Boursiere, sexaginta libras, Marote, pedisece sue, quadraginta libras, Almaurico, famulo suo, quindecim libras, Robino, coquo suo, centum solidos, Perroto Flandrinc, centum solidos, dictus Bertoudus a dictis sexcentis septuaginta quinque libris, per judicium curie nostre, extitit absolutus, et, per idem judicium, dictum fuit quod de dictis duabus millibus libris dicte sexcente septuaginta quin-

Philippe IV, 1313.

que libre deducentur; verum quia dictus Bertoudus in suis articulis proponebat quod ipse, pro dicta Ysabelli, solverat mille et ducentas libras debilis monete, pro maritagio filie Guidonis de Nova-Villa, militis, neptisque dicte defuncte, insuper et sexcentas libras Parisienses debilis monete, pro expensis funeris defuncte Ysabellis predicte, de quibus ad plenum non constat per dictum processum, per idem judicium nostre curie, dictum fuit, et ex causa, quod, super premissis et ea tangentibus, per personas ydoneas mandabimus inquiri plenius veritatem, et super eis veritate comperta, faciet curia nostra justicie complementum.

Martis ante Ascensionem Domini.

M. J. de Halis reportavit.

LXIX. Cum nos misissemus magistrum Yvonem de Laudunaco, clericum, et Poncium de Omelacio, militem, nostros, ad partes ducatus Aquitanie, adjuncto postea eisdem Petro Heberti, milite nostro, specialiter committentes eisdem, cum illa clausula quod ipsi tres, duo aut unus ex eis, etc. ut ipsi omnibus conquerentibus de quibuscumque dictarum parcium appellantibus, ad nos et adherentibus eisdem, tam agendo quam defendendo, racione exempcionis eorum, exhiberent, vocatis partibus, mature justicie complementum; tandem coram dictis magistro Yvone, et Petro Heberti, ex parte Arnaldi Cailliau, fuit, conquerendo, monstratum quod, cum ipse esset, et per plures annos fuisset in saisina pacifica et quieta possidendi turrim seu locum dictum de Basquetana cum suis pertinenciis universis, Guillelmus Raymondi, miles, de Gencyaco, cum magna multitudine armatorum, ad dictum locum seu turrim, more hostili, venit et dictum locum obsedit, ac dictum Arnaldum, timore mortis perterritum, inde fugere coegit, dictumque locum per vim et violenciam intravit, occupavit, saisivit et adhuc detinet occupatum, et garnisiones pluraque bona dicti Arnaldi ibidem existencia violenter inde portavit, usque ad valorem duorum millium librarum Turonensium, in prejudicium dicti Arnaldi, quare petebat idem Arnaldus, super hoc, inquiri, per

dictos commissarios, veritatem, et, ea reperta, se de dicto loco resaisiri et bona predicta sibi restitui; qui commissarii, vocato dicto milite, inquisiverunt de premissis, et inquesta facta super hoc, dictum militem condempnarunt ad restituendum eidem Arnaldo dictam turrim et garnisiones ac bona predicta, cum expensis in dicta lite factis per eundem Arnaldum et dampnis que ipse sustinuit in predictis de quibus liquebit; a qua quidem sentencia dictus miles ad nos appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque processu dicte cause, propter plures defectus in eodem repertos, curia nostra, per suum judicium, processum predictum totaliter anullavit.

PHILIPPE IV. 1313.

Martis ante Ascensionem Domini.

Creci reportavit.

LXX. Cum magister Hugo Rectore, coram Parisiensi preposito, proponeret contra Raginaldum Barboti, seniorem, et Johannem le Marrenier, quod idem Hugo, per se vel suum mandatum, domum Ville-Evrart que erat Galteri de Villa-Evrart, cum ipsius domus pertinenciis universis, sitam in castellania de Gornayo, que res, ad instanciam plurium creditorum, pro debito in quo dictus Galterus tenebatur eisdem, sub subhastacione seu proclamacione, ut moris est, posite fuerant per curias Castelleti Parisiensis et de Gornayo, die ultima proclamacionum hujusmodi et ancheriarum debite factarum super hoc, emerat, ancheriaverat ultimo, et posuerat per ancheriam, rite et debito factam tempore, ad ducentas quadraginta quinque libras Parisienses solvendas dictis creditoribus, nomine debitoris predicti, peteretque idem magister dictas res sic proclamatas adjudicari sibi et deliberari debere, et impedimentum, ex parte dictorum Raginaldi et Johannis, ibidem appositum amoveri, dictis Raginaldo et Johanne, pro se, quolibet suo jure, necnon et Raginaldo predicto, jure sibi cesso, super hoc, per Guillelmum Courte-Heuse, militem, et Johannem Clerici alias de Ruppeforti, in casu ubi idem Raginaldus, suo jure, non esset potior dicto magistro, pluribus racio-

PHILIPPE IV, 1313.

nibus e contrario proponentibus, petita fieri non debere et dictas res adjudicari sibi et deliberari petentibus; tandem factis, super hoc, articulis et responsionibus, ad eosdem pluribusque consuetudinibus, super hoc, allegatis, et aliis pluribus racionibus propositis, hinc et inde, productisque super hoc testibus ab utraque parte, dictus prepositus, per suum pronunciavit judicium quod ipse ex habundanti se informaret super consuetudinibus predictis et quod ipse postea procederet ad diffiniendum causam hujusmodi, non obstantibus propositis per partes predictas; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Raginaldus ad nostram curiam appellavit; auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa apposicionis predicte, et de voluntate curie nostre ac consensu parcium predictarum obmissa dicta appellacionis predicte sine emenda, dicte partes concordaverunt quod processus super hoc habitus videretur et judicaretur super causa principali predicta, rejecta tamen deposicione Dyonisii de Trouart, testis producti ex parte dicti magistri Hugonis : Viso igitur, per nostram curiam, et diligenter examinato dicte cause principalis processu, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum magistrum Hugonem suam intencionem super hoc melius probavisse, et quod eidem magistro dicte res deliberabuntur, solutis tamen, per eum, dictis creditoribus, nomine debitoris predicti, per manum justicie, dictis ducentis quadraginta quinque libris Parisiensibus, remanente nichilominus dicto Galtero, debitori, tonsura novem arpentorum prati ex dictis rebus levata, pro illo anno quo facte fuerunt proclamaciones predicte.

Martis ante Ascensionem Domini.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LXXI. Cum, super pluribus excessibus et violenciis quos Johannes de Merin, olim prepositus noster Registrensis, asserebat abbatem Mousoniensem et Guillelmum de Launay, armigerum, et gentes ipsorum perpetrasse contra dictum Johannem et dictum le Rous de Lumes, tunc prepositum nostrum de Maseriis, et alias gentes nostras,

exercentes, pro nobis, justiciam et gardam in villa de Alneto in Portuensi, ad nos, racione comitatus Registrensis, ut idem Johannes asserebat, pertinentes, in festo et nundinis beate Marie-Magdalene, que fuerunt anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo, et super eo quod e contra prior de Tyn, monachus Mousonniensis, pro dicto abbate et prioratu suo, dicebat dictas justiciam et gardam ad ipsos, racione dicti prioratus de Tyn, pertinere et prefatos prepositos et eorum complices ipsis abbati et priori et eorum gentibus justicia et garda predictis in dicto festo et nundinis utentibus, multas injurias et violencias intulisse et contra ipsos ac prepositum Laudunensem interponentem, ad requisicionem ipsius prioris, propter debatum hujusmodi, partes suas multipliciter excessisse; item super quamplurimis excessibus et violenciis quos dictus Guillelmus de Launay, armiger, dicebat dictos prepositos et ballivum nostrum Registrensem et eorum consortes, contra ipsum Guillelmum, domum suam de Gendun et bona sua fecisse, necnon et super nonnullis excessibus et violenciis quos dicti prepositi et eorum complices in prioratu beati Juliani de Maseriis ad monasterium Mousonnense pertinente et bonis ipsius prioratus, fecisse et perpetrasse dicebantur, plures inqueste, de mandato nostro et Petri le Jumeau, gardiatoris, pro nobis, comitatus Registrensis, facte fuerint, et ad nostram curiam asportate : Dicte inqueste, per curiam nostram, vise, propter plures defectus in ipsis repertos, fuerunt, per curie nostre judicium, anullate, et, per idem judicium, dictum fuit quod, super articulis super premissis jam traditis ac eciam tradendis a dictis partibus hinc et inde, coram auditoribus, super hoc, a nostra curia deputandis, vocatis evocandis, veritas inquiretur, et inqueste, que super hoc fient, reportabuntur judicande ad futurum proximo parlamentum.

PHILIPPE IV, 1313.

Martis predicta.

Deputati sunt ad hoc M. J. de Roya et P. Soillart, miles, et fuerunt tradite dicte inqueste predicto magistro J.

PHILIPPE IV, 1313.

LXXII. Lite mota, in curia nostra, inter dominum [de] Monte-Maurenciaci, ex una parte, et procuratorem nostrum, ex altera, super eo quod idem dominus asserebat se esse in saisina garde abbatie Vallis-beate-Marie, et petebat impedimenta in dicta saisina, per gentes nostras sibi apposita, amoveri, procuratore nostro ex adverso, pro nobis et nostro nomine, asserente nos esse immediate in saisina garde abbacie predicte, et petente nos ab impeticione dicti domini, super hoc, absolvi : Tandem facta, de mandato nostro, vocatis partibus, super hoc, inquesta et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit nos intencionem nostram, super saisina dicte garde, melius probavisse, dictamque saisinam, non obstantibus propositis ex adverso, nobis remanere debere, reservata, super hoc, dicto domino, questione proprietatis.

Martis ante Ascensionem Domini.

Uscum reportavit.

LXXIII. Cum, coram inquisitoribus deputatis a nobis ad inquirendum de maleficiis et excessibus officialium nostrorum Castelleti Parisiensis, conquesti fuissent Johannes de Sennevieres, Petrus Chaulant et Johannes de Gondreville, burgenses de Nantolio, quod Benedictus de Sancto-Gervasio, auditor dicti Castelleti, quandam litteram falsam, sub eorum nomine confectam, ipsis absentibus, signo suo scienter falso, signaverat, Parisius, die mercurii post festum Ascensionis Domini, anno ejusdem millesimo trecentesimo decimo, continentem quod ipsi et plures alii, in dicta falsa littera nominati, dicta die confessi fuerunt in jure, coram preposito Parisiensi, se teneri et quilibet eorum in solidum et esse principaliter obligatos Petro Flamingi, civi Parisiensi, in tribus millibus librarum Turonensium parvorum bonorum, residuis de majori summa in qua Philippus de Paciaco, dominus de Nantolio-le-Houdoyn, miles, fuerat obligatus eidem Petro Flamingi, asserentes quod, dicta die mercurii, ipsi Johannes de Sennevieres, Petrus Chaulant et Johannes de Gondreville erant et fue-

rant in dicta villa de Nantolio, que distat a villa Parisiensi per undecim leucas, horis prima, tercia, nona, vesperarum, completorii et usque ad occasum solis, per quod dicebant posse liquido apparere dictos burgenses, Parisius, dicta die, non fuisse nec esse potuisse, dictamque litteram falsam esse, et falso, per dictum Benedictum et in ipsorum absencia, signatam fuisse, virtute cujus littere, a dicto Benedicto, ut premittitur, falso signate et, per sigillatorem dicti Castelleti, ad signum et propter signum dicti Benedicti, sigillate, dictus Petrus Flamingi predictos burgenses et alios, in dicta falsa littera nominatos, fecerat, coram Parisiensi preposito, conveniri, incarcerari et diu in carcere detineri, bona eorum capi, distrahi et eciam devastari, propter quod ipsi dampnificati fuerant, ut dicebant, in mille libris Turonensibus, quare supplicabant inquisitoribus supradictis quod dictum Benedictum condempnarent et compellerent ad solvendum eisdem mille libras, pro interesse et dampnis suis predictis, dicto Benedicto plures raciones, ad sui defensionem, ex adverso proponente; tandem dicti inquisitores cognito de premissis, dictum Benedictum predictis Johanni de Sennevieres, Petro Chaulant et Johanni de Gondreville, in centum quinquaginta libris Turonensibus, pro dampnis et interesse predictis, per suum judicium, condempnarunt, reservata curie nostre taxacione emende nostre, contra eundem Benedictum, racione excessus predicti; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Benedictus ad nos appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque dicte cause processu et diligenter examinato, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictos inquisitores bene judicasse et dictum Benedictum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et fuit taxata, pro nobis, dicta emenda, per curiam nostram, contra dictum Benedictum ad quingentas libras Parisienses, et fuit, per idem judicium, dictus Benedictus in perpetuum privatus ab omni officio nostro habito et habendo.

PHILIPPE IV, 1314.

Martis ante Ascensionem Domini.

Uscum reportavit.

PHILIPPE IV, 1314.

LXXIV. Lite mota, in curia nostra, inter archiepiscopum Bituricensem, ex una parte, et decanum et capitulum ecclesie Bituricensis, ex alia, ac ballivum nostrum Bituricensem, pro nobis, una cum procuratore nostro dicte ballivie, ex altera, super eo quod dictus archiepiscopus quosdam detentos per dictum ballivum Bituricensem seu per gentes nostras qui in domo dicti archiepiscopi, sita juxta ecclesiam Sancti-Stephani Bituricensis, occasione cujusdam homicidii facti et perpetrati in dicta domo, capti fuerant, petebat sibi restitui et declarari saisinam alte et basse justicie, in dicta domo et eciam in claustro dicte ecclesie Bituricensis et eorum pertinenciis, ad se pertinere, et impedimentum, ut ipse dicebat, in predictis, sibi, per dictos decanum et capitulum et procuratorem nostrum, de novo appositum et specialiter quantum ad illos qui interfuerunt dicto facto, debere amoveri, dictis decano et capitulo in contrarium asserentibus et dicentibus se esse et fuisse in saisina omnimode justicie alte et basse, in dicta domo archiepiscopali et in toto claustro Bituricensi et ejus ambitu seu cinctura, a tempore cujus contrarii memoria non existat, et justiciandi omnes delinquentes ibidem, et petentibus predictos detentos, pro suspicione dicti homicidii, sibi restitui, et impedimentum, per predictos archiepiscopum et ballivum nostrum seu gentes nostras in hujusmodi sibi appositum, amoveri, et se esse in saisina predictorum declarari, procuratore nostro in contrarium asserente nos esse in saisina justicie omnimode, in dicta domo archiepiscopali et in toto claustro predicto, et justiciandi delinquentes ibidem et nullam restitucionem dictis archiepiscopo, decano et capitulo de predictis captis fieri debere, sed eos penes nos debere remanere : Facta igitur, super premissis, de mandato curie nostre, inquesta, et ad judicandum reportata, visa et diligenter examinata, quia per eam inventum est sufficienter probatum dictum archiepiscopum, quantum ad saisinam alte et basse justicie, in dicta domo archiepiscopali, dictos vero decanum et capitulum, quantum ad justiciam altam et bassam in dicto claustro, intencionem suam melius probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum

archiepiscopum in saisina alte et basse justicie, in dicta domo sua, dictos vero decanum et capitulum, in saisina totalis justicie, in dicto claustro, remanere debere, et predictos, racione predicta, in dicta domo archiepiscopali et in eorum prosecucione debita et continua captos, eidem archiepiscopo restitui debere, et, quia alii, pro facto hujusmodi, capti in dicto claustro, cum contra gardiam nostram deliquerint, sine prejudicio tamen juris dictorum decani et capituli in saisina sua justicie dicti claustri, sibi superius declarata, penes nos remanebunt, questione tamen proprietatis super omnimoda justicia, in dicta domo archiepiscopali dictis decano et capitulo ac nobis, super omnimoda justicia, in dicta domo et claustro predicto, reservatis. PHILIPPE IV, 1314.

Martis predicta.

Roya reportavit.

LXXV. Consules et jurati bastide nove Beati-Ludovici condempnati fuerunt, in presenti parlamento, per judicium curie domini Regis, in quingentis libris Turonensibus, racione quorumdam excessuum per eos illatorum Geraldo Lamberti.

M. J. de Templo habet judicatum et inquestam.

LXXVI. Cum, per arrestum curie nostre, in presenti parlamento, dictum fuisset quod inquesta facta inter dominum Montis-Morenciaci, ex una parte, et procuratorem nostrum, pro nobis, ex altera, super eo quod dictus dominus dicebat se esse in saisina habendi cognicionem et justiciam nobilium hominum in castellania Montis-Morenciaci commorancium, dicto procuratore nostro saisinam contrariam, pro nobis, proponente, si completa esset, videretur et judicaretur, et, si non esset completa, compleretur, et, visa dicta inquesta, inventum sit eam non esse completam, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta inquesta perficietur pro utraque parte.

Martis ante Ascencionem.

Roya, qui habet dictam inquestam, et Gaufridus de Vitriaco perficient ipsam.

PHILIPPE IV, 1314.

LXXVII. Cum, in Castelleto nostro Parisiensi, propositum fuisset, ex parte Ludovici dicti Fouillet, contra Yvonem Britonem, mensuratorem salis, quod, ipso Ludovico existente in saisina, per se vel per alium seu alios, percipiendi et levandi sex libras et tres solidos incrementi census, anno quolibet, ad quatuor terminos, Parisius, consuetos, super quadam domo sita in vico Sancti-Germani Autissiodorensis, in cuno Saunerie, quam, ad presens, inhabitat dictus Yvo, dictusque Ludovicus vellet levare dictum censum, [ac] accepisset pignora in ipsa domo, pro arreragiis census predicti, dictus Yvo rescussit eidem dicta pignora, predictum Ludovicum in dicta saisina sua indebite perturbando, quare petebat dictum impedimentum, per ipsum Yvonem sibi in hujusmodi indebite appositum, amoveri, dicto Yvone in contrarium dicente quod ipse erat in saisina dicte domus, et fuerat, per tres et per quatuor annos, immediate precedentes, sine prestacione dicti census et absque alia prestacione, exceptis viginti septem libris quas supra dictam domum ipse debebat aliis certis personis, loco et tempore declarandis, et cum, ut ipse dicebat, dictus Ludovicus indebite et de novo gagiasset, in dicta domo, capiendo ibi unam minam et unum minotum ad mensurandum sal, contra dicti Yvonis voluntatem, ipsumque Yvonem in saisina sua predicta indebite perturbando, petebat dictum impedimentum, per restitucionem dictorum pignorum, sibi amoveri, et dictum Ludovicum in emenda, pro premissis, sibi condempnari; tandem prepositus Parisiensis, cognito de dicta causa, predictum Yvonem, per suum judicium, condempnavit in petitis per ipsum Ludovicum, eundem Ludovicum ab impeticione predicta dicti Yvonis, per idem judicium, absolvendo; a quo judicato, tanquam falso et pravo, per dictum Yvonem fuit ad nostram curiam appellatum : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu dicte cause principalis et judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum Yvonem bene appellasse, salva, super hoc, dicto Ludovico, questione proprietatis.

Mercurii in vigilia Ascencionis. PHILIPPE IV, 1314.
Creci reportavit.

LXXVIII. Lite mota, in curia nostra, in causa que vertitur inter executores defuncti dicti Labre Vulpel de Luques, ex una parte, et dictum Rique Symon Tenaille et Nicholaum dictum Quinquenel, ex altera, super eo quod dicti executores proponebant, contra dictos reos et eorum quemlibet in solidum, quod ipsi, sponte et voluntarie, suo et sociorum suorum de societate Francesium de Florencia nomine, sollenni stipulacione interveniente, se obligaverant et promiserant Nicholao Paganelli, civi et mercatori Lucarum, recipienti et sollenniter stipulanti, suo et Lazari, filii quondam Lazari de Fondera, concivis sui, et cujuslibet eorum nomine, se integre persolvere duo millia centum septuaginta quinque libras Turonenses, ad certos terminos, ut, in instrumento, super hoc confecto, plenius contineri dicebant, et quod predicta jura et actiones que et quas habebat aut habere poterat predictus Lazarus, in predicta peccunie summa, contra predictos Symonem Tenaille, Nicholaum Quinquenel et eorum socios, de societate predicta, et que eidem Lazaro competere poterant, in premissis, idem Lazarus, ut ipsi dicebant, dedit, tradidit et cessit eidem Labro, recipienti, predicta jura et actiones contra dictos Symonem Tenaille et Nicholaum Quinquenel ac eorum socios et ipsum Labrum, procuratorem, tanquam in rem suam, constituerat in premissis, quare, cum de dicta peccunie summa non fuisset predictis executoribus satisfactum, petebant dicti executores predictos Symonem Tenaille et Nicholaum Quinquenel condempnari ad reddendum eisdem executoribus predictam peccunie summam, ut de ipsa possent facere, prout dictus testator, in suo testamento, ordinaverat, ut ipsi dicebant, parte adversa plures raciones, ad sui defensionem, e contrario proponente, per quas dicebat se a dicta peticione predictorum executorum debere absolvi : Lite igitur super premissis contestata, testibus productis et instrumentis ab ambabus partibus, in modum probacionis super hoc exhibitis, ac concluso in causa pre-

PHILIPPE IV, 1314.

dicta, inquestaque super hoc facta, ad judicandum, ad nostram curiam reportata, visis processibus et inquesta predictis, dicti Rique Symon Tenaille et Nicholaus Quinquenel, ab impeticione predicta dictorum executorum, per ipsius curie nostre judicium, absoluti fuerunt.

Mercurii in vigilia Ascencionis Domini.

Housseya reportavit.

Dominica post Assumpcionem beate Marie, anno millesimo trecentesimo quindecimo, de mandato curie, tradidi dictum processum preposito Parisiensi.

LXXIX. Cum, in nostra curia, major et pares ville Belvacensis proponerent dicte ville communiam et ejusdem communie justiciam ad nos pertinere, quodque Belvacensis episcopus quedam ipsius communie bona capi fecerat, in ipsius communie et juris nostri prejudicium, quare ipsi requirebant, dicta bona per nos, tanquam per manum superioris, ipsis majori et paribus recredita sibi deliberari ad plenum, dicto episcopo ex adverso dicente se Francie parem, comitem et dominum Belvacensem, et ad ipsum dicte communie justiciam pertinere, seque dicta bona, per judicium sue curie, juste capi fecisse, eo videlicet quod ad ipsius episcopi submonicionem, pro defensione feodi sui et juris ecclesie Belvacensis, ad mandatum dicti episcopi, non iverant major et pares predicti; item et pro eo quod quendam hominem dicte communie Belvacensis ipsi compulerant ad hacheyam faciendum, licet ad dictum episcopum, ut ipse dicebat, et non ad dictos majorem et pares hujusmodi compulsio pertineret; que premissa dicti major et pares fecerant, in ipsius episcopi prejudicium et ecclesie Belvacensis, ut ipse dicebat, licet eidem episcopo per fidelitatis sacramentum ipsi essent astricti; super quibus dicti major et pares, ad ipsius episcopi curiam, fuerant sufficienter vocati, ac, per ejusdem curie judicium, pro contumacibus pluries reputati, et, juxta patrie consuetudinem, habiti pro convictis, et, ad emendandum premissa dicto episcopo debere teneri, quare petebat dictus episcopus predicta bona sibi restitui, et, super hiis,

curiam sibi reddi, dictis majore et paribus ac procuratore nostro, pro nobis, e contrario, pluribus racionibus, dicentibus petita fieri non debere, et apud nos, super premissis, debere curiam remanere: Tandem inquesta super hiis, de mandato curie nostre, facta, visa et diligenter examinata, visis eciam quibusdam arrestis curie nostre et litteris aliis a dictis partibus, pro sua intencione fundanda, productis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predicta bona dicto episcopo deliberari, ac curiam super dictis duobus casibus eidem episcopo reddi debere, salvis tamen dictorum majoris, parium et communie Belvacensium racionibus et defensionibus coram dicto episcopo, super utroque principali facto hujusmodi proponendis, salvo eciam in aliis jure nostro (19). PHILIPPE IV. 1314.

Mercurii in vigilia Ascensionis.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LXXX. Cum, coram preposito Parisiensi, Nicholaus de Pertico, actor, contra Nicholaum le Coc, reum, peteret execucionem fieri cujusdam arbitralis sentencie late per Stephanum de Mante, arbitrum electum a dictis partibus, dicto reo, e contrario, pluribus racionibus, proponente petita fieri non debere, seque super hoc petente absolvi, reconveniendo eciam dictum actorem, super aliis, coram preposito antedicto; tandem super hiis factis articulis, datisque responsionibus ad eosdem et testium super hoc ab utraque parte productorum deposicionibus publicatis, ac productis quibusdam instrumentis hinc inde, proposuit idem reus se non debere compelli procedere, in dicta causa, cum predicto actore, nec ipsum actorem admitti debere ad prosequendum execucionem predictam, et dictum actorem cecidisse totaliter ab instancia processus predicti, per usum et consuetudinem notorios Castelleti Parisiensis, cum, per quinque septimanas et amplius, dictus actor negligenter obmisisset, ut ipse dicebat, prosequi et continuare suum processum predictum, nundum in dicta causa conoluso, cum plura objecisset idem reus contra testes dicti actoris, ex quo liquere non poterat de jure

Philippe IV, 1314.

parcium predictarum, dicto vero actore, pluribus racionibus, ex adverso dicente se admitti debere ad prosequendum suum predictum processum, idem prepositus, auditis, super hoc, dictis partibus, visoque processu et considerato statu cause predicte, per suam pronunciavit interlocutoriam quod, consideratis ipsarum parcium confessionibus et litteris, ab ipsis partibus, in modum probacionis, productis, non obstante quod idem actor cessasset continuare dictum processum, post publicacionem testium necnon et post objectiones propositas contra testes predictos, que probari per acta poterunt, vel per instrumenta parcium predictarum, procedi debebat in dicta causa ad audiendum jus super diffinitivam, reservatis in ipsa juris racionibus, pro parte utraque; a quo judicato, tanquam falso et pravo, idem reus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum reum male appellasse et quod ipse hoc emendabit, et revertentur dicte partes ad prosequendum ulterius, coram dicto preposito, processum eorum predictum.

Mercurii predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus ad prepositum.

LXXXI. Lite mota, inter episcopum Sagiensem, nomine suo et ecclesie sue, necnon et Johannem Mordec, attornatum Colini de Larry, minoris annis, applegiati per Robertum de Chansey, militem, et Foucaudum de Argentele, scutiferum, ex una parte, et procuratorem nostrum, pro nobis, ex altera, super eo quod dictus episcopus medietatem gastinarum lande de Goul, de quibus gastinis nos eramus et sumus in bona saisina, dicebat ad ipsum pertinere, et quod ipse forcius jus et melius habebat petendi premissa quam nos ea retinendi, quare petebat medietatem predictam sibi deliberari, predicto attornato, nomine dicti minoris et pro ipso, pro alia medietate dictarum gastinarum, similia contra nos proponente et petente,

dicto procuratore nostro, pro nobis, e contrario, pluribus racionibus, proponente et dicente petita per ipsos fieri non debere, nosque pocius jus habere retinendi premissa, quam habeant predicti episcopus et attornatus ea petendi : Inquesta igitur, vocatis dictis partibus, et de ipsarum consensu, virtute commissionis nostre, super hiis facta, visa et diligenter examinata, quia, per eam repertum fuit dictum procuratorem nostrum, pro nobis, melius intencionem suam, super hoc, probavisse, per curie nostre judicium, dictus procurator noster, pro nobis, ab impeticionibus predictis dictorum episcopi et attornati, nominibus quibus supra, extitit absolutus, et, per idem judicium, dictum fuit predictas gastinas ad nos, quoad possessionem et proprietatem, pertinere. PHILIPPE IV, 1314.

Mercurii in vigilia Ascencionis.

M. J. de Goy reportavit.

LXXXII. Cum Marota dicta la Picarde, Petrum Fidelis et Petrum Franqui de Tholosa, super morte Johannis Barrau, alias dicti Molon, quondam mariti sui, virtute litterarum nostrarum, coram vicario Tholosano, prosecuta fuisset, dictique Petrus et Petrus se, super dicta morte, innocentes asseruissent, litem contestando, et nichilominus proposuissent quod dictus Johannes, morte naturali decesserat, apud Castrum-Seignorii, Agennensis dyocesis, et, in cimiterio Beate-Marie-de-Parata corpus ejus traditum fuerat ecclesiastice sepulture, et, facta super hoc inquesta et ad dictum vicarium reportata, idem vicarius predictos Petrum et Petrum, super morte dicti Johannis, per suam diffinitivam sentenciam, absolvisset, et, a dicta sentencia, pro parte dicte Marote, ad nostram curiam appellatum fuisset : Tandem, in causa dicte appellacionis, auditis partibus predictis et visis, per curiam nostram, actis et processibus dicte cause, per curie nostre judicium dictum fuit predictum vicarium bene judicasse et dictam partem adversam male appellasse.

Mercurii predicta.

M. Jacobus de Jarcey reportavit.

PHILIPPE IV, 1314.

LXXXIII. Cum Poncius de Podio-Barsaco, canonicus Cathalanensis, priorque prioratus de Vienna, Agennensis dyocesis, nobis conquestus fuisset quod Jordanus de Insula, domicellus, ad dictum prioratum, qui est de membris monasterii Clugniacensis et sub nostra custodia speciali, accedens, blada et vina et plura alia bona dicti prioris ibidem existencia violenter extraxit, et secum portavit, in dampnum et prejudicium prioris ejusdem, nos senescallo Petragoricensi vel ejus locum tenenti, per nostras mandavimus litteras ut ipse, vocatis partibus, veritatem inquireret de predictis, et, super hoc, exhiberet eisdem partibus celeris justicie complementum. Dicto itaque Jordano coram commissariis, super hoc, a dicto senescallo deputatis, super hoc, pluries et sufficienter citato et pro contumace reputato, dicti commissarii inquisiverunt, super hiis, veritatem; per quam inquestam dictus senescallus, vel ejus locum tenens predictum Jordanum, eidem priori, in certis pecunie summis ac, nobis, in mille libris Turonensibus, pro emenda nostra, per suum judicium, condempnavit; que condempnacio, prout idem locum tenens curie nostre scripsit, propter rebellionem dicti Jordani, hactenus non potuit execucioni mandari; constitutis igitur, super hoc, dictis partibus in parlamento presenti, dictus prior ac procurator noster instanter pecierunt quod curia nostra faceret execucioni mandari judicatum predictum, procuratore dicti Jordani plures raciones e contrario proponente et dicente dictum processum non valere, pro eo maxime quod ipse, ut dicebat, erat exemptus a jurisdicione senescalli Petragoricensis, et quod, post appellacionem ab ipso legittime interpositam, factus fuerat dictus processus; auditis igitur hinc inde propositis, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod, non obstantibus appellacione et aliis propositis, ex parte dicti Jordani, inquesta predicta videretur et judicaretur : Tandem visa et diligenter examinata inquesta predicta, curia nostra condempnaciones predictas, per suum judicium, confirmavit, et precepit quod dictum judicatum predicti locum tenentis ex integro execucioni mandetur, et quod dictus senescallus vel ejus locum tenens, vocatis partibus, veritatem inqui-

rat de rebellione et rescussa quas dictus Jordanus et ejus gentes fecisse dicuntur; postea contra gentes nostras ad faciendum execucionem dicti judicati specialiter destinatas, et, scita veritate super hoc, nobis et parti lese, factum hujusmodi competenter faciat emendari. PHILIPPE IV, 1314.

Martis ante Ascensionem Domini.

Poncius de Omelatio, miles, reportavit.

LXXXIV. Cum in causa, coram Parisiensi preposito, mota, inter Guillelmum de Jehannes, clericum, scolarem Parisiensem, et universitatem magistrorum et scolarium Parisiensium, in quantum quemlibet tangit, ex una parte, et abbatissam et conventum beate Marie Suessionensis et Petrum de Jehannes, earum majorem, ex altera, super pluribus excessibus et injuriis, in prejudicium garde nostre, dicto scolari, in persona et bonis suis, ut dicitur, illatis, cujus scolaris bona dictus major injuste dicitur detinere, dictarum religiosarum ac dicti majoris earum procurator plures raciones declinatorias proposuisset, ad illum finem quod ipse non teneretur, in causa hujusmodi, coram dicto preposito, respondere, parte adversa plures raciones in contrarium proponente; auditis hinc inde propositis, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit procuratorem predictum, non obstantibus racionibus per eum propositis, teneri respondere coram ipso, in causa predicta; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dictus procurator ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictum procuratorem male appellasse et quod ipse hoc emendabit, et precepit curia nostra quod dicte partes, super dicta earum principali causa, ad examen dicti prepositi revertantur.

Martis predicta.

Remissus fuit processus dicto preposito.

LXXXV. Cum Guido de Tornamina, burgensis de Martello, con-

PHILIPPE IV, 1314.

quereretur de quodam judicato, contra ipsum, in presenti parlamento, lato, pro Raymondo et Geraldo de Cornelio, fratribus, super redempcione seu reempcione certarum hereditatum, dicens quod, per errorem, curia nostra non viderat omnes processus super hoc factos inter partes predictas; nos, de gracia speciali, precepimus quod, auditis, super hoc, dictis partibus, et visis processibus earumdem et quibusdam litteris et instrumentis existentibus ibidem necnon quodam arresto curie nostre, in dicta causa, alias facto inter partes predictas, per curie nostre judicium, dictum fuit quod, non obstantibus propositis, ex parte dicti Guidonis, judicatum predictum, sicut est, tenebit, et mandabitur execucioni.

Lune post Invencionem Sancte-Crucis.

LXXXVI. Philippus, etc.... ballivo et receptori nostro Senonensi salutem: Cum, super nonnullis rescussis, verberacionibus et injuriis aliis per abbatem et conventum monasterii Molismensis vel eorum gentes, Clementi Chapelli et Giroto dicto le Normant, servientibus nostris, in ballivia Senonensi, ut dicebatur, illatis, ad denunciacionem et prosecucionem servientum ipsorum per vos ballivum ac per dilectum et fidelem nostrum Poncium de Homelacio, quedam facta fuerit inquesta, dictique religiosi, ejusdem inqueste non expectato judicio, et mediante quodam composicionis tractatu, per ipsos et ad eorum requisicionem, cum quibusdam nostris gentibus habito, pro dictorum servientum emenda, centum libras Turonensium parvorum, in proximo futuro festo beate Marie-Magdalene eisdem servientibus solvendas, ac, pro premissorum emenda nostra, trecentas libras Turonensium parvorum nobis solvendas per terminos infrascriptos videlicet: in quolibet Omnium-Sanctorum festivali die, trium annorum proximo et continue sequencium, centum libras, obtulerint se daturos, nos cum dictis religiosis, nobis, super hoc, supplicantibus, agere volentes graciosius in hac parte, oblacionem hujusmodi, pro nobis et dictis servientibus, acceptamus, et dictam inquestam totaliter anullantes, super rescussis, verberacionibus et injuriis predictis, mediante

prestacione hujusmodi oblate emende, religiosos predictos gentesque suas quaslibet absolvimus et quittamus; mandantes et vestrum cuilibet injungentes quatenus, adveniente dicto Magdalene termino, dictas centum libras, prefatis servientibus nostris, pro dicta emenda sua, faciatis, de bonis dictorum religiosorum, persolvi, alias trecentas libras, pro emenda nostra, nobis oblatas ab eisdem religiosis, per dictos terminos exigentes et levantes, nostrisque racionibus assignantes. PHILIPPE IV. 1314.

Datum Parisius, die tercia maii, anno trecentesimo decimo quarto.

Sic reportavit dominus Poncius de Omelacio, miles.

LXXXVII. Visis quibusdam articulis, per errorem, ut dicebatur, factis, inter episcopum Pictavensem, ex una parte, et senescallum ac procuratorem nostros Pictavenses, ex altera, temporalitatem nostram necnon superioritatem et ressortum nostros expresse tangentes; in quibus articulis continebatur, inter cetera, quod dictus episcopus proponebat quod, ipse, de suo et predecessorum suorum tempore, erat in saisina tenendi temporalitatem suam, racione dicti episcopatus ad eum pertinentem, cum omni justicia alta et bassa dicte temporalitatis, et eam explectandi, per se, absque ressorto et superioritate seu justicia qualicunque domini Regis; curia nostra dictos articulos et inquestam super eis factam, et quicquid ex eis extitit subsecutum totaliter anullavit et dixit quod, si dictus episcopus in aliquo conqueri voluerit de senescallo predicto, ipsa curia nostra, vocatis partibus, exhibebit eisdem justicie complementum.

Martis ante Ramos Palmarum anno decimo tercio.

LXXXVIII. Cum nos redditus quos apud Mesnilium Manasserii habebamus, Richardo dicto Cors-d'omme, vicecomiti Vernolii, tradidissemus ad firmam, pro quadraginta octo libris decem et septem solidis et octo denariis Turonensibus annui redditus, per informacionem, de mandato nostro factam, per ballivum Cadomensem, super valore reddituum predictorum, et nuper Gaufridus de Argenciis scutifer, asserens nos, in estimacione predicta dictorum reddituum,

PHILIPPE IV, 1314.

enormiter fuisse deceptos, dicto ballivo obtulit se, ultra dictam summam ipsius firme, paratum dare viginti libras Turonenses per annum; requirens, per incariamentum hujusmodi, sibi tradi firmam predictam; cujus oblacionis pretextu, dictus ballivus firmam eandem posuit ad manum nostram; super quo dictus Richardus conquerens, et se plures melioraciones in dicta firma fecisse proponens, impedimentum per dictum ballivum sibi, super hoc, appositum peciit amoveri; nos vero, super valore dictorum redditum, mandavimus iterato, vocatis partibus, sciri veritatem, considerato tempore tradicionis predicte et eciam super valore melioracionum factarum ibidem per Richardum predictum: Visis igitur, per curiam nostram, pluribus informacionibus, super hoc, factis, et auditis racionibus dictarum parcium, super hoc, propositis, hinc inde, placuit nobis quod dicta firma, pro sexaginta libris Turonensibus annui redditus, remaneat imperpetuum Richardo predicto.

Martis ante Ramos-Palmarum, anno decimo tercio.

LXXXIX. Ballivo Senonensi: Cum, sicut per informacionem, de mandato nostro, per vos vel commissarium vestrum, factam, constet nobis quod abbas et conventus monasterii de Besa multorum debitorum oneribus sunt oppressi, nec habent, in bladis, vinis vel aliis bonis unde commode se ad presens valeant acquittare, quodque nonnulli creditorum ipsorum eorum bona adeo dissipari faciunt et consumi quod, nisi, super hoc, celeriter de oportuno remedio provideatur eisdem, monachos et fratres ipsius monasterii oportebit dispergi, et ex hoc divinum cultum in eodem monasterio minui, vel forsitan omnino cessare, quod pocius volumus augmentari; nos ipsius monasterii et personarum ejusdem miserabili statui in hac parte pio compacientes affectu, volumus et eisdem, de gracia concedimus speciali, ut vos certas personas ydoneas, videlicet duas vel unam, ex parte nostra, deputetis qui fructus omnes, redditus et proventus dicti monasterii levent et recipiant et ex eis victum et vestitum et alia necessaria dictis abbati et conventui et aliis personis necessariis dicti monasterii, moderate et sine ulla superfluitate, mi-

nistrent, edificia et alias dicti monasterii possessiones, prout necessarium fuerit, competenter substentent, necnon vineas, terras et ortos eorum excoli faciant, sicut decet, et de eo quod de dictis fructibus et redditibus residuum fuerit creditoribus ejusdem monasterii, cuilibet, videlicet annis singulis, usque ad quinquennium, quintam partem debitorum hujusmodi de quibus vobis ballivo, semotis usuris et aliis illicitis decepcionibus, legittime constiterit, solvant vel amplius, secundum quod anno quolibet sufficere poterit residuum predictum, quos creditores contentos esse solucione volumus supradicta, et quod dicti religiosi, ad solucionem aliam de dictis debitis faciendam a quoquam justiciario minime compellantur; quocirca mandamus vobis, ballivo predicto, ut vos duos vel unum viros ydoneos et existentes solvendo, ut premittitur, deputetis, ex parte nostra, qui, juxta tenorem hujusmodi, predicta faciant cum moderatis expensis, et fideliter exequantur et qui, de leveiis et receptis ac expensis et solucionibus que per eos fient in predictis, et alias, de administracione sua predicta, debitam racionem annuatim reddere teneantur, nec dictos religiosos permittant ab aliquo justiciario, contra tenorem hujusmodi gracie, molestari, inquietari quomodolibet aut gravari; mandamus insuper vobis ballivo predicto, ut si vos, aliqua de bonis dicti monasterii alienata inveneritis illicite vel distracta, ipsa, prout ad vos pertinuerit, ad statum debitum, vocatis evocandis, reducere non obmittatis, et ad exequendum omnia predicta diligenter procedatis, non obstante, si forsitan aliquod mandatum contrarium a nobis fuerit impetratum, in quo de hujusmodi gracia expressa mencio nullatenus habeatur, presentibus post quinquennium minime valituris; scituri preterea quod graciam predictam extendi nolumus ad debita de corpore nundinarum Campanie nec ad decimam pro subsidio Terre Sancte debitam nec ad debita que nobis debentur.

Philippe IV. 1314.

Jovis post Sanctum-Barnabam anno decimo quarto.

CX. Cum Symon et Guillelmus, filii Johannis de Ycio, curie nostre, graviter conquerendo, denunciassent quod Ymbertus, domi-

PHILIPPE IV, 1314.

nus de Rubeo-Monte et de Trichastel, miles, dictum Johannem, eorum patrem, ejusdem domini justiciabilem, et sub ipso, apud Ycium, in regno nostro cubantem et levantem, procuraverat et fecerat capi et extra regnum nostrum duci, et per plures carceres captum deduci et, pro ipso redimendo, diu fecerat et adhuc faciebat eundem detineri carceri mancipatum, quodque post dictam capcionem, et ejus detencione durante, dictus dominus de Rubeo-Monte, domum dicti Johannis intravit, ac exinde quamplura bona dicti Johannis, in gardia nostra existencia, cum armatorum multitudine, asportavit, contra prohibicionem servientis nostri, ac in dicta domo non modicas injurias, violencias et ignis imposicionem fecit, in nostrum contemptum ac dicti Johannis grande prejudicium et gravamen, salvam gardiam nostram ibidem existentem frangendo; petentes dicti filii, una cum procuratore nostro, dictum dominum de Rubeo-Monte ad se, super hoc, defendendum vocatum et in nostra curia personaliter comparentem, per nos compelli ad reddendum nobis dictum Johannem et reddendum dampna que ipse Johannes sustinuit in predictis et emendandum, tam nobis quam dicto Johanni, injurias hujusmodi et factum predictum; dicto milite, plures raciones, ad sui defensionem, in contrarium proponente, et finaliter dicente quod ipse nunquam capi fecerat Johannem predictum, et quod, si ipse intravit domum dicti Johannis, hoc fecit juste et licite, non faciendo in hujusmodi violencias vel rapinas, sed jure suo utendo; auditis igitur hinc inde propositis, curia nostra mandavit, super predictis omnibus ab utraque parte propositis, vocatis partibus, veritatem inquiri, data dilacione dicto domino de reducendo nobis, Parisius, Johannem predictum; inquesta siquidem facta super hoc, ad nostram curiam reportata, dictoque Johanne per eundem dominum ad nos, Parisius, adducto, presentibus dictis partibus et auditis, curia nostra precepit dictam inquestam videri et judicari; quibus actis, cum parlamentum nostrum debet finiri, curia nostra, ex certa causa, cum quibusdam aliis negociis, reservavit sibi, eciam post finem dicti parlamenti, expedicionem inqueste predicte (20): Visa igitur postea et

diligenter examinata inquesta predicta, cum, per eam, inventum fuerit sufficienter esse probatum, dictum dominum procurasse et fecisse capi Johannem predictum, et extra regnum nostrum duci et detineri, et, ipso sic detento, dictum dominum in domo dicti Johannis, cum multitudine armatorum, et contra prohibicionem servientis nostri, plures violencias et dampna intulisse, salvam gardiam nostram positam ibidem frangendo, et eundem dominum defensiones per eum in hujusmodi propositas, non probasse; per curie nostre judicium, dictum fuit et pronunciatum quod predictus Johannes, ejus uxor et liberi, necnon uxores et mariti liberorum eorumdem, ac filii et tota familia omnium predictorum, cum omnibus bonis eorumdem, ex nunc perpetuo erunt exempti totaliter ab omni dominio, justicia et juridicione dicti domini et ejus uxoris, quamdiu dictus dominus vitam duxerit in humanis, et sub nostra, tanquam superioris, immediata justicia remanebunt, et si dictus Johannes, durante dicta capcione et detencione, vel metu ipsius, aliquas fecit promissiones vel obligaciones, nullius penitus sint efficacie vel valoris; item quod, pro dictis injuriis et dampnis ipsi Johanni illatis, idem dominus solvet eidem duo millia librarum Turonensium usque ad quam summam curia nostra taxavit eandem; si tamen idem Johannes injurias et dampna hujusmodi juraverit usque ad summam predictam; item quod idem dominus, pro emenda nostra, racione excessuum predictorum, solvet nobis decem millia librarum Turonensium; et quod ipse dominus tenebit prisionem, Parisius, in Castelleto nostro, quousque ipse curie nostre dederit ydoneam caucionem de solvendis et integre complendis omnibus supradictis; item quod totalis justicia tocius terre quam idem dominus tenet in regno nostro, tam ex parte sua quam ex parte uxoris sue, tenebitur et explectabitur in manu nostra, quamdiu nostre placuerit voluntati. Quibus sic pronunciatis in presencia parcium predictarum, dictus Johannes injurias et dampna sua predicta usque ad summam dictarum duarum millium librarum Turonensium, per curiam nostram, ut premissum est, taxatam juravit.

PHILIPPE IV, 1314.

PHILIPPE IV, 1314.

Jovis post Sanctum-Barnabam.
M. J. de Halis reportavit.

XCI. Quedam informacio, cum quibusdam litteris, inter abbatem et conventum Sancti-Leonardi-de-Corbigniaco et ballivum Nivernensem, ex una parte, et Droconem de Melloto, militem, et ejus gentes, ex altera, per curiam anullata fuit, prout continetur in rotulo hujus parlamenti, et fuit facta certa commissio super facto predicto.

XCII. Quedam littere, in pisside, per curiam fuerunt retente, inter procuratorem Petri de Columpna, dyaconi cardinalis, ex una parte, et Gerardum Lodier, ex altera, super quibus factum fuit arrestum, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIII. Processus, in pisside, inter Johannem Forget et Reginaldum Seinglier, anullatus fuit, prout continetur inter arresta hujus parlamenti, in libro Arrestorum (21).

XCIV. Inquesta, ad instanciam prepositorum et juratorum ville Tornacensis facta, super saisina certe caucionis prestande, quando ipsi agunt coram dominis temporalibus Flandrie, etc. anullata fuit, prout continetur in rotulo hujus parlamenti, et precepit curia quod partes, super hoc, si voluerint, in parlamento presenti, faciant facta sua; postea vero curia continuavit negocium in statu ad aliud parlamentum.

XCV. Processus Castelleti, in causa appellacionis inter archiepiscopum Senonensem et liberos defuncti Guillelmi-Martini de Stampis non fuit judicatus, quia partes, super hoc, pacificaverunt, et est in sacco hujus parlamenti.

XCVI. Processus factus, inter comitem Rouciaci, ex una parte,

et Johannem Prepositi, et Mathildim de Villebeon, ex altera, in causa appellacionis, ad curiam nostram, per dictos Johannem et Mathildim, interposite, a judicato commissarii ballivi Senonensis, non fuit judicatus, quia dicti Johannes et Mathildis renunciaverunt appellacioni sue, et, super hoc, gagiaverunt emendam que taxata fuit ad sexaginta libras Parisienses, contra dictos Johannem et Mathildym, prout continetur in rotulo hujus parlamenti. PHILIPPE IV, 1314.

XCVII. Inquesta facta, inter Guillelmum Routier, militem, et dominum Regem, super alta justicia castellanie de Fessart, super qua facta fuit commissio decano Senonensi, prout continetur in rotulo hujus parlamenti, sed postea dictus miles aliam impetravit commissionem.

XCVIII. Arramenta inter heredes defuncti Johannis le Foulon, quondam presbyteri, ex una parte, et prepositum Parisiensem et Stephanum de Jardino de Poyssiaco, racione vendicionis cujusdam domus, super quibus factum fuit arrestum, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIX. Processus, in parvo sacco stricto, inter magistrum Guillelmum Aymerici, et Johannem de Alquo, in auditorio juris scripti judicatus, et est judicatum in rotulo Chalop (22) hujus parlamenti.

C. Processus inter Guillelmam, uxorem defuncti Raymondi Justi, et magistrum P. de Bauro, in auditorio juris scripti judicatus, prout continetur in rotulo Chalop hujus parlamenti.

CI. Processus parvus, in papiro, inter prepositum ecclesie Uticensis, ex una parte, et procuratorem domini Regis senescallie Belli-Cadri, ex altera, in auditorio juris scripti judicatus, et est judicatum in rotulo Chalop hujus parlamenti.

PHILIPPE IV, 1314.

CII. Processus, inter Odardum le Gaigneur et Emelinam, aurifabram, anullatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti, in fine.

INQUESTE ET PROCESSUS

PER CURIAM JUDICATI IN PARLAMENTO OCTABARUM OMNIUM-SANCTORUM,

ANNO DOMINI MCCCXIV.

I. Cum, in causa que, coram preposito Parisiensi, vertebatur, inter Gerardum Hasart, ex una parte, et Nicholaum du Guichet et Blancham, ejus uxorem, ex altera, racione garancie cujusdam domus eidem Gerardo vendite a dicto Nicholao et ejus uxore, et quorumdam aliorum articulorum in peticione dictorum conjugum contentorum, dictus Nicholaus, a quodam judicato, contra ipsum, pro dicto Gerardo, super utilitate cujusdam defectus lato, ad nostram curiam appellasset: Auditis, in causa dicte appellacionis, predictis partibus, curia nostra, per suum judicium, pronunciavit dictum prepositum bene judicasse et dictum Nicholaum male appellasse, curia vero nostra, et ex causa, sibi, super hoc, remisit emendam.

Lune post Nativitatem Domini.

Processum habeo.

II. Cum Robertus de Hamis, armiger, nobis exposuisset quod, licet ipse esset et predecessores sui fuissent in saisina pacifica crepandi et turbas faciendi in maresio de Hamis, nichilominus gentes nostre ipsum in sua saisina predicta impediebant indebite et de novo, petens dictum impedimentum amoveri, nos ballivo Ambianensi mandavimus, quatenus, si esset ita, a dictis turbacione et impedimento cessaret, et dictum armigerum sua saisina predicta gaudere permitteret: Facta igitur, de mandato dicti ballivi, vocato

custode maresiorum nostrorum de Guinis, super predictis, inquesta, curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum impedimentum, per dictas gentes nostras, in predictis appositum, esse amovendum et dictum armigerum in sua saisina predicta remanere debere, salva nobis, super predictis, questione proprietatis. PHILIPPE IV. 1314.

Jovis post Epiphaniam.

Roya reportavit.

III. Cum Johannes de Frayton, miles, conquestus fuisset, ballivo Ambianensi, de Tassardo de Sala, custode maresiorum nostrorum de Frayton, dicens quod idem Tassardus impediebat eundem militem in saisina piscariarum dictorum maresiorum, in qua saisina se et predecessores suos esse et fuisse dicebat, a tanto tempore cujus memoria in contrarium non existit, dictus ballivus, ad inquirendum, super hoc, veritatem, certos, commissarios deputavit, qui inquestam, super hoc, de mandato dicti ballivi, per eosdem commissarios, factam, sigillis suis sigillatam, remiserunt ad Ambianensem assisiam judicandam, et, quia dicta inquesta jus nostrum tangere videbatur, idem ballivus, de consilio hominum nostrorum dicte assisie, remisit dictam inquestam curie nostre, Parisius, judicandam : Visa igitur, per eandem curiam nostram, inquesta predicta, et diligenter examinata, repertoque, per eam, quod causa ipsa tangebat jus nostrum quodque procurator noster seu alius, pro defensione juris nostri, non fuit ad hoc vocatus, per curie nostre judicium, dictum fuit predictam inquestam nullius esse valoris nec judicari debere, et, si dictus miles, super hoc, conqueri voluerit, auditis partibus ac gentibus domini Regis, fiet eisdem justicie complementum.

Jovis predicta.

Uscum reportavit.

IV. Lite mota, in curia nostra, Parisius, inter abbatem et conventum Sancti-Remigii Remensis, nomine dicte ecclesie, in nostra

PHILIPPE IV, 1314.

speciali gardia existentes, ex una parte, et vicedominum Cathalanensem, ex altera, super eo quod dicti religiosi, nomine quo supra, proponebant se esse et fuisse in saisina, a tanto tempore cujus memoria in contrarium non existit, per se et ministros seu officiarios suos, scindendi et faciendi scindi boscum suum de supra Cruneyum, et onerata de dicto bosco plaustra et quadrigas ducendi apud Scipicourt et alias domos suas vicinas vel, si placeret eis, ad domum suam de Cruneyo et de eadem domo de Cruneyo ad predictas alias domos suas, pro vineis suis escharsonandis, et pro aliis aisiamentis dictarum domorum et pertinenciarum suarum, sine aliqua redebencia, racione gruerie, solvenda predicto vicedomino, vel aliis quibuscumque personis; et, cum idem vicedominus impediret eosdem uti saisina sua predicta, de novo, ut dicebant, capiendo vel capi faciendo quadrigas et equos dicte ecclesie et ministrorum seu officiariorum suorum suas quadrigas ducencium, pro ipsis utentibus dicta saisina ipsius ecclesie, quare petebant dicti religiosi, quo supra nomine, se teneri et gardiari, per nos, in saisina sua predicta, et ea que, propter debatum parcium predictarum, ad manum nostram posita fuerant, tanquam superioris, in manu dictorum religiosorum, nomine ecclesie sue, reponi, et impedimentum, per dictum vicedominum, de novo, ut premittitur, super hoc appositum, amoveri, et eundem vicedominum, ad emendandum, nobis et dictis religiosis, prisias predictas compelli; predicto vicedomino ex adverso dicente, ad finem saisine, se esse gruerium boscorum de supra Cruneyum et se ac predecessores suos esse et fuisse in saisina justiciandi et explectandi, ex causa gruerie, in villa de Cruneyo et pertinenciis ejusdem et capiendi omnes vecturarios, equos et quadrigas dicte ecclesie hominum, hospitum et justiciabilium suorum et aliorum quorumcumque inibi repertos forefacientes et scindentes, in dictis boscis, et inde boscum apportantes, extra terminos dicte gruerie, qui non solvebant redebenciam predicto vicedomino, racione dicte gruerie, et levandi ab eisdem emendas, racione predicta, quare petebat prisias quas ipse fecerat, ex causa predicta, continuando saisinam suam predictam, ad manum nostram positas, ad re-

questam dictorum religiosorum, sibi restitui et deliberari et in manu sua reponi, ut sua predicta saisina uti sibi liceat et gaudere: Facta igitur, super hoc, de mandato curie nostre, dictis partibus vocatis, et de consensu earum, inquesta, visaque, per curiam nostram, et diligenter examinata, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictos religiosos intencionem suam sufficienter, super hoc, probavisse, et ipsos in saisina sua predicta remanere debere, et impedimentum per dictum vicedominum super hoc eis appositum amoveri debere, et dictas prisias, super ipsos religiosos et eorum ministros, racione predicta, per dictum vicedominum et gentes suas, factas debere eisdem religiosis reddi et deliberari. Louis X. 1315.

Jovis post Epiphaniam.

Uscum reportavit.

V. Lite mota, in parlamento Parisiensi, inter procuratorem plurium mercatorum piscium marinorum, videlicet, Johannis Siret, Johannis Folet, Roberti Retel, Renerii Bargedant, Johannis Tardif, Petri Roussel, Johannis Aubin, Johannis de Scalis, Gemini Gracier, Roberti Rose, Bernardi Florie, Renerii Barbe, Raginaldi Oiselli, Raginaldi Routier, Richardi Planete, Symonis Planete, Richardi le Blont, Firmini Ruffi, Johannis Coulete, Petri le Gros, Roberti Prior, Roberti le Juene, Jacobi de Melloto, Auvredi Nellit, Petri Scabin, Johannis Banchieres, Luce Crasel, Rogerii Furnerii, Mathei Boutri, Rollandi Libet, Roberti Saymel, Johannis Mineti, Guillelmi de Nalle, Egidii Mainart, Martini Cardi, Natalis Mathon, Johannis Boistelli, Johannis Caterel, Egidii Boulengerii et Guillelmi Coterel, mercatorum piscium marinorum, ex una parte, et abbatem et conventum Sancti-Luciani Belvacensis, racione prioratus eorum de Milliaco, et priorem dicti prioratus, ex altera, super eo quod dicebat procurator dictorum mercatorum quod, licet dictis mercatoribus, de jure suo, competeret libere transire et pisces suos ducere per pedagia dictorum religiosorum, videlicet qualibet die decima, cujuslibet anni, per Milliacum, et qualibet die undecima ejusdem anni per Mil-

Louis X, 1315.

liacum, et Sanctum-Omerum, solvendo tantummodo, dictis diebus decima et undecima tres denarios, pro quolibet equo piscibus onerato, essentque et fuissent dicti mercatores et predecessores eorum in saisina dicte libertatis per decem, viginti, triginta et plures annos, nichilominus dicti religiosi, pro quolibet equo piscibus onerato, predictis diebus, transeunte per predicta loca, certam quantitatem seu certum numerum piscium nitebantur extorquere per violenciam ab eisdem mercatoribus, sic dictos mercatores impediendo et turbando in sua libertate predicta et saisina ejusdem indebite et de novo, quare petebat dictus procurator predicta impedimenta et turbaciònes amoveri, et, per nostram curiam declarari, dictis mercatoribus competere transire libere et eos in saisina esse transeundi libere per dicta loca, predictis diebus, solvendo tantummodo, pro quolibet equo piscibus onerato, tres denarios, dictis religiosis in contrarium asserentibus, se, ex causa donacionis a quodam domino de Milliaco olim facte religiosis Sancti-Martini de Campis a quibus ipsi causam habent, ut dicunt, esse et predecessores suos fuisse in saisina vel quasi percipiendi et habendi a predictis mercatoribus et aliis, per dicta loca, predictis diebus pisces ducentibus, de quolibet summario piscibus onerato, certam quantitatem seu numerum piscium in eorum articulis declaratam vel tres denarios, pro quolibet equo piscibus onerato, quorum alterum eligere volebant et quod dicti mercatores in sua saisina predicta eos impediebant et turbabant, faciendo in predictis manum nostram apponi, quare petebant dicta impedimenta et dictam manum nostram, super hoc appositam, amoveri, et levata ex inde per dictam manum nostram, sibi reddi, et se in dicta sua saisina manuteneri et deffendi : Facta igitur super premissis inquesta, et curie nostre reportata, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos mercatores suam intencionem, super hoc, sufficienter probavisse, et ipsos mercatores, cum suis piscibus, per dicta loca, predictis diebus, posse libere transire, et pisces suos ducere, solvendo tantummodo, pro quolibet equo piscibus onerato, tres denarios, et eosdem mercatores in saisina dicte libertatis

debere remanere, et per nos in ea custodiri, et impedimentum, super hoc, eisdem, per dictos religiosos appositum, amoveri debere. Louis X. 1315.

Jovis post Epiphaniam.

Roya reportavit.

VI. Lite mota, in parlamento Parisiensi, inter procuratorem mercatorum plurium pisces maris, Parisius, adducencium, videlicet Johannis Siret, Johannis Folet, Roberti Retel, Renerii Bargedant, Johannis Tardif, Petri Roussel, Johannis Aubin, Johannis de Scalis, Gemini Gracier, Roberti Rose, Bernardi Florie, Renerii Barbe, Raginaldi Oiselli, Raginaldi Routier, Richardi Planete, Symonis Planete, Richardi le Blonc, Firmini Ruffi, Johannis Coulete, Petri le Gros, Roberti Prior, Roberti le Juene, Jacobi de Melloto, Auvredi Nellit, Petri Scabin, Johannis Banchieres, Luce Crasel, Rogerii Furnerii, Mathei Boutri, Rollandi Libet, Roberti Saymel, Johannis Mineti, Guillelmi de Nalle, Egidii Mainart, Martini Cardi, Natalis Mathon, Johannis Boistelli, Johannis Caterel, Egidii Boulengerii et Guillelmi Coterel, mercatorum piscium marinorum, ex una parte, et Johannem, dominum de Milliaco, Belvacensis dyocesis, ex altera, super eo quod dicti procuratores, nomine predictorum mercatorum, proponebant, contra dominum de Milliaco predictum, ad dictos mercatores pertinere jus transeundi et ducendi pisces suos, per transversum seu pedagium de Milliaco, solvendo tantummodo, pro quolibet equo piscibus onerato, tres denarios; dicebant insuper ipsos esse et fuisse, a longo tempore, scilicet a tempore decem, viginti et triginta annorum, in saisina transeundi, per transversum seu pedagium predictum, solvendo tantummodo tres denarios antedictos, et, cum dominus de Milliaco predictus ipsos mercatores impediret, et adhuc impedire nitatur in suis libertate et saisina predictis, nitendo ab ipsis, per dicta loca transeuntibus et pisces ducentibus, racione transversi seu pedagii, certum numerum piscium extorquere, quare petebant procuratores predicti, nomine quo supra, predicta impedimenta amoveri, et eciam declarari ad dictos mercatores pertinere jus transeundi libere, per

Louis X, 1315.

loca predicta, solvendo solummodo tres denarios supradictos et ipsos custodiri in saisina predicta, cumque predictus Johannes de Milliaco, ex adverso, proponeret quod ipse est et antecessores sui fuerunt, a longo tempore et a tempore a quo non est memoria, et specialiter a tempore sufficiente ad bonam saisinam acquirendam, in saisina percipiendi et habendi, a quolibet mercatore, per loca predicta, necnon et per passagium Sancti-Audomari, pisces super equum ducente, tres denarios, vel certum numerum piscium, et quod in ejus electione erat pisces vel pecuniam accipere, diceret insuper quod dicti mercatores, in sua saisina predicta, ipsum impediebant indebite, faciendo apponi manum nostram in predictis, quare petebat dictum impedimentum amoveri, seque in sua saisina custodiri, et manum nostram, propter debatum parcium, super hoc, appositam amoveri : Facta igitur, super premissis, inquesta et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, per judicium nostre curie, fuit dictum, predictos mercatores suam intencionem sufficienter, super hoc, probavisse, ipsosque libere transire posse per loca predicta, solvendo solummodo tres denarios, pro quolibet equo piscibus onerato, dictosque mercatores in saisina premissorum debere remanere, et in ea per nos custodiri, et impedimentum, per dictum Johannem de Milliaco, super hoc, eis appositum debere amoveri.

Jovis post Epiphaniam.

Goy reportavit.

VII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Stephanum le Guinplier, presbiterum, ex una parte, et Aelipdim de Nova-Villa, dominam de Mesnilio Domine-Ruffe, ex altera, super eo quod dictus presbiter, coram dicto preposito, proposuit quod defunctus Galterus de Alneto, quondam miles, in sua ultima voluntate, quandam capellaniam, in dicta villa de Mesnilio, fundaverat, et dictam capellaniam, de certis terris situatis in villa et territorio de Mesnilio predicto, tam ipse quam heredes sui sufficienter dotaverant, et predicta donata eidem amortizari fecerant, quarum terrarum nomina in judicato

dicti prepositi, facto super hoc, continentur, quodque episcopus Meldensis ipsum Stephanum, in dicta capellania, capellanum legittime instituerat et posuerat in saisina ejusdem, quodque dicta domina ipsum, ut dicebat, in saisina predictorum impediebat injuste, quare petebat impedimentum, per eam, in premissis appositum, amoveri, seque in saisina predictorum custodiri, et eam condempnari et compelli ad desistendum a impedimentis et turbacionibus predictis, et sibi inhiberi ne ipsum, super hiis, de cetero impediret, dicta domina e contrario proponente quod ipsa, ex causa sue dotis sibi sufficienter assignate, erat in saisina tocius ville de Mesnilio necnon et terrarum et pertinenciarum dicte ville, de quibus pertinenciis, ut dicebat, sunt terre de quibus est contencio predicta, et quod ipsa est in saisina, a tempore sufficienti ad bonam saisinam acquirendam, faciendi dictas terras excoli, laborari, et fructus et exitus earum colligendi et suos faciendi, unde, cum dictus presbiter, ut ipsa dicebat, eam de novo impedierit, et adhuc impediat, in sua saisina predicta, videlicet faciendo dictas terras et fructus et exitus earumdem per servientem dicti prepositi arrestari, et dicta bona, sic indebite arrestata, in manu nostra detineri, sic eam in sua saisina predicta indebite perturbando et impediendo, quare petebat dictam manum nostram, super hoc, appositam amoveri, seque in sua saisina predicta custodiri, et dicto presbitero inhiberi ne de cetero eam molestet in premissis; facto igitur processu super hiis, coram dicto preposito, et in dicta causa concluso, certaque die ad audiendum jus, super hiis, predictis partibus assignata, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictam dominam melius probasse, super predictis, suam intensionem quam presbiterum antedictum, et ipsam debere custodiri in saisina dictarum terrarum, de quibus est contencio inter partes predictas, et impedimentum ad instanciam dicti presbiteri, super hoc, appositum debere amoveri, dictam manum nostram, ad instanciam dicti presbiteri in predictis appositam amovens et absolvens dictam dominam ab impeticione predicta presbiteri supradicti; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dictus presbiter ad nostram

Louis X. 1316.

Louis X, 1315.

curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum presbiterum male appellasse.

Sabbato in vigilia Candelose.

Goy reportavit.

VIII. Lite mota, coram camerario Sancte-Genovefe in Monte, Parisius, inter Stephanum Nepotis, ex una parte, et Johannem de Monte-Desiderii et Ysabellim, ejus uxorem, ex altera, super eo quod dicebat dictus Stephanus, contra dictos conjuges, quod, quadam die dominica anni presentis, post ignitegium, cum veniret dictus Stephanus de mercatura sua, transeundo per vicum in quo dicti conjuges commorantur, per dictam Ysabellim vel per alios existentes in hospicio ejusdem, pensatis insidiis, fuerunt projecti lapides, ex quibus fuit dictus Stephanus in capite graviter vulneratus, quare petebat dictus Stephanus, per dictum camerarium, dictos conjuges in quadraginta libris, pro quibus noluisset dictam injuriam sustinuisse, et in decem libris, pro dampnis suis, sibi condempnari, vel in summa per dictum camerarium legittime taxanda; dictus vero camerarius, cognito de causa predicta, dictos conjuges, ad faciendum emendam dicto Stephano, pro premissis, taxacione dicte emende sibi reservata, per suum judicium, condempnavit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti conjuges ad prepositum Parisiensem appellarunt; qui prepositus, cognito de dicta causa, predictum judicatum dicti camerarii, per suum judicium, confirmavit; a quo Parisiensis prepositi judicato, tanquam falso et pravo, dicti conjuges ad nostram curiam iterato appellarunt : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et visis processibus et judicatis predictis, inspectoque, per curiam nostram, quod, per dicti camerarii processum, nichil inventum extitit contra dictos conjuges, super hoc sufficienter probatum, per curie nostre judicium, dictum fuit dictos camerarium et prepositum male judicasse et dictos con-

juges bene appellasse, et quod dicta judicata non mandabuntur execucioni. Louis X, 1315.

Sabbato predicta.

Roya reportavit.

IX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Richardum Dateinville et Gassonem Flamingum, ac Johannem Pie-de-fer, ex una parte, et magistrum et commune textorum ville Parisiensis, ex altera, super eo quod, cum dicerent et proponerent dicti Richardus, Gasso et Johannes, contra predictos magistrum et commune, quod ipsi vendiderant eisdem Richardo, Gassoni et Johanni quandam collectam duodecim denariorum Parisiensium a dictis magistro et communi, auctoritate prepositi Parisiensis, impositam super quolibet panno, in villa Parisiensi faciendo, quousque de sexcentis et sexaginta libris, in quibus dicti magister et commune erant pluribus eorum creditoribus obligati, esset eisdem creditoribus plenarie satisfactum, videlicet pro precio centum et decem solidorum Parisiensium, qualibet septimana, solvendorum, quousque totalis summa sexcentarum et sexaginta librarum predictarum esset persoluta, quos quidem duodecim denarios Parisienses dicti Richardus, Gasso et Johannes dicebant dictos magistrum et commune promisisse sibi solvere, de pecunia que, tempore dicte solucionis eorumdem duodecim denariorum, curreret, prout in quadam littera Castelleti Parisiensis, super hoc confecta, dicitur plenius contineri, et, cum predicti magister et commune, a tempore prohibicionis domini Regis super cursu monetarum ultimo edicte, per spacium septem septimanarum, cessaverint et recusaverint, pro quolibet panno, solvere, dictis emptoribus, duodecim denarios Parisienses, in pecunia per dictas septem septimanas currente, sic contra convenciones, in dictis litteris contentas, indebite veniendo, quare petebant dictos magistrum et commune condempnari et compelli ad reddendum et solvendum sibi, pro tempore dictarum septem septimanarum preteritarum, duodecim [denarios] Parisienses, de moneta tunc currente, pro quolibet

Louis X, 1315.

panno facto tunc temporis, et eciam pro futuro tempore, ad solvendum dictos duodecim denarios in moneta que tunc curret, juxta convenciones contentas in litteris supradictis, parte adversa e contrario proponente quod, tempore initi contractus predicti inter ipsos, currebant Burgenses pro Parisiensibus, et quod, pro pluribus collectis consimilibus alias ab eis impositis et venditis, ipsi consueverunt se liberare, solvendo pecuniam que currebat, tempore quo dictam collectam imponebant et vendebant; dicebant eciam quod, in contractu predicto, ipsi promiserant dictam collectam solvere predictis emptoribus, prout alias dicta communitas eam solvere consuevit; proponebant eciam alias raciones per quas dicebant quod, solvendo Burgenses pro Parisiensibus, vel aliam pecuniam ad eundem valorem, ipsi poterant se liberare, cumque, super premissis, facto processu inter partes predictas, ac dicto processu pendente, dictus Johannes Pie-de-fer predicto processu renunciasset et prosecucioni ejusdem, et postmodum predictus prepositus, die assignata dictis partibus ad audiendum jus super hoc, per suum judicium, dictos magistrum et commune ad reddendum et solvendum dictis Richardo, Gassoni et Johanni, duodecim denarios fortes Parisienses, pro quolibet panno facto postquam cursus bone monete, Parisius, fuit proclamatus, secundum ordinacionem super cursu monetarum a carissimo genitore nostro factam, condempnavit; a quo judicato tanquam falso et pravo dicti magister et commune ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, in quantum dictum negocium tangit dictos Richardum et Gassonem, ex una parte, et dictos magistrum et commune, ex altera, bene judicasse, et predictos magistrum et commune male appellasse; in quantum vero negocium hujusmodi tangit dictum Johannem Pie-de-fer, qui predicto processui, coram dicto preposito, renunciaverat, per idem judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictos magistrum et commune bene appellasse.

Sabbato in vigilia Candelose. Louis X, 1315.
Goy reportavit.

X. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Ferricum Tascherii, militem, ex una parte, et Petronillam, relictam defuncti Petri de Garges, militis, et Perrinetum, filium dictorum Petri et Petronille, in quantum tangit quemlibet eorum, ex altera, super eo quod dicebat dictus Ferricus quod, cum dominus Rex, a quo ipse causam se habere dicebat, per plures annos, fuisset in saisina vel quasi exercendi omnimodam altam justiciam in villa de Garges, territorio et pertinenciis ejusdem et specialiter in locis de quibus facta fuerat ostensio, dicti Petronilla et Perrinetus plures prisias, propter casum alte justicie, in dictis locis fecerant, et, de novo, in prejudicium dicti domini Regis, ipsius Ferrici et saisine in qua dictus Ferricus, ut ipse dicebat, erat, tempore dictarum prisiarum, quare petebat dictus Ferricus, per dictum prepositum et per jus, dici seu pronunciari ipsum esse et remanere debere in saisina alte justicie in locis predictis et quod impedimentum, per dictos Petronillam et Perrinetum, in predictis, sibi appositum, amoveretur, et quod loca predicta et dicti Ferrici justicia predicta de dictis prisiis resaisirentur, et quod dicti Petronilla et Perrinetus dictas prisias domino Regi et dicto Ferrico emendarent, dictis Petronilla et Perrineto, ad sui defensionem, plures raciones in contrarium proponentibus, et saisinam contrariam, super hoc, pro se, proponentibus, et petentibus, per dictum prepositum, se ab impeticione predicta dicti Ferrici absolvi, et se in sua saisina dicte alte justicie manuteneri et defendi, et impedimentum eisdem, in sua dicta saisina, per dictum Ferricum appositum, necnon manum domini Regis, super hoc, appositam amoveri, ad eorum utilitatem; super quibus hinc inde propositis, lite, coram dicto preposito, legittime contestata, et plene cognito de dicta causa et in ea concluso, certa dies fuit dictis partibus, ad audiendum jus, super hoc, assignata; ad quam diem, procurator Aelipdis, relicte dicti Ferrici, qui Ferricus, hoc pendente, decesserat, et ejus liberorum habencium, ut dicitur, causam super hoc a dicto

Louis X, 1315.

Ferrico, nomine dicte relicte et liberorum predictorum, pro ipsis, ex una parte, et procurator dicte partis adverse, ex altera, comparentes in justicia, pecierunt jus sibi fieri in predictis, dictus prepositus, viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit dictum Ferricum, super hoc, melius intencionem suam probavisse, et eidem Ferrico et causam ab eo, super hoc, habentibus, saisinam alte justicie dicte ville de Garges et ejus pertinenciarum adjudicavit, questione proprietatis adverse parti, super hoc, reservando; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti Petronilla et Perrinetus ad nostram curiam appellaverunt: Auditis igitur dictis partibus in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, visis eciam litteris domini Regis, super donacione dicte alte justicie de Garges et pertinenciarum ejusdem, facta a dicto domino Rege eidem Ferrico et ejus heredibus, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos Petronillam et ejus filium male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Sabbato in vigilia Candelose.

Roya reportavit.

XI. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Durandum Lathomum, ex una parte, et Guillelmum de Carnoto, procuratorem magistri Egidii Lamberti, decani ecclesie Sancti-Martini Turonensis, nomine ipsius et pro ipso, ex altera, super eo quod dictus Durandus, presente dicto procuratore, a predicto preposito requirebat quod, cum dictus decanus eundem Durandum fecisset, Parisius, arrestari injuste, ut dicebat, se deliberari, et super principali causa, propter quam dicebatur dicta arrestacio facta fuisse, inter eosdem lis fuisset contestata, idem Durandus, hoc pendente, recredenciam de suo corpore sibi fieri peciisset, et, super hoc et super pluribus aliis racionibus, tam ex parte dicti Durandi quam ex parte dicti procuratoris quo supra nomine in contrarium propositis, dicte partes peciissent jus sibi reddi, dictus prepositus, per suum judicium pronunciavit quod dictus Durandus, prestita caucione de stando juri, super hoc, recre-

deretur, recepto juramento ab eodem quod, si fidejussorem vel securitatem, Parisius, habere posset, eam ibidem prestaret, et si juraret quod eandem, Parisius, prestare non posset, ad patriam suam, sub custodia unius servientis, remitteretur, prestiturus dictam caucionem de stando juri, super hoc, et de presentando se in Castelleto Parisiensi, ad diffinitivam sentenciam, super hoc, audiendam; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus procurator ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et visis processibus et judicato predictis, visa eciam commissione, virtute cujus dictus Durandus fuerat arrestatus, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum procuratorem male appellasse. Louis X, 1315.

Sabbato predicta.

Roya reportavit.

XII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem Bridoul, ex una parte, et Johannem Blondel, ex altera, super eo quod dicebat dictus Johannes Bridoul, contra dictum Johannem Blondel, quod dictus Johannes Blondel tenebat tres pecias terrarum, continentes circiter tria arpenta et unum cartonem, sitas in territorio de Bregi, in prepositura Parisiensi, quas pecias, Colardus dictus Blondiaus, pater dicti Johannis Blondel, tempore quo ipse illas tenebat tanquam suas, dicto Johanni Bridoul obligaverat, et tanquam obligatas dimiserat, pro triginta libras Turonenses, in quibus dictus Colardus obligaverat se et omnia bona sua generaliter, ex certis causis, erga dictum Johannem Bridoul, quare petebat dictus Johannes Bridoul quod, si dictus Johannes Blondiaus, qui dictas terras sic obligatas tenebat, plus vellet eas dicto Johanni Bridoul tradere quam dictas triginta libras solvere, predictas terras dictus prepositus sibi adjudicaret tenendas et possidendas, tanquam sibi obligatas, pro satisfactione dictarum triginta librarum, dicto Johanne Blondel, ad sui defensionem, plures raciones in contrarium proponente, dictus vero prepositus, cognito de dicta causa et certa die dictis partibus,

Louis X, 1315.

ad audiendum jus, super hoc, assignata, dictum Johannem Blondel, ab impeticione predicta, dicti Johannis Bridoul, per suum judicium, absolvit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Johannes Bridoul ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, cum, per dictum processum, non fuerit inventum quod dictus Johannes Blondel dictas terras possideret, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Johannem Bridoul male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Sabbato in vigilia Candelose.

Roya reportavit.

XIII. Cum, per litteras progenitoris nostri, mandatum fuisset ballivo Silvanectensi ut ipse, super injuriis et violenciis, per Johannem Basin, illatis Theobaldo de Septem-Montibus, tunc suppreposito decani, prepositi et capituli Suessionensis ecclesie, de speciali garda nostra existencium, dum ipse eorum juridicionem, et in eorum territorio, exercebat, veritatem inquireret et referret, dictusque ballivus certos commissarios deputasset ad inquirendum de premissis, juxta formam dicti mandati; coram quibus commissariis, ex parte procuratorum, tam nostri quam prepositi, decani et capituli ac Theobaldi predicti, contra dictum Johannem fuit propositum quod, cum dicti prepositus, decanus et capitulum essent in nostra gardia speciali et dictus Theobaldus, de mandato eorumdem, apud Anblegny, ubi ipsi omnimodam habent justiciam, ivisset, videlicet pro judicando inter partes, et ibi judicaret, et suum officium exerceret, Radulphus Basin venit ad dictum Theobaldum et eidem Theobaldo dixit plura verba turpia et comminatoria, et postmodum, contra dictum Theobaldum, ensem evaginavit, dicto Johanne in societate predicti Radulphi existente et eum confortante, ita quod dictus Theobaldus, pro timore, fugit, et compulsus, quandam domum intravit, in quam dictus Johannes predictum Theobaldum, ense evaginato, fugavit, et eam dictus Johannes intravit et dictum Theobal-

dum ibidem existentem, percussit, verberavit et turpiter tractavit, et nisus fuit facere deterius, nisi, per gentes supervenientes, fuisset impeditus, quare petebant predicti procurator noster, prepositus, decanus et capitulum ac Theobaldus predictas injurias, sic per dictum Johannem illatas, sibi emendari, cumque predictus Johannes coram dictis commissariis quasdam raciones proposuisset ad illum finem ne ipse super facto hujusmodi responderet, nichilominus predicti commissarii, ad inquirendum de premissis veritatem, processerunt et inquestam, super hoc factam, nostre curie remiserunt judicandam : Auditis igitur, super hoc, dictis partibus, et visa inquesta predicta, per quam repertum est sufficienter probatum quod dictus Johannes predictum Theobaldum fugavit et quod ipse domum predictam, ad quam idem Theobaldus refugerat, post dictum Theobaldum, intravit, et ibidem dictum Theobaldum graviter verberavit, per curie nostre judicium, dictus Johannes, nobis, racione garde nostre, in quadraginta libris Parisiensibus, preposito, decano et capitulo dicte ecclesie Suessionensis, in viginti libris Parisiensibus, dictoque Theobaldo, in decem libris Parisiensibus, nomine emende, extitit condempnatus. Louis X. 1315.

Sabbato in vigilia Candelose.

Goy reportavit.

XIV. Cum mota fuisset discordia inter Johannem Coquet et Petronillam, ejus uxorem, ex una parte, et Petrum dictum le Bec, fratrem et heredem, ut dicitur, defuncti Simonis le Bec, ex altera, super certis hereditagiis que utraque pars ad se pertinere dicebat, et, ob hoc, dicte partes in certos compromisissent arbitros, videlicet in Johannem Renart et Johannem Levesque, a partibus electos, hoc acto in dicto compromisso quod si predicti arbitri, infra Nativitatem Domini subsequentem, dictas partes non reduxissent ad concordiam, dicti arbitri acta coram se super hoc habita, ad proximio subsequentem assisiam ballivie Silvanectensis reportarent, et ballivus Silvanectensis, secundum acta predicta, procederet ulterius, secundum quod

Louis X, 1315.

requireret status cause predicte, cumque postmodum, coram dictis arbitris, proposuissent dicti conjuges, quod Eremburgis, mater dicte Petronille, matrimonium cum predicto Symone contraxerat et quod, durante dicto matrimonio, dicti Symon et Eremburgis plures conquestus fecerant, videlicet, apud Angicourt, unum manerium cum ejus pertinenciis, et in territorio de Lieincourt similiter plures conquestus fecerant; dicebant insuper dicti conjuges quod dicta mater, antequam cum predicto Symone contraheret, habebat, apud Lieincourt, ducentas virgatas vinearum, de suo proprio hereditagio, quorum conquestuum medietas et omnes predicte vinee, ex successione matris predicte, ad dictos conjuges pertinebant, racione dicte Petronille, ut ipsi dicebant, et quod saisina premissorum, post mortem dicte matris, in eos, per consuetudinem patrie, erat translata; dicebant insuper quod dictus Symon, antequam ipse decederet, pluries confessus fuerat, dictis Johanne et Petronilla presentibus, quod predicta bona ad dictam Petronillam pertinebant et quod ipse nichil in eis nisi solum usumfructum, quamdiu ipse viveret, reclamabat; unde cum dicta Petronilla, ut ipsa dicebat, esset heres legittima dicte matris sue, et dictus Petrus predictos conjuges impediret in suis jure et saisina bonorum predictorum, quare petebant, per dictos arbitros, declarari dictas vineas et medietatem conquestuum predictorum sibi deliberari debere, et impedimentum, per dictum Petrum sibi super hoc appositum, amoveri; cumque dictus Petrus, ex adverso, proponeret quod, post mortem dicte Eremburgis, dictus Symon le Bec, quondam maritus predicte Eremburgis, ex una parte, et dicti Johannes et Petronilla, ex altera, plura hereditagia que ipsi habebant inter se diviserunt, et sibi invicem assignarunt, et, per dictum partagium, predicti Johannes et Petronilla certa hereditagia habuerunt; dictus vero Symon, bona, de quibus est contencio, pro parte sua habuit, jure hereditagio, possidenda et postmodum, per decem annos, pacifice tenuit; dicebat eciam quod cum, post premissa dicti conjuges iterato dictum Symonem, super premissis, impedivissent, super premissis in certos arbitros compromiserunt, videli-

cet in prepositum Sancti-Vedasti, magistrum Johannem, curatum d'Angicourt, et priorem Carnotensem, qui, per suum arbitrium, protulerunt quod dictus Symon teneret bona predicta que antea habuerat, per partagium supradictum, et illis esset contentus; quare dicebat dictus Petrus, predictos Johannem et Petronillam non habere jus petendi res predictas, cumque dictis Johanne Renart et Johanne Levesque, arbitris electis a dictis Johanne et Petronilla, ex una parte, et dicto Petro, ex altera, in unam sentenciam non concordantibus, et, ob hoc, dicte partes, coram ballivo Silvanectensi, comparentes, voluissent et consensissent quod predicti arbitri acta dicte cause traderent Roberto le Parmentier, locum tenenti dicti ballivi, ut ipse, vice dicti ballivi, secundum acta dicte cause, procederet et judicaret, salvo appellacionis remedio hinc et inde; dictus vices gerens, visis attestacionibus et processu dicte cause, dieque assignata partibus ad audiendum jus, super hoc, pronunciavit, per suum judicium, dictum Petrum sufficienter probasse, super hoc, intencionem suam et, non obstantibus racionibus, a parte adversa, propositis, absolvit dictum Petrum ab impeticione predicta conjugum predictorum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti conjuges ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, ac visis et diligenter examinatis processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum vices gerentem dicti ballivi bene judicasse et dictos conjuges male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt. Louis X. 1315.

Sabbato in vigilia Candelose.

Goy reportavit.

XV. Cum, super debato, in parlamento Parisiensi, pendente inter abbatem et conventum Sancti-Leonardi de Corbigniaco, in speciali garda nostra, cum eorum bonis, racione comitatus Nivernensis, existentes, ex una parte, et Droconem de Melloto, militem, ex altera, racione domus de Mota-de-Villeret et pertinenciarum ejus, quam domum Johannes de Barges, domicellus, dicte domus proprietarius,

Louis X, 1315.

tempore quo ipse vivebat, denegaverat esse de feodo dicti Droconis et eam advoaverat esse de feodo dictorum religiosorum, et eam se tenere ab ipsis, certum arrestum, per dictum parlamentum, factum fuisset, et certe commissiones date pro complendis in arresto predicto contentis; nichilominus idem Droco, in absencia partis adverse, nec facta mentione de arresto et commissione predictis, in parlamento presenti, quandam impetravit litteram, ad Senonensem ballivum, inter cetera continentem, quod idem Droco dicebat dictam domum, cum ejus pertinenciis, esse de suo feodo, et quod eam, pro defectu hominis, ad manum suam posuerat; per quam litteram mandabatur eidem ballivo quod ipse, vocatis heredibus dicti Johannis et aliis evocandis, super contentis in dicta littera, inquireret veritatem; et inquestam, factam super hoc, ad nostrum remitteret parlamentum; constitutis igitur dictis partibus in parlamento presenti, dictus Droco inquestam predictam, per dictum ballivum, virtute dicte littere, factam, videri peciit et judicari, parte adversa plures raciones e contrario proponente, ad illum finem quod dicta littera, per dictum Droconem, ut premissum est, impetrata, et quicquid ex ea subsecutum est, penitus adnulletur : Tandem, auditis hinc inde propositis, et visis litteris et processibus antedictis, curia nostra, per suum judicium, tam dictam litteram quam inquestam ejus virtute factam, totaliter anullavit, et precepit quod, servato tenore prioris arresti predicti, commissiones facte de complendis in eodem arresto contentis renoventur, et quod in eodem arresto contenta diligenter adimpleantur.

Sabbato post Epiphaniam.

XVI. Cum Manasserus Poret et plures alii homines de Sancto-Felice conquesti fuissent ballivo Silvanectensi super eo, ut ipsi dicebant, quod Johannes de Warluis injuste ceperat eorum bona, dictusque Johannes in garandum, super hoc, advoasset abbatem et conventum Sancti-Luciani juxta Belvacum, et cum hoc postea peciisset, tanquam dictorum religiosorum procurator, curiam et cogni-

cionem, super hoc, sibi reddi, parte adversa e contrario proponente procuratorium dicti Johannis, super hoc exhibitum, non esse sufficiens ad recipiendum dictam garandiam, nec ad petendum dictam curiam, pro religiosis predictis, maxime cum, in eodem procuratorio, specialis mencio de hoc non haberetur; idem ballivus, auditis dictis partibus, per suum judicium, pronunciavit dictum Johannem non debere recipi ad dictam garandiam, et quod sibi dicte cause cognicio non reddetur; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Johannes ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis procuratorio, processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. Louis X. 1315.

Sabbato post Epiphaniam.

Meullentus reportavit.

XVII. Cum episcopus Meldensis, dicens se esse in saisina omnimode alte et basse justicie in villa de Varedes, et ejus territorio et pertinenciis, et capiendi et habendi, tempore fenacionum, supra quemlibet habitatorem dicte ville, tenentem equos suos vel alienos trahentes ad carrucam, duos equos pro ducendis fenis ipsius episcopi, quodque gentes dicti episcopi supra Theobaldum de Bria, monetarium, commorantem in dicta villa, anno preterito novissime, racione predicta, justiciando, ceperant duos equos quos idem Theobaldus violenter rescussit eisdem, et idcirco major dicti episcopi, presens ibidem, dictum Theobaldum in presenti delicto inventum cepit et posuit in ipsius episcopi prisione, quem Theobaldum, ad requisicionem magistri monetariorum, prepositus Parisiensis fecit ad se adduci, conquestus fuisset, super hoc, coram dicto preposito, pluribus racionibus, requirens dictum Theobaldum, tanquam suum justiciabilem, sibi reddi, dicto magistro e contrario proponente, super hoc, ad ipsum curiam et cognicionem ipsius Theobaldi, virtute privilegii regii, pertinere debere, dictum privilegium exhibens, idemque pre-

Louis X. 1315.

positus, auditis partibus, assignasset eisdem certam diem ad audiendum jus in causa predicta; que dies, de consensu parcium, ad aliam diem certam continuata fuit in statu; ad quam diem sic continuatam non comparuerunt nec miserunt dicti magister et Theobaldus, et fuerunt positi in defectu et readjornati super utilitate dicti defectus, et ad procedendum ulterius, in dicta causa, prout esset racionabiliter faciendum; tandem certa die comparentibus dictis partibus coram eodem preposito, et instanter requirentibus jus sibi reddi, super omnibus predictis, idem prepositus, visis processu et defectu ac privilegio predictis, per suum judicium, pronunciavit dicti Theobaldi curiam et cognicionem super facto predicto reddi debere episcopo memorato; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Theobaldus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu, privilegio et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Theobaldum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Lune post Candelosam.

XVIII. Cum Hugoninus de Coreint, domicellus, et Beatrix, ejus uxor, coram cancellario Matisconensi, contra Guidonem Vaignardi, militem, peciissent execucioni mandari quandam litteram, sigillo Matisconensis ballivie sigillatam, certe summe peccunie debitum continentem, et idem miles, ad impediendum execucionem predictam, inter alia, proposuisset excepcionem compensacionis cujusdam actionis sibi cesse a Milone de Vallibus, milite, contra domicellum predictum, idem cancellarius, dictam excepcionem non admittens, judicatum suum tulisset, super hoc, contra militem predictum; idem miles, ad ballivum Matisconensem, super hoc, appellavit, qui ballivus, auditis partibus, per suum judicium, pronunciavit, non obstantibus compensacione et aliis, per dictum militem, propositis, dictam litteram execucioni debere mandari; a quo judicato idem miles ad nos iterato appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis pre-

dicte, et visis processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos cancellarium et ballivum bene judicasse et dictum militem male appellasse, et quod ipse hoc emendaret, quodque dicta littera execucioni mandabitur, facta deductione de eo quod idem miles sufficienter docuerit de debito contento in predicta littera se solvisse, dicti vero militis procurator, ad mandatum curie nostre, super hoc, eidem curie gagiavit emendam. Louis X. 1315.

Mercurii ante Candelosam.

XIX. Cum abbas et conventus Vindocinenses conquerentes [se] de pluribus injuriis et violenciis quas ipsi dicebant, tam sibi quam eorum subditis, in eorum villa de Columberiis et in eorum boscis et alibi, necnon servientibus ad eos gardiandum, ex parte nostra, deputatis, illatas fuisse per gentes comitis Vindocinensis, litteras karissimi genitoris nostri, ad ballivum Aurelianensem, impetrassent, in quibus mandabatur eidem quod, si ipse, vocatis partibus, inveniret ita esse, predicta, tam ipsi quam dictis religiosis, competenter faceret emendari, dictusque ballivus, dicens se aliis esse negociis impeditum, Guillelmo Pagani et Johanni de Lorriaco, per suas mandasset litteras, ut ipsi, vocatis partibus, contenta in dictis litteris regiis adimplerent, dictus comes, coram eisdem Guillelmo et Johanne comparens, proposuit, sicut dicit, quod loca predicta sunt de comitatu suo et de ressorto ballivie Turonensis, et quod dicti religiosi, super predictis, litteras dicti genitoris nostri impetraverant ad ballivum Turonensem, et quod, virtute dictarum litterarum, dicto ballivo Aurelianensi ac eisdem Guillelmo et Johanni directarum, que nullam commissionem continebant, ipse non tenebatur, super hiis, procedere coram eis, et ab eorum audiencia ad nostram curiam appellavit; quibus non obstantibus, dicti Guillelmus et Johannes dictorum religiosorum testes super predictis receperunt et examinaverunt; constitutis igitur, super hoc, in curia nostra, dictis partibus, dictorum religiosorum ac noster procuratores instanter pecierunt inquestam, per dictos Guillelmum et Johannem, super hiis factam, videri et judicari, dicto comite, racionibus antedictis, pe-

Louis X, 1315.

tente dictam inquestam, post ejus appellacionem factam, totaliter anullari : Auditis igitur hinc inde propositis, et visis dictorum litteris mandatorum ac inquesta predicta, curia nostra, per suum judicium, tam litteras predictas, quam dictam inquestam totaliter anullavit, et precepit quod dicti religiosi, super injuriis et violenciis, de quibus ipsi conqueruntur, et dictus comes, super suis defensionibus, in parlamento presenti faciant facta sua, et curia nostra certos dabit commissarios qui, vocatis partibus, super eis, veritatem inquirent, et inquestam, quam super hoc fecerint, ad proximum parlamentum remittent.

Sabbato in vigilia Candelose.

XX. Cum Oliverius de Cresnayo nobis plura exposuisset gravamina que sibi dicebat illata fuisse per Guillelmum Pigace, servientem nostrum, magistrum Silvestrum Rousselli, clericum, G. Rousselli, militem, et Johannem de Bolongne, clericum, ac vicecomitem Abricensem, nos, ad inquirendum super hiis veritatem, certos commissarios deputassemus, ipsi commissarii, ad inquirendum, super aliquibus de dictis gravaminibus, obmissis aliis, processerunt et inquestam, per eos factam, nostre curie, Parisius, remiserunt : Auditis igitur, super hoc, dictis partibus, in curia nostra, et visa inquesta predicta, quia per eam non fuit inventum quod predicti Guillelmus Pigace, magister Silvester, G. Rousselli, miles, Johannes de Bolongne et vicecomes Abricensis, ad videndum testes super hoc productos, contra eos recipi, et jurare vocati fuerunt seu presentes, et appareat, per eandem inquestam, dictos commissarios, per modum informacionis tantummodo, ad inquirendum de predictis, ex suo officio, processisse, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictam inquestam, propter dictos et plures alios defectus in ea repertos, nullius esse valoris, nec judicari debere; super eo vero quod dictus miles predicto vicecomiti, ut dicitur, gagiavit emendam pro eo quod ipse filium dicti Oliverii, in plenis placitis, coram locum tenente dicti vicecomitis, injuriose percussit, ut dicitur, in capite, precepit curia quod ballivus Constanciensis, vocatis partibus, si in-

venerit ita esse, ad taxandum et levandum dictam emendam, procedat prima racione. Louis X. 1315.

Martis ante Cathedram sancti Petri.

Uscum reportavit.

XXI. Cum Mathildis de Joyaco, filia et heres, ut ipsa dicebat, defuncte Ysabellis, quondam uxoris Hugonis de la Cave, proposuisset, coram magistris Johanne de Choisy, ballivo Foreste-Monasterii, et Johanne de la Hauste, ballivo Guillelmi de Castro-Villano, contra Julianum de Insula, necnon et contra Hugonem de Cava predictum, Johannem et Ysabellim, liberos dicti Hugonis, et garandos dicti Juliani, quod dictus Julianus tenebat quandam domum et pourprisium ejusdem, situatas in villa de Joyaco, que fuerunt matris sue predicte, cujus ipsa est heres, que eciam mater, quando decessit, erat saisita de eisdem, prout dicta Mathildis asserebat, quare petebat dictos reos condempnari et compelli ad restituendum sibi dictam domum necnon impedimentum, super premissis, per dictum Julianum appositum, amoveri, dictis reis e contra, coram dictis ballivis, proponentibus, quod dictus Hugo, constante matrimonio inter ipsum et matrem dicte Mathildis, dictam domum et pourprisium vendiderat predicto Juliano, et quod dicta mater predictam vendicionem laudaverat, approbaverat et ratificaverat, ac eciam dictam domum predicto Juliano quittaverat, durante matrimonio supradicto; quare dicebant petita, ex parte dicte Mathildis, fieri non debere, cumque dicti ballivi, cognito per eos de causa hujusmodi, per suum judicium, pronunciassent dictos garandos sufficienter suam intencionem, super hoc, probavisse et eosdem garandos, ab impeticione predicta dicte Mathildis, absolvissent, dicta Mathildis a dicto judicato, tanquam a falso et pravo, ad Parisiensem prepositum appellavit; dictus vero prepositus, cognito de dicta causa appellacionis, pronunciavit dictos judices bene judicasse et dictam Mathildim male appellasse; a quo judicato dicti prepositi, tanquam falso et pravo, Ysabellis la Hoquete, causam habens, super hoc, a dicta Mathildi defuncta, ut asserebat, ad nostram

Louis X, 1315.

curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus predictis, et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictam Ysabellim male appellasse; curia vero nostra, propter paupertatem suam, de gracia speciali, eidem remisit emendam.

Martis predicta.

Goy reportavit.

XXII. Lite mota, in curia nostra, inter majorem et juratos civitatis Ambianensis, ex una parte, et magistrum Thomam Fruiterie, ex altera, super eo quod dicebant dicti major et scabini quod ipsi habent communiam fundatam et donatam a regibus Francie, et quod ipsi, in villa Ambianensi et in banleuca ejusdem, habent omnimodam justiciam, altam et bassam, duobus casibus exceptis, videlicet murtro et raptu, et, de predictis, sunt et fuerunt in bona saisina, quociens casus se obtulerunt et ad eorum devenerunt noticiam, a tanto tempore de quo memoria in contrarium non existit, necnon quod ipsi, de omnibus casibus et expletis justicie, predictis duobus casibus exceptis, possunt judicare, cognoscere et execucionem facere; item quod, de usu et consuetudine regni Francie, approbatis et notoriis, et presertim de territorio Ambianensi, quocienscumque aliquis appellat a falso et pravo judicato dictorum majoris et juratorum, et dictus appellans cadit de appellacione sua, appellans tenetur solvere majori Ambianensi viginti libras et cuilibet scabinorum, qui dicto judicio presentes fuerunt, decem libras, vel saltim appellans tenetur solvere dictis majori et scabinis, qui dicto judicio presentes fuerunt, sexaginta libras conjunctim; dicebant eciam quod si aliqui appellant a majore et scabinis alicujus communie vicine a regibus Francie fundate, si ipsi cadant ab appellacione sua, ipsi tenentur solvere emendas suprascriptas, et sunt dicte communie in bona saisina habendi et levandi dictas emendas; item, quod predictus magister Thomas, a judicio dictorum majoris et scabinorum civitatis Ambianensis, tanquam

falso et pravo bis et in diversis temporibus appellavit; de quibus appellacionibus, per judicium curie parlamenti Parisiensis, dictum fuit predictum magistrum Thomam male appellasse et predictos majorem et scabinos Ambianenses bene judicasse, et quod, de predictis omnibus, est fama, quare petebant dicti major et scabini prefatum magistrum Thomam in predictis emendis sibi condempnari, predicto magistro Thoma contrarium asserente, et dicente quod, de usu et consuetudine civitatis Ambianensis, dicteque ballivie et aliarum villarum vicinarum, quociens dicti major et scabini vel alii homines de humili plebe seu non nobiles judicant de re censiva seu villana, inter personas innobiles, et aliquis ab eorum judicio appellat, si appellans cadat a sua appellacione, liberatur, solvendo majori vel scabinis, a quibus appellat, pro qualibet appellacione, duntaxat sexaginta solidos; item, dicebat dictus magister Thomas quod dicti major et scabini Ambianenses et ipse Thomas sunt homines innobiles, et quod ipsi major et scabini judicium tulerunt de rebus censivis et rusticis et quod de istis est vox et fama in locis antedictis, quare petebat se ab eorum impeticione predicta absolvi solvendo, pro qualibet dicta appellacione, sexaginta solidos : Visa igitur et diligenter examinata inquesta, de mandato nostro, super hoc facta, quia per eam non fuit repertum dictos majorem et scabinos civitatis Ambianensis se intencionem suam et consuetudines quas ipsi allegaverant probavisse, per curie nostre judicium, dictus magister Thomas ab impeticione predicta dictorum majoris et scabinorum Ambianensium, fuit absolutus, solvendo tamen majori et scabinis antedictis, pro qualibet dictarum duarum appellacionum, duntaxat sexaginta solidos, in quibus ipse confessus fuit se, secundum consuetudinem patrie, racione predicta, teneri (23).

Martis ante Cathedram sancti Petri.

Cassel reportavit.

XXIII. Lite mota, coram ballivo Silvanectensi, inter procuratorem Templi, ante Templariorum capcionem, ex una parte, et majorem et juratos ville Silvanectensis, ex altera, super eo quod, cum dictus pro-

Louis X, 1315.

curator, nomine dicti Templi, contra predictos majorem et juratos, coram dicto ballivo, proposuisset quod ipsi, in domo dicti Templi, in dicta villa situata, quandam mulierem, in dicta domo vinum vendentem, ceperant et eam de dicta domo extraxerant, necnon quandam henciam et sexaginta solidos, racione emende super eam justiciando ceperant indebite et in prejudicium dicti Templi, necnon et contra libertatem dicte domus cum, ut ipse dicebat, dictum Templum esset et fuisset, a tempore sufficienti ad bonam saisinam acquirendam, in saisina tenendi dictam domum liberam et quittam ab omni juridicionis exercicio contra majorem et juratos predictos, quare petebat dictus procurator, nomine quo supra, dictum Templum et domum predictam de dictis muliere, hencia et sexaginta solidis resaisiri, et dictum Templum, in sua saisina predicta, custodiri, dictis majore et juratis e contrario proponentibus, petita ex parte dicti Templi fieri non debere, cum ipsi, ut dicebant, ex sufficienti titulo et a tempore sufficienti ad bonam saisinam acquirendam, essent et fuissent in saisina exercendi omnem justiciam in tota dicta villa et banleuca ejusdem et specialiter in dicta domo, exceptis solummodo tribus casibus, videlicet, homicidio, raptu et murtro, quare petebant dictas prisias, quas ipsi fecerant in domo predicta et que, propter debatum parcium, ad manum karissimi genitoris nostri posite fuerant, sibi reddi et se in sua saisina predicta custodiri; dictus ballivus super predictis, hinc inde propositis et negatis, fecit veritatem inquiri, et postea, certa die, ad audiendum jus, super hoc, dictis partibus assignata, idem ballivus, viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit dictum procuratorem Templi sufficienter, super hoc, suam intencionem probasse et dictos majorem et juratos per eos proposita sufficienter non probasse; condempnavit eciam dictos majorem et juratos ad resaisiendum dictam domum de muliere, hencia et sexaginta solidis predictis; adjudicavit insuper dicto Templo saisinam justicie casus predicti, salva, super hoc, dictis majori et juratis, questione proprietatis; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti majores et jurati, in quantum contra ipsos factum extitit, ad nostram curiam appella-

runt : Viso igitur, per curiam nostram, processu predicto, et diligenter examinato, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictos majorem et juratos male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt. Louis X, 1315.

Martis ante Cathedram sancti Petri.

Goy reportavit.

XXIV. Cum proponerent, coram senescallo Carcassonensi, magister Arnaldus Escharboti, judex, et Johannes Fulconis, vicarius curie Narbone, communis nobis et vicecomiti Narbone, contra Bernardum Rasoris et Bernardum Pagesii, se gerentes pro consulibus Narbone, quod, cum ipsi judex et vicarius, secundum mandati ejusdem a curia nostra directi tenorem, vocatis partibus, ad inquirendum processissent, super invasione injuriisque aliis que, per Bernardum Rogerii, Petrum Raymondi de Monte, et Bernardum Manentis eorumque complices, sub vicario et aliis officiariis seu servientibus curie communis predicte, dicebantur illate, dictus senescallus, inchoata super hoc inquesta, per dictos judicem et vicarium et nundum completa, eisdem judici et vicario inhiberi fecerat ne ipsi procederent ulterius in eadem, qui requisierunt senescallum eundem ut, ipse, eos procedere permitteret in dicto negocio, juxta dicti mandati tenorem; dictis consulibus et magistro H. de Morlhono, nostro procuratore, pro nobis, proponentibus ex adverso, dictam requestam fieri non debere, dicentibusque cognicionem hujusmodi ad nostram tantummodo curiam et senescallum predictum pertinere debere, eo quod dicti consules advoaverant dictos reos, super facto predicto, ac exhibentibus, curie nostre, mandatum aliud ultimo factum eidem senescallo, continens quod, cum dicti consules suum consulatum a nobis advoent se tenere, dicentes se super tangentibus dictum consulatum coram nostra curia solummodo respondere debere et non coram dicta communi curia, dictosque reos, super predictis sibi impositis advoarent, revocata commissione, facta super hoc judici et vicario supradictis, et quicquid esset ex ea subsecutum, super ipsis impositis, cognosceret se-

Louis X, 1315.

nescallus predictus; idem senescallus, auditis hinc inde propositis, visisque mandatis et advoacione predictis, per suam pronunciavit sentenciam ipsum et ejus curiam et non dictos judicem et vicarium, super dictis impositis, cognoscere debere; a qua pronunciacione, dicti judex et vicarius ac magister Nicholaus Ricommeni, procurator dicti vicecomitis, ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque mandatis, advoacione et processu predictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit eundem senescallum bene judicasse et dictos judicem, vicarium et Nicholaum male appellasse.

Sabbato in Cathedra sancti Petri.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XXV. Cum, super peticione quam fecerant Huetus, Guillelmus et Guido de Bauceyo, domicelli, fratres, contra Guidonem Odardi, militem, et Aymericum, ejus neptoem, scutiferum, de quingentis libris, occasione piscium perditorum, racione rupture cujusdam stamgni dictorum fratrum, necnon et de decem millibus librarum pro dampnis datis, occasione dicte rupture, ac super pluribus excessibus, illatis, ut dicebatur, Guillelmo de Mauson, scutifero, dicti stamgni, per dictos fratres, deputato custodi, ac pluribus aliis injuriis, de quibus ipsi fratres petebant puniri dictos militem et nepotem et sibi comdempnari in summis predictis; visis, per curiam parlamenti Parisiensis, processibus et inquestis ac quibusdam arrestis et judicatis super hoc factis, dicti miles et nepos, per dicte curie judicium, super hiis, absoluti fuissent, salva dicto Guillelmo de Mausson actione sua, si, contra dictos militem et Aymericum, super injuriis predictis voluerit experiri; dictique fratres postmodum supplicassent carissimo genitori nostro ut ipse, de gracia speciali, processus, inquestas et arresta et judicatum predictos faceret, cum diligencia, iterato videri et reportari, ut per hoc videri posset error quem ipsi intervenisse dicebant in videndo, examinando et reportando processus et inquestas predictos, et quod, si dictus error posset inveniri,

dictum judicatum et quicquid ex eo secutum fuit irritaretur, dictus genitor noster, eisdem fratribus graciam concessit predictam : Visis igitur, per curiam nostram, iterato diligenter, de speciali mandato dicti genitoris nostri, virtute dicte gracie, processibus, inquestis, arrestis et judicato predictis et specialiter hiis in quibus dicti fratres dicebant erratum fuisse, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit nullum, in premissis, errorem inventum fuisse, quodque dictum judicatum et quicquid ex eo secutum est, tenebit sicut est, et habebit perpetui roboris firmitatem. Louis X, 1315.

Sabbato predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Reposita fuit inquesta in sacco parlamenti anni trecentesimi undecimi in quo alias fuerat judicata (24).

XXVI. Lite mota, inter vicarium nostrum Sumidrii, senescallie Belli-Cadri, pro nobis, ex una parte, et Johannem de Ramis de Sumidrio, ex altera, super eo quod dicebat dictus vicarius predictum Johannem, cum suis complicibus, atrociter et de nocte, Colinum de Caynello, servientem nostrum, excubias, in dicta villa, racione sui officii, facientem, vulnerasse, in prejudicium nostre regie magestatis, requirens idem vicarius dictum Johannem de Ramis, pro dicto maleficio, nobis comdempnari, et, ex parte alia, licet dictus Johannes pretenderet se esse clericum et in possessione tonsure clericalis existere, tamen negavit se dictum maleficium perpetrasse, tandem magister Johannes de Tornamina, locum tenens predicti vicarii, dictum Johannem, racione quarumdam contumaciarum, in dicta causa, ut dicitur, factarum et sibi impositarum, in quinquaginta libris nobis applicandis, condempnavit; a qua sentencia, tanquam nulla et, si que sit, tanquam falsa et prava vel iniqua, ad senescallum Belli-Cadri appellavit, qui quidem senescallus, cognito de causa appellacionis predicte, dictam sentenciam predicti locum tenentis, per suum judicium, confirmavit; a qua confirmacione dictus Johannes de Ramis ad nostram iterato curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra,

Louis X, 1315.

dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus dictarum appellacionum et diligenter examinatis, cum per eos non fuerit inventum aliquid super hoc sufficienter fuisse probatum contra Johannem de Ramis predictum, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos senescallum et locum tenentem male judicasse et dictum Johannem bene appellasse, et quod dicta condempnacio non mandabitur execucioni.

Sabbato in festo Cathedre sancti Petri.

M. J. de Halis reportavit.

XXVII. Cum, in causa, coram curatoribus Templi mota, inter Robertum le Chapelier et Nicholaam, ejus uxorem, ex una parte, et magistrum Rogerium de Bethisyaco, ex altera, racione cujusdam veteris muri ad dictos conjuges, ut dicitur, pertinentis, ac cujusdam appendicii quod eisdem conjugibus donaverat, ut dicitur, idem magister Rogerius, dicti curatores judicatum suum, pro dictis conjugibus, contra dictum magistrum Rogerium tulissent, a dicto judicato nundum extitit appellatum, verumtamen, cum postea dictus magister Rogerius eosdem conjuges ad forum ecclesie, super dictis rebus immobilibus, de facto traxisset et execucionem dicti judicati impediret, dicti conjuges dicentes ex hiis se multa dampna sustinuisse, dictum magistrum Rogerium traxerunt in causam, super dampnis et impedimento predictis, coram preposito Parisiensi, coram quo dictus magister Rogerius, in causa hujusmodi, plures proposuit raciones, quas idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit esse frivolas et non debere admitti; a quo judicato dicti prepositi, tanquam a falso et pravo, dictus magister Rogerius ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictorum curatorum judicatum predictum tenebit, et ex integro mandabitur execucioni, ac impedimentum, si quod in hujusmodi fuit appositum, per dictum magistrum Rogerium, contra dicti judicati tenorem, amovebitur, et ad sta-

tum debitum reducetur, quodque dictus prepositus, dictis vocatis partibus, veniat vel non veniat dictus magister Rogerius, vocatus tamen, de dampnis predictis cognoscet, et super eis exhibebit justicie complementum, et nobis factum hujusmodi, si de eo sibi constiterit, emendari faciet competenter. Louis X, 1315.

Sabbato predicta.

Processus fuit redditus dicto capellario.

XXVIII. In causis trium appellacionum, in curia nostra, pendentibus, quas appellaciones Lambertus Porte de Petragoro, contra Floriam de Foilleyo, ejus uxorem, ad nostram curiam interposuerat, ab audiencia prepositi Parisiensis, in causis, coram eo, contra dictum Lambertum, motis per dictam Floriam, racione assisie sui dotalicii, necnon cujusdam provisionis annue pro ipsius et liberorum suorum alimentis, ac cujusdam summe pecunie eidem Florie, pro expensis dictarum causarum, per dictum prepositum taxatarum : Auditis partibus predictis et visis processibus antedictis, curia nostra, per suum judicium, dictas appellaciones dictosque processus, coram dicto preposito, super hiis, habitos, necnon execuciones quas, tam curia nostra, quam idem prepositus, racione dictarum provisionis et expensarum, fieri mandaverant, et quicquid ex eis secutum est, totaliter anullavit, hoc salvo quod curia nostra dicte Florie, pro securitate sua, in bonis dicti Lamberti, suum faciet dotalicium assideri, secundum tenorem litterarum Castelleti Parisiensis super hoc confectarum, cujus assisie fructus et exitus idem Lambertus, quamdiu vixerit, percipiet; bona vero sic assignata vendere non poterit nec alienare, ut, post ejus obitum, dicta Floria, si supervixerit, racione sui dotalicii, possit eis gaudere.

Martis ante Cathedram sancti Petri.

XXIX. Cum, in causa, coram senescallo Pictavensi mota, inter Petronillam Dable, ex una parte, et Aymericum Belet, racione Dyonisie, uxoris sue, dicte Petronille sororis, ex altera, super partagio bonorum

Louis X, 1315.

que fuerunt defuncte matris dictarum sororum, idem senescallus, pro dicta Petronilla, judicatum suum, contra Aymericum predictum, tulisset, idem Aymericus, a judicato predicto, tanquam a falso et pravo, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse et dictum Aymericum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et mandabitur execucioni judicatum predictum.

Martis predicta.

Redditus fuit processus dicte Petronille.

XXX. Cum Maria, relicta defuncti Johannis, quondam dicti le Leu, filii quondam Gerardi dicti le Leu, de Petro dicto Dalart, quondam preposito Calvi-Montis, in Vulgasino gallico, karissimo domino genitori nostro conquesta fuisset, dicens quod dictus Petrus, tempore quo ipse regimen dicte prepositure tenebat, vocatis secum Petro dicto Marcheant et Gaufrido de Belvaco, burgensibus Calvi-Montis, contra prefatum Girardum, quandam inquestam fecerat super morte Stephani dicti de Mara interfecti, per quam inquestam dictus Girardus, si ipsam idem Petrus judicandam tradidisset, fuisset repertus innocens de homicidio supradicto, quodque predictus Petrus postmodum super hoc quandam aliam inquestam solus et maliciose fecerat, et eam ballivo Silvanectensi, qui tunc erat, judicandam tradiderat, aliam per eum et dictos burgenses factam recelando; per quam inquestam ultimo factam per dictum Petrum, idem Gerardus condempnatus fuerat et morti traditus minus juste, requirens quod dictus genitor noster faceret, super premissis, veritatem inquiri, et, si premissa reperirentur esse vera, dictum Petrum debite, propter hoc, puniri, bonaque dicti Gerardi que, tam nobis, quam aliis dominis temporalibus, ob causam predictam, devenerant in commissum, sibi et liberis dicti Johannis restitui et eciam liberari, prefatus dominus et genitor noster ipsius Marie supplicacionibus annuens, certos de-

putavit commissarios ad inquirendum veritatem super premissis, coram quibus predictis partibus comparentibus, predicta Maria, contra dictum Petrum premissa proposuit, et asseruit esse vera; contra que idem Petrus, ad sui defensionem, proposuit quod aliquam aliam inquestam quam illam que, per eum et dictos burgenses, facta fuerat, non tradiderat judicandam, et quod dictus Gerardus, vocatus tunc coram ballivo Silvanectensi ac coram pluribus militibus, existentibus tunc cum dicto ballivo, in camera concilii assisiarum, quas tunc, apud Calvum-Montem, tenuit dictus ballivus, voluit et consensit quod dicta inquesta judicaretur, eidem se totaliter supponendo, pluresque raciones alias, ad sui defensionem, proposuit contra dictam Mariam, per quas dictus Petrus dicebat quod, de predictis, sibi impositis, absolvi debebat, petens ad ea probanda, se admitti : Inquesta igitur super premissis facta, curieque nostre reportata, visa et diligenter examinata, quia, per ipsam, repertum extitit quod dictus Petrus illam inquestam tantummodo que, per ipsum et dictos burgenses, facta fuerat super morte predicta, tradiderat judicandam, et quod dictus Girardus, coram dictis ballivo et militibus eidem inqueste se supposuerat et eam judicari requisierat, idem Petrus, per judicium curie nostre, de predictis sibi impositis per dictam Mariam, sentencialiter extitit absolutus. Louis X, 1315.

Sabbato in vigilia Candelose.

M. J. de Templo habuit inquestam, nec eam recuperavi.

XXXI. Lite mota, in Castelleto Parisiensi, inter priorem de Aneto, suo et dicti prioratus nomine, ex una parte, et Johannem de Fraxinis, militem, ex altera, super eo quod dictus prior dicebat, nomine quo supra, quod, cum ipse esset et fuisset in saisina exercendi omnimodam justiciam altam et bassam in mariscis de Fraxinis, situatis inter Anetum et Fraxinos, usque ad locum qui vocatur Ad-Tres-Lapides, per unum annum, per duos, per decem et per tantum tempus quod sufficere debebat ad bonam saisinam acquirendam, dictus miles, per se vel per gentes suas, et ipso ratum habente, amoverat, jus-

Louis X, 1315.

ticiando, et amoveri fecerat, indebite et de novo, a pluribus hominibus, tempore sui banni, vinum quod ipsi portabant per mariscos predictos, in dicti prioris et sui prioratus prejudicium, quare petebat dictus prior, nomine quo supra, se in sua saisina predicta teneri et defendi, et dictum locum contenciosum de prisiis vini predicti, per dictum militem seu gentes suas, nomine suo, factis sufficienter resaisiri, dicto milite, ex adverso proponente quod dicti marisci, prout se comportant et extendunt, sunt et fuerunt, a tempore a quo non erat memoria, de pertinenciis dicte ville de Fraxinis, et quod ipse in eisdem habebat altam et bassam justiciam ab antiquo, et erat in bona saisina exercendi eandem in mariscis predictis. Item dicebat dictus miles quod, si aliquis, tempore sui banni, per dictos mariscos aliud vinum quam vinum sui banni dicte ville de Fraxinis deportaverit, idem miles, per se seu per gentes suas, dictum vinum poterat retinere, tanquam suum et sibi acquisitum, ac suis usibus applicare, et quod, in hoc presenti anno, utendo dicta saisina sua et continuando eandem, ipse vel gentes sue, de mandato suo, amoverant, justiciando, vinum a quodam homine quod ipse portabat per dictos mariscos, pro eo quod dictum vinum, quod ipse portabat, non erat de vino banni sui dicte ville de Fraxinis, quare petebat dictus miles se a dicta peticione dicti prioris, nomine quo supra, contra eum facta, sentencialiter absolvi; viso igitur dicto processu, et invento per eum quod dictus miles bene probavit quod ipse ultimo et recencius erat in saisina faciendi expleta justicie in dictis mariscis, maxime capiendi potos vini quos gentes deferunt, tempore sui banni, per mariscos predictos, de quibus et pro quibus questio mota est inter dictas partes, Benedictus de Sancto-Gervasio, auditor in dicto Castelleto Parisiensi, considerata dicta saisina ultima dicti militis recenciori probata, maxime, quantum ad hoc de quo mota est questio predicta, dictum militem a dicta peticione prioris predicti, per suum judicium, absolvit, dicto priori questione proprietatis super hoc reservata; de quo judicato, dictus prior, nomine quo supra, a preposito Parisiensi sibi fieri peciit emendacionem seu correccionem; qui quidem prepositus,

auditis, super hoc, racionibus utriusque partis, et examinato, per eundem, processu predicto, pronunciavit, per suum judicium, dictum Benedictum male judicasse et dictum priorem ejus correccionem seu emendacionem, super hoc, bene peciisse ; a quo judicato dicti prepositi, tanquam falso et pravo, Guillelmus de Fresnes, scutifer, qui se gerebat pro herede dicti militis, et qui arramenta dicte cause, post obitum dicti militis, in statum in quo erant coram dicto preposito, resumpserat, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in causa dicte appellacionis, in curia nostra, dictis partibus et visis processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum scutiferum bene appellasse, salva, super hoc, dicto priori questione proprietatis, et, in aliis casibus, utriusque partis in omnibus jure salvo.

Louis X, 1316.

Sabbato in festo Cathedre sancti Petri.

R. de Briançon reportavit.

XXXII. Cum dilectus et fidelis noster magister Radulphus de Praellis nos requisivisset quod, cum diu lis agitata fuisset inter nos et predecessores nostros, ex una parte, et dominum Couciaci, a quo causam nunc habere dicitur idem magister Radulphus, ex altera, super proprietate alte justicie ville, territorii et pertinenciarum de Sanciaco, in castellania de Pruvino, nos scire veritatem vellemus, utrum ad nos, vel ad dictum magistrum Radulphum proprietas alte justicie dictorum locorum pertineret, nos certis auditoribus mandavimus. ut ipsi, vocatis dicto magistro Radulpho ac preposito nostro de Pruvino, pro jure nostro in hujusmodi defendendo, de predictis inquirerent veritatem, et inquestam quam inde facerent, gentibus nostris mitterent judicandam : Facta igitur, super predictis, inquesta, et ad curiam nostram, de mandato nostro, reportata, visa et diligenter examinata, quia per eam inventum fuit dictum magistrum Radulphum, super proprietate dicte alte justicie locorum predictorum, sufficienter intencionem suam probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit altam justiciam dictorum locorum ad dictum magistrum

Louis X, 1315.

Radulphum pertinere, et quod impedimentum, per gentes nostras, super hoc, eidem appositum, amovebitur.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

Roya reportavit.

XXXIII. Cum ad audienciam senescalli Ruthenensis pervenisset quod quidam malefactores ceperant violenter asinum magistri Poncii Carriere de Naiaco, per quendam servientem nostrum dicte senescallie, ad instanciam consulum dicte ville, pro pignore, captum et arrestatum, domumque, in qua erat, sub manu nostra, dictus asinus, fregerant, de nocte et cum armis, dictumque asinum secum adduxerant, dictos consules sua possessione dicti asini pignorati spoliantes, in nostre manus contemptum, dictus senescallus, de dicto excessu, fecit inquiri veritatem, et inquestam, super hoc factam, precepit sibi remitti judicandam; cumque commissarii, per dictum senescallum, super hoc, deputati, inquisissent, de premissis, contra Bernardum de Nafinas, Guillelmum de Bastida, Bernardum Salomonis et magistrum Poncium Carriere, pro se et nomine defensorio predictorum, dictamque inquestam dicto senescallo reportassent judicandam, dictus senescallus dictum magistrum Poncium, pro se et nomine defensorio predictorum, per suum judicium, in quinquaginta libris Turonensibus dandis nobis, pro emenda, et in decem libris dictis commissariis, pro expensis eorum, et in jure bajuli comdempnavit; a qua comdempnacione procurator noster dicte senescallie, tanquam a modica, et dictus magister, pro se, tanquam a nulla vel iniqua, ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis procuratore nostro et magistro Poncio, visaque inquesta predicta et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum male judicasse, in quantum dictum magistrum Poncium, pro se, comdempnavit, et in hoc ipsum magistrum bene appellasse, in quantum vero, nomine defensorio predictorum, eumdem comdempnavit, bene judicasse, et dictum magistrum male appellasse; et, quia non apparet predictos Bernardum, Guillelmum et Bernar-

dum, nec aliquem pro eis a dicta comdempnacione appellasse, quantum ad ipsos, execucioni mandabitur comdempnacio predicta, deducta quarta parte comdempnacionis ejusdem, dictum magistrum Poncium contingente. Louis X 1315.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

Mangon reportavit.

XXXIV. Cum ad audienciam senescalli Ruthenensis pervenisset quod Petrus Mathei, Johannes Raulini, Cardonetus Robertus de Mosiehls, Bernardus Salomonis et Guillelmus de Masel et quidam alii, turba coadunata et cum armis prohibitis, passeriam molendini Guillelmi Petri, domicelli de Bisture, destruxerant, dictusque senescallus, ad inquirendum veritatem, super hoc, certos commissarios deputasset, et eisdem precepisset quod, si ipsi invenirent dictum Guillelmum esse et fuisse in saisina ab antiquo dicte passerie, ipsi eandem facerent reparari, et inquestam, factam super hoc, dicto senescallo remitterent judicandam; cumque dicti commissarii reperissent dictum Guillelmum esse et ab antiquo fuisse in saisina dicte passerie, fecissentque dictam passeriam in statum pristinum reponi, et in salva garda nostra teneri, dictaque inquesta adhuc penderet, iterum venit ad audienciam dicti senescalli quod magister Poncius Carriere de Naiaco, more hostili, turba coadunata, pensatis insidiis et cum armis, per violenciam fregit dictam passeriam dicti Guillelmi Petri, post reparacionem predictam, in nostra salva garda existentem; super quibus omnibus dictus senescallus iterato mandavit veritatem inquiri, et inquestam, super hoc completam, precepit sibi remitti judicandam; factis igitur inquestis predictis et dicto senescallo ad judicandum reportatis, dictus senescallus, per suum judicium, dictum magistrum Poncium in quingentis libris Turonensibus nobis, pro emenda, et in viginti libris dicto Guillelmo Petri, pro dampnis suis, et in viginti libris dictis commissariis, pro eorum expensis, et in jure bajuli condempnavit; a qua condempnacione procurator noster dicte senescallie, tanquam a minima, dictus vero magister, tanquam a

Louis X, 1315.

nulla vel iniqua, ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur, in dicta nostra curia, dictis procuratore nostro et magistro Poncio, visisque dictis inquestis ac diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum male processisse, in eo quod non absolvit dictum magistrum Poncium a predicta secunda fractione, de qua non reperitur aliquid probatum sufficienter contra ipsum, et in hoc dictum magistrum bene appellasse, et fuit dictus magister, de dicta secunda fractione, per idem judicium, absolutus; et, quia curie nostre constitit, per primam inquestam, predictos Petrum et Johannem et alios prenominatos violenter fecisse primam fractionem dicte passerie, in prejudicium dicti Guillelmi Petri, et arma portasse, dictumque magistrum Poncium factum ipsorum advoasse, dictum fuit quod, quantum ad viginti libras dicto Guillelmo Petri adjudicatas, pro suis dampnis, et ad jus bajuli et ad emendam nostram, per dictam curiam nostram moderatam ad centum libras Turonenses, et summam, pro expensis dictorum commissariorum, ad centum solidos Turonenses moderatam, execucioni mandabitur condempnacio predicta; quantum vero ad alia, dictum magistrum Poncium bene dictumque procuratorem nostrum male appellasse.

Veneris predicta.

Mangon reportavit.

XXXV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Matheum de Moy, nomine suo, et Johanne, uxoris sue, ex una parte, et Johannem Girondi, ex altera, super eo quod, cum dictus Matheus, nomine quo supra, contra dictum Johannem, coram dicto preposito, proposuisset quod dicta Johanna fuerat filia dicti Johannis et Emeline, quondam dicti Johannis uxoris, et, constante matrimonio, inter ipsos procreata, et quod dicti Johannes et Emelina, constante dicto matrimonio, plures domos in villa Parisiensi acquisiverant, et dictas domos, tempore quo dicta Emelina decessit, pro indiviso tenebant et possidebant, et ad eos, jure dominii, pertinebant; item et quod dicti Johannes et Emelina, tempore quo ipsa decessit, habebant in bonis mobilibus

usque ad valorem trecentarum librarum Parisiensium, unde, cum de consuetudine notoria ville Parisiensis, medietas, tam domorum quam bonorum mobilium predictorum, per mortem dicte matris, tam in proprietate quam in saisina, in dictam Johannam fuerit translata, dictusque Johannes dictas domos et bona mobilia detineat, quare petebat dictus Matheus, nomine quo supra, per judicium dicti prepositi, declarari medietatem dictarum domorum et bonorum, tam in saisina quam proprietate, ad ipsum et Johannam, uxorem suam, pertinere debere, et hoc declarato, per dictum prepositum, divisionem fieri domorum et bonorum predictorum inter partes predictas, parte altera, e contrario, proponente predicta, ex parte dictorum Mathei et Johanne petita, fieri non debere, pro eo quod dicti Matheus et Johanna, super omnibus in dicta peticione eorum contentis, dictum Johannem penitus quittaverant, et juraverant se contra quittacionem hujusmodi non venire, prout in litteris, sigillo curie officialis Parisiensis sigillatis plenius contineri dicebat; cumque, coram dicto preposito, pluribus aliis racionibus hinc et inde propositis, testibusque super hiis productis a dictis partibus, ac die ad audiendum jus in dicta causa eisdem partibus assignata, dictus prepositus, per suum judicium, predictum Johannem ab impeticione predicta dictorum Mathei et Johanne absolvisset, et a dicto judicato, tanquam a falso et pravo, dicti Matheus et Johanna ad nostram curiam appellassent: Tandem, in curia nostra, dictis partibus auditis, in causa appellacionis predicte, et viso processu predicto et diligenter examinato, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum bene judicasse et dictos conjuges male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt. Louis X, 1315.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

Goy reportavit.

XXXVI. Cum ad nostrum pervenisset auditum quod nonnulli malefactores, turba coadunata, ad abbaciam Sancti-Dyonisii Remensis venerunt et portam anteriorem dicte abbacie, hostiario et pluribus ejusdem abbacie monachis contradicentibus et invitis, cum magno impetu, per violenciam intraverunt, et corpus cujusdam defuncti qui

Louis X, 1315.

excommunicacionis et interdicti sentenciis decesserat innodatus, super unum lapidem, prope refectorium dictorum religiosorum, ipsis existentibus in prandio, posuerunt, et serraturas ac hostia dicti monasterii, ausu et temeritate sacrilegis, effregerunt, dictique corpus defuncti fecerunt in dicti monasterii cimiterio sepeliri, multasque violencias, injurias et excessus intulerunt ipsis religiosis, in contemptum gardie nostre in qua dicti religiosi fore dicuntur, ac in ipsorum religiosorum prejudicium et gravamen, ballivo Viromandensi dedimus in mandatis, ut, per se vel per alium, ad predictum locum accedens, vocatis evocandis, super dictis excessibus inquireret veritatem, et, si sibi ita esse constaret, dictos excessus, tam nobis quam dictis religiosis, prout ad eum pertineret, competenter faceret emendari; a quo ballivo certi commissarii deputati, ad dictum mandatum nostrum implendum, decanum et capitulum, necnon quosdam canonicos singulares Remensis ecclesie, fecerunt, coram se, super premissis excessibus, adjornari, qui proposuerunt se esse personas ecclesiasticas, et facta esse personalia super quibus, per dictos commissarios, de facto trahebantur in causam, et in personas ecclesiasticas dicebantur commissa, et se non teneri respondere super premissis coram judice seculari; pecierunt eciam iidem commissarii a procuratoribus dilecti et fidelis nostri Remensis archiepiscopi utrum vellent dictas violencias, injurias et excessus prosequi coram eis; qui procuratores responderunt quod non, asserentes quod commissio, super dictis excessibus facta, non fuerat ad dicti archiepiscopi instanciam impetrata; dicti vero commissarii, non obstantibus racionibus, ex parte decani, capituli et canonicorum singularium predictorum, ad recepcionem et examinacionem testium contra dictos decanum, capitulum et canonicos, super predictis excessibus, ex suo officio, processerunt, et processum suum ac deposiciones testium super hoc productorum, sub sigillis suis clausis, nostre curie, Parisius, remiserunt: Visis igitur, per curiam nostram, processu et deposicionibus predictis, quia evidenter apparet, per processum eundem, facta predicta esse mere personalia, et quod a personis ecclesiasticis et in personas ecclesiasticas pro-

ponebantur facta fuisse, nec apparet, aliqua justa causa, quare predictorum excessuum cognicio ad seculare forum debeat pertinere, per curie nostre judicium, dictum fuit predictorum commissariorum processum nullius esse valoris, nec per curiam nostram judicari debere. Louis X. 1315.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

G. de Usco reportavit.

XXXVII. Lite mota, primo, coram ballivo Bituricensi, per litteras commissionis, sigillo inclite recordacionis genitoris nostri, sigillatas, deinde, coram Durando Lequeu, dicti ballivi commissario, inter abbatem et conventum Sancti-Ambrosii Bituricensis, ex una parte, et procuratorem nostrum dicte ballivie, ex altera, super eo quod, cum dicti religiosi proponerent contra procuratorem predictum se esse et fuisse, a longo tempore, in saisina exercendi omnimodam justiciam in villa de Noant et tribus casellis prope dictam villam existentibus, scilicet in casellis aus Paylhez, aus Titarz, aus Restores, et dicerent se, super hoc, per dictum ballivum impeditos injuste, quare petebant manum nostram ibidem appositam, ut dicebant, amoveri, et saisinam alte justicie in locis predictis sibi deliberari, procuratore nostro e contrario proponente, dicta loca esse de septena et de justicia civitatis Bituricensis, et nos fuisse et esse, a longo tempore, et maxime per annos ultimo preteritos, in saisina exercendi, in dictis locis, omnimodam justiciam altam et bassam, ac premissa proponente ad finem quod nos remaneremus in saisina premissorum, et, super hoc, fuisset veritas inquisita : Tandem, visis inquesta super hoc facta et deposicionibus testium, hinc inde, in ea productorum, viso eciam quodam privilegio quod dicebant dicti religiosi super dicta justicia se habere, cum, per inquestam predictam, repertum sit, procuratorem nostrum, quantum ad casum alte justicie, de quo agitur, melius suam intencionem probasse, per nostre curie judicium, dictus procurator noster ab impeticione dictorum religiosorum, super saisina alte justicie locorum predictorum extitit absolutus, salva dictis religiosis, super hujusmodi alta justicia, questione proprietatis, et salva dictis

Louis X, 1315.

partibus, hinc et inde, questione super saisina basse justicie locorum predictorum.

Veneris predicta.

Goy reportavit.

XXXVIII. Cum, super controversiis motis inter procuratorem nostrum ballivie Arvernie, pro nobis, ex una parte, et consules, communitatem et habitatores ville de Hermento, ex altera, necnon inter magistrum Girardum de Croz, canonicum Claromontensem, pro se, ex una parte, et consules, communitatem et habitatores predictos, ex altera, super eo quod dicti procurator noster et magister Girardus, divisim tamen, dicebant, contra consules, communitatem et habitatores predictos, quod communitas vel major pars populi ville predicte, sedicionem et tumultum commovendo, et, voce preconis, se, cum armis, unanimiter congregando, decanum et quosdam canonicos ecclesie de Hermento, in eadem ecclesia existentes, hostiliter invaserunt et quosdam familiares ipsorum in eadem ecclesia atrociter verberarunt, et ipsos, fugando et prosequendo, et ad mortem clamando, includi fecerunt in domo archipresbiteri dicte ville, et porta et muris dicte domus per eos destructis, de occidendo ipsos, si eos intus invenissent, posse suum fecerunt, necnon et dictum magistrum Girardum, de quadam alia domo quam frangere nitebantur, per violenciam extraxerunt et ipsum quem Petrus de Corteys, serviens noster, inter brachia sua tenebat, pro defendendo ipsum de morte, contra inhibicionem dicti servientis sepius repetitam et salvam gardam nostram, in qua ipsum ponebat, una cum dicto serviente, adeo atrociter verberarunt et letaliter vulnerarunt, quod ipsum Girardum, quasi mortuum, in vico publico, dimiserunt, et equos dictorum Girardi et sociorum suorum depredarunt, et, ne ab ipsis possent evadere, portas dicte ville clauserunt et armatis pluribus munierunt, et multa alia enormia in ipsos familiaresque suos, equos, res et domos, et servientem predictum, multimode commiserunt, et quod de predictis enormitatibus faciendis, Stephanus Gilebert, bur-

gensis dicte ville, fuerat principalis excitator, quare petebat dictus procurator noster ipsos in emendam pecuniariam, et dictus Girardus sibi in decem millibus libris condempnari pro injuriis antedictis, procuratore partis adverse plures raciones, ad sui defensionem, e contrario proponente, ballivus noster Arvernie, tam per se, sicut ballivus, quam virtute litterarum karissimi domini genitoris nostri sibi, super hoc, directarum, super articulis hinc inde traditis, super hoc, vocatis evocandis, inquisivit veritatem; tandem ballivus predictus, de mandato prefati genitoris nostri, inquestas, per ipsum, super hoc, factas reportavit nostre curie judicandas; vocatis igitur, in curia nostra, dictis partibus, super hoc, et diligenter auditis, curia nostra precepit inquestas et processus predictos, ad finem civilem, videri et judicari : Visis itaque et diligenter examinatis, per curiam nostram, omnibus inquestis et processibus predictis, quia, per ipsas inquestas, communitas et habitatores ville predicte reperti sunt culpabiles de premissis, per judicium nostre curie, procurator eorum et ipsi, in personam procuratoris sui, comdempnati fuerunt dicto magistro Girardo in mille libris Turonensibus, eidem, per curiam nostram, taxatis, pro injuriis supradictis, juramento, super hoc, per nostram curiam, delato Guillelmo de Mesnilio, procuratori dicti canonici, habenti, super hoc, potestatem, ac prestito ab eodem, necnon et, per idem judicium, condempnati fuerunt nobis in mille quingentis libris Turonensibus, de quibus habebit Petrus de Corteys, serviens noster predictus, quinquaginta libras, pro injuriis sibi illatis in conflictu predicto, et similiter centum libras habebit, de summa predicta, ecclesia de Hermento, cujus immunitas, per dictum insultum, extitit violata, ad faciendum in ea aliquod jocale in patenti loco divino cultui, in dicta ecclesia, ad perpetuam rei memoriam deputandum, et quia, per dictas inquestas, Stephanus Gileberti predictus reperitur fuisse de predictis tam enormibus excitator, actor et promotor, ipse, per idem judicium, in quingentis libris Turonensibus nobis extitit comdempnatus, et, per idem judicium, dictum fuit quod ipse in prisione nostra Castelleti Parisiensis poneretur et remanebit usque

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

ad annum, et quod dampna data per conflictum hujusmodi, in fraccione et destruccione domorum ville predicte, ballivus noster predictus, scita veritate de quantitate eorum dampna passis, a communitate et habitatoribus predictis faciet resarciri.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

M. Raymbaudus reportavit.

XXXIX. Lite mota, in curia nostra, inter procuratorem nostrum, pro nobis, et domicellam Johannam de Melloto, ex una parte, et dilectum et fidelem nostrum comitem Joigniaci, ex altera, super eo quod dicebant procurator noster, pro nobis, et procurator dicte domicelle, pro ipsa, quod dicta domicella, tam pro se quam per predecessores suos, a quibus ipsa habet causam, est et fuit in bona saisina ad nos ressorciandi de villis de Chanlay et de Langueron et de omnibus pertinenciis dictarum villarum sine medio, quociens casus se obtulerunt, videlicet coram preposito nostro Ville-Nove, et quod nos sumus in saisina justiciandi, in dictis villis et pertinenciis earum, sine medio, in casibus ressorti, per dictum prepositum nostrum et servientes suos, et a tali tempore quod debet sufficere ad bonam saisinam acquirendam. Item, dicebat procurator dicte domicelle quod ipsa est, et illi a quibus ipsa habet causam, fuerunt in saisina habendi, in dictis locis, unum servientem specialem seu gardiatorem deputatum a dicto preposito nostro, et quod dictus serviens est in saisina defendendi et custodiendi dictam domicellam contra omnes et specialiter contra dictum comitem Joingniaci, et quod nos sumus in saisina habendi ressortum, sine medio, in dictis locis contenciosis, et quod si dictus comes, vel gentes sue, aliquas fecerunt prisias in dictis villis, dicta domicella et illi a quibus ipsa habet causam, per prepositum nostrum predictum, vel servientes ipsius, fuerunt super hoc resaisiti, quare petebant, procuratores nostri et dicte domicelle, quod impedimenta per dictum comitem et ejus servientes, in dictis villis apposita, nobis super saisina ressorti dictarum villarum et pertinenciarum earum, et dicte domicelle, super saisina resortizandi seu habendi ressor-

tum coram dicto preposito Ville-Nove, de dictis villis et earum pertinenciis amoveri, procuratore dicti comitis contrarium asserente et dicente quod dicte ville de Chanlay et de Langueron, cum pertinenciis earum, site sunt in castellania et de ressorto et de obediencia castri de Joingniaco et dicti comitis, racione dicte castellanie de Joigniaco, et quod dictus comes, et illi a quibus ipse causam habet, sunt et fuerunt in saisina habendi ressortum et exercendi justiciam, et habendi obedienciam dominorum et servientum dictarum villarum et pertinenciarum earumdem, quare petebat dictus procurator quod manus dicti comitis in dictis villis apposita remaneret, et quod manus nostra in dictis villis apposita amoveretur, et quod bona, per nos, in dictis villis, per manum nostram, a tempore apposicionis dicte manus nostre levata, sibi restituerentur, et quod procurator dicte domicelle teneatur, in curia dicti comitis, apud Joingniacum, comparere, et ibidem jus suum requirere, si in predictis aliquid voluerit reclamare: Facta igitur, super predictis, inquesta et curie nostre, ad judicandum, reportata, auditis, super hoc, dictis partibus, et visa dicta inquesta et diligenter examinata, quia repertum est, per dictam inquestam, procuratores nostrum et dicte domicelle intencionem suam super hiis melius probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit nos in saisina nostra, in dictis villis et pertinenciis earum per prepositum nostrum Ville-Nove justiciandi, in casibus ressorti, sine medio, et dictam domicellam in saisina resorciandi ad predictum prepositum nostrum, sine medio, pro dictis villis et earum pertinenciis, debere remanere, et impedimenta, per dictum comitem, in saisina dicti ressorti et in justicia dictarum villarum et pertinenciarum earum apposita, debere amoveri; reservata questione proprietatis in hujusmodi dicto comiti, si ipse, super hiis, voluerit experiri.

Louis X, 1315.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

Decanus Casletensis reportavit.

XL. Lite mota, in curia nostra, inter dilectum et fidelem nostrum comitem de Joingniaco, ex una parte, et domicellam Johannam de

Louis X, 1315.

Melloto, ex altera, super eo quod dicebat dictus comes quod, cum ipse plura bona mobilia cepisset in terra de Chanlayo et de Langueron, asserens dictas villas esse de ressorto et dominio sui comitatus, et, ad requisicionem comitisse Albemale, dicta bona posita fuissent ad manum karissimi domini et genitoris nostri tanquam superioris, dictaque comitissa causam suam non prosequente, et posita in defectu, per arrestum curie Parisiensis, dictum fuit quod dicta comitissa de cetero, super hoc, non audiretur, quare petebat predicti comitis procurator dictam manum amoveri de dictis bonis, et ea dicto comiti deliberari, cum ceteris bonis de dicta terra per dictam manum levatis, dicta domicella plures raciones ex adverso proponente et dicente quod ad eam debent fructus dictarum villarum, per manum dicti genitoris nostri levati, pertinere, et non ad dictum comitem, et quod, per predictum arrestum, dictum fuerat quod ipsa domicella, hereditaria dicte terre, contra dictum comitem, super leveiis predictis, audiretur, quare petebat fructus predictos sibi adjudicari et deliberari : Facta igitur, super premissis, inquesta, remissaque nostre curie judicanda, auditis, super hoc, dictis partibus, et visa dicta inquesta et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod bona predicta de dictis villis de Chanlayo et de Langueron, in manu dicti genitoris nostri existencia, dicte domicelle deliberabuntur.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

Decanus Casletensis reportavit.

XLI. Cum, ex relatu Bertrandi de Cangia et Bertrandi Genezi, ad senescallum Petragoricensem, pro karissimo genitore nostro, tempore guerre que fuit inter predictum genitorem nostrum et regem tunc Anglie, pervenisset quod Bertrandus Vassalli, et Guillelmus Bonafosseii, Guido de Naylaco, Petrus Tybet, Petrus Rufelli et Raymundus Albent, in itinere publico, per quod itur de Caturco versus Adverram, prope rivum de Novahaco, maliciose et cum armis, eosdem Bertrandum de Cangia et Bertrandum Genezi invaserant, et atrociter vulneraverant, tam in capite quam in menbris, ita quod, ob

hoc, dictus Bertrandus de Cangia unum digitum amiserat, predictus senescallus, per magistrum Geraldum de Valleta et Geraldum Bovis, commisit inquiri, super predictis, cum diligencia, veritatem, facta igitur, per commissarios predictos, super hoc, inquesta, et ad dictum senescallum reportata, ac receptis prius, per dictum senescallum, a dictis denunciatis, racione financie, quinquaginta libris parvorum Turonensium, et ipsis, per eundem, a pena majori, salvo jure dicte partis denunciantis, sentencialiter absolutis, dictus senescallus curiam predictorum omnium, cum processibus dicte cause, juxta formam pacis inter predictum genitorem nostrum et dictum regem Anglie habite, senescallo Petragoricensi, pro dicto rege Anglie, remisit integraliter, de consensu parcium predictarum; quibus partibus personaliter comparentibus coram dicto senescallo regis Anglie, et, cum instancia, diem certam postulantibus per eundem assignari ad diffiniendum, inter ipsas partes, in causa predicta, dieque certa, per eundem, de voluntate dictarum parcium et assensu, ad diffiniendum super predictis, assignata, dictis partibus personaliter comparentibus dicta die, coram Arnaldo de Coduco, judice et locum tenente dicti senescalli regis Anglie, et cum instancia postulantibus diffinitivam sentenciam ferri super hoc per eundem; tandem visis processibus dicte cause per eundem Arnaldum, omnibusque aliis que movere possunt et debent animum judicantis, dictus Arnaldus, predictos denunciatos et eorum quemlibet, a predictis et quolibet predictorum, sentencialiter absolvit, necnon et Bertrandum de Cangia, quia defecit in probando que denunciaverat, contra predictos denunciatos, condempnavit in expensis dicte litis, super predictis expensis taxacione sibi reservata; a quibus absolucione et condempnacione dictus Bertrandus, tanquam ab iniquis, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in causa dicte appellacionis, in curia nostra, dictis partibus, et visis processibus predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum locum tenentem male judicasse et dictum Bertrandum bene appellasse, et quia, per dictum processum, repertum est, predictos denunciatos fore culpabiles de predictis contra eos denun-

Louis X 1315.

Louis X, 1315.

ciatis, curia nostra dictos denunciatos, in quater viginti libris Turonensibus dicto Bertrando de Cangia, et in quadraginta libris dicto Bertrando Genezy applicandis, per idem judicium, condempnavit.

Veneris predicta.

M. R. de Briençon reportavit.

XLII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Garnerium de Gonnessa, ex una parte, et Gobinum de Mitriaco, ex altera, super eo quod dictus Garnerius dicebat se ducentas et quadraginta libras et decem solidos Parisienses dicto Gobino, in commendam seu depositum tradidisse, quas sibi reddi petebat, dicto Gobino dictam commendam seu depositum negante; lite super predictis legittime contestata, testibus, ex parte dicti Garnerii, super hoc, productis, pluribus racionibus, ex parte dicti Gobini, contra testes, ex parte dicti Garnerii, productos, ad impediendum processum dicte cause, propositis; dictus prepositus, visis per eundem dictis processibus, et auditis utriusque partis racionibus interloquendo, pronunciavit, racionibus dicti Gobini non obstantibus, in dicta causa fore ulterius procedendum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Gobinus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, in causa dicte appellacionis, partibus antedictis, et visis processibus predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Gobinum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

M. R. de Briençon reportavit.

Remissus fuit processus preposito Parisiensi.

XLIII. Cum magister Johannes Belins de Silvanecto, advocatus, vivente karissimo genitore nostro, curie sue conquestus fuisset quod Johannes de Cambio et Odardus de Sancto-Vincencio, de Silvanecto, plures minas intulerant eidem, pro eo quod ipse advocatus causam heredum Oudardi Draperii, de mandato ballivi Silvanectensis, ut ipse dicebat, coram abbate Sancti-Vincencii et Petro le Semilleus, com-

missariis ab eadem curia deputatis, contra dictos Johannem et Oudardum defendebat, et, post minas et alia premissa, dicti Johannes et Oudardus, pensatis insidiis, cum suis complicibus, armati, quadam die mercurii, in sancta ebdomada, post Tenebras seu Matutinas cantatas, predictum advocatum, de ecclesia, in qua divinum officium audierat, ad hospicium suum redeuntem, turpiter et atrociter vulnerarunt et debilitaverunt, de nocte, et, de predictis non contenti, dicto advocato minas plurimas intulerunt, et se premissa fecisse recognoverunt, quare requirebat predictus advocatus factum hujusmodi tam nobis quam sibi competenter emendari : Facta igitur super predictis inquesta, de mandato dicti genitoris nostri, vocatis predictis partibus, et aliis evocandis, et auditis que dicti Johannes de Cambio et Odardus, ad eorum defensionem, proponere, super hoc, voluerunt, remissaque dicta inquesta ad nostram curiam judicanda, auditis, super hoc, dictis partibus, et visa dicta inquesta, et diligenter examinata, quia repertum est, per dictam inquestam, predictos Johannem et Odardum predicta delicta perpetrasse, et dictum advocatum, ex dictis vulneribus, in brachio debilitatum perpetuo remanere, curia nostra predictos Johannem et Odardum in quingentis libris Turonensibus, nobis, pro medietate, et dicto advocato, pro alia medietate, solvendis, per suum judicium, condempnavit.

Louis X. 1315.

Veneris predicta.

Decanus Casletensis reportavit.

XLIV. Cum, super peticionibus quas in nostra curia faciebant prepositus, decanus et capitulum Sancti-Audomari, contra comitem Attrebatensem et ejus gentes, de bladis, avenis, veciis et aliis bonis mobilibus dictorum conquerencium que ipsi dicebant, per gentes dicti comitis, justiciando, capta fuisse, apud Dohanum, Cousturam juxta Bethune, Erquen, Bilquen, Secqueten ac Sancti-Audomari ecclesiam, necnon et de bannis, preceptis seu mandatis et adjornamentis in justicia dictorum prepositi, decani et capituli, turbando et impediendo eorum saisinam, factis de novo, per gentes easdem, ac de

Louis X, 1315.

hominibus et gentibus dicte ecclesie Sancti-Audomari, captis per ipsas gentes, ut dicitur, ac de disruptis introitibus et traillis celariorum, in ipsorum prepositi, decani et capituli saisina, existentibus, in quorum omnium saisina ipsi conquerentes dicebant se injuste et de novo, per gentes dicti comitis, esse turbatos, dictus comes, super hiis, curiam sibi reddi peteret, proponens quamplures raciones, in suis articulis declaratas, ad finem habendi curiam de predictis, dictis vero preposito, decano et capitulo, ad finem quod curia et cognicio de predictis penes nos remaneret, plures raciones, in suis articulis declaratas, proponentibus ex adverso; tandem super articulis dictarum parcium, ad finem dicte curie traditis, certi fuerunt commissarii deputati; quo negocio pendente, defunctoque dicto comite, et arramentis dicte cause resumptis, per Matildim, nunc comitissam Attrebatensem, completa fuit, vocatis dictis partibus, inquesta predicta, et ad curiam nostram, ad judicandum, reportata: Auditis igitur super hoc, dictis partibus, et visis inquestis, tam super dictis principalibus articulis, ad finem dicte curie, traditis, quam super reprobacionibus testium, super eis, productorum, per curiam nostram, ad probandum, admissis, ac eciam instrumentis quibusdam, per dictas partes, productis et aliis que dicte partes in hujusmodi proponere voluerunt, per curie nostre judicium, dictum fuit quod curia et cognicio de predictis dicte comitisse non reddetur, immo penes nos remanebit.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XLV. Discordia mota, in curia parlamenti Parisiensis, inter Johannem de Salonel et Johannem, ejus filium, ex una parte, et abbatem et conventum Sancti-Johannis Ambianensis, ex altera, super eo quod dicebant dicti pater et filius, se a dictis abbate et conventu tria molendina de Mes ad firmam, per spacium viginti annorum continue, quolibet anno, pro pensione viginti librarum et quinque modiorum bladi, recepisse et tenuisse, pacto super hoc apposito inter eos, de ponendis

sexaginta libras per dictos firmarios, infra primum annum in melioracione molendinorum predictorum, asserebantque firmarii predicti, se dictas pensiones solvisse, ac dictas melioraciones infra dictum annum, prout promiserant, in dictis molendinis apposuisse, dicentes dicti firmarii dictos abbatem et conventum, predictis non obstantibus, ipsos firmarios a dicta sua firma amovisse, seu, per gentes nostras, indebite amoveri fecisse, in prejudicium juris firme sue predicte ac in ipsorum firmariorum dampnum non modicum et gravamen, quare dicebant et petebant dicti firmarii se ad firmam predictam debere restitui et reponi; procuratore dictorum abbatis et conventus se in contrarium opponente et dicente dictos firmarios dictam pensionem non solvisse, nec melioraciones predictas in dictis molendinis apposuisse, infra annum, sicut ipsi tenebantur, virtute conventionis inter eos inite, et in quodam cyrographo, quod ipse exhibebat, contente, et quod, si dicti firmarii a firma predicta amoti fuerunt, hoc fuit licite et juste, quia dicti firmarii dictas pensiones non solverant, nec in dictis molendinis apposuerant melioraciones predictas; insuper asserebat procurator dictorum religiosorum, quod, super predictis debatis, dicti abbas et conventus, ex una parte, ac firmarii predicti, ex alia, ordinacioni ballivi Ambianensis, de alto et basso, se supposuerant; qui quidem ballivus, per suam ordinacionem, judicavit, dictos firmarios a dicta firma debere amoveri, pro sexaginta libris quas firmarii predicti haberent ab abbate et conventu memoratis, et quod firmarii predicti, de ordinacione predicta dicti ballivi, se tenuerunt pro contentis; tandem dicte partes articulos suos, super hiis, nostre curie tradiderunt, quos, sub contrasigillo karissimi genitoris nostri interclusos, Leonardo Sicci tunc temporis gardiatori ballivie Ambianensis, dicta curia parlamenti transmisit, dicto Leonardo committens et mandans ut, super dictis articulis, inquireret, vocatis evocandis, cum diligencia, veritatem, et quod inquestam perfectam quam super dictis articulis faceret, sub sigillo suo interclusam, curie nostre remitteret judicandam; qui Lienardus, vocatis coram se dictis partibus et auditis super predictis articulis, inquisivit, cum

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

diligencia, veritatem; quam quidem inquestam perfectam, dictus Leonardus, sub suo sigillo, curie nostre, Parisius, in presenti parlamento transmisit judicandam : Auditis igitur, in curia nostra, super hoc, dictis partibus, et visa inquesta predicta, ac inspecto diligenter toto processu cause predicte, per judicium curie nostre, dictum fuit firmarios predictos sufficienter, super hoc, suam intencionem probavisse, et quod firmarii predicti ad dicta tria molendina de Mes, pro sua firma ab ipsis firmariis tenenda et habenda, modo, tempore et forma contentis in predicto cyrographo, ad requestam parcium predictarum, super dicta firma, coram scabinis Ambianensibus concordato et confecto, restituentur et eisdem reddentur fructus et emolumenta, medio tempore, videlicet a tempore remocionis firmariorum predictorum usque ad tempus restitucionis eorumdem, inde percepti et levati.

Veneris ante Ramos-Palmarum.

XLVI. Discordia mota, in curia nostra, inter abbatem et conventum Sancte-Genovefe Parisiensis, ex parte una, et procuratorem nostrum, pro nobis et nostro nomine, ex altera, super eo quod requirebant dicti religiosi, manum nostram amoveri a quadam domo sita Parisius, in justicia dictorum religiosorum, que nuncupatur domus ad Leonem, seu domus Petri de Brocia; que quidem domus pertinebat, ut ipsi dicebant, ad eos et pertinet, jure dominii vel quasi, ex certis causis, in eorum articulis declaratis, insuper requirentes dictam domum sibi, per nos, dimitti, pacifice possidendam ab ipsis, remoto exinde quocumque alio dicte domus detentore, per nos seu karissimum genitorem nostrum, posito ibidem; procuratore nostro in contrarium se opponente, et dicente predictam requestam dictorum religiosorum fieri non debere, cum dicta domus, jure dominii, pertineat ad nos, ex legato vel donacione defuncti Odardi de Chambliaco, quondam militis, cujus defuncti militis, domus predicta, tempore dicte donacionis, erat, prout dictus procurator noster, per litteras et instrumenta, super hiis, confecta, dicebat apparere : Tandem,

in curia nostra, visis et diligenter inspectis racionibus, litteris et instrumentis super hoc exhibitis ac eciam deposicionibus testium utriusque partis, super hoc productorum, per judicium curie nostre, dictum fuit quod manus nostra amovebitur a domo predicta, et dimittetur dicta domus eisdem religiosis, ab ipsis pacifice possidenda, et imposuit curia nostra perpetuum silencium, super dicta domo, procuratori nostro predicto. Louis X, 1315.

Jovis post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

M. J. de Halis reportavit.

XLVII. Cum nobis, tanquam comiti Campanie, conquestus fuisset elemosinarius monasterii Sancti-Dyonisii in Francia, quod nonnulli sui homines de corpore, in castellania et prepositura de Brayo commorantes, de juridicione sua ad nostram juridicionem se duxerant transferendos, nos, super hoc, advoando, in ipsius elemosinarii prejudicium, cum ipse, ut dicebat, esset in saisina justiciandi eosdem, nos certos commissarios deputavimus, ad inquirendum, non obstante advoacione predicta, de jure nostro et dicti elemosinarii super saisina predicta, vocatis evocandis, cum diligencia, veritatem : Facta igitur, per dictos commissarios, super hoc, inquesta et ad nostram curiam reportata, et, auditis partibus, visa et diligenter examinata, per curiam nostram, extitit ordinatum quod manus nostra, occasione dicte advoacionis, ad juridicionem dictorum hominum apposita, amovebitur, et quod idem elemosinarius, predicta advoacione non obstante, utetur, in dictos homines, saisina juridicionis sue, prout ipse, ante dictam advoacionem, facere consueverat, salva nobis et dictis hominibus questione proprietatis, super hoc, contra elemosinarium memoratum.

Jovis post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

Uscum reportavit.

XLVIII. Cum magister Hugo de Gaillone, regie magestati, conquestus fuisset quod, cum ipse esset procurator Regis apud Biterris,

Louis X, 1315.

in senescallia Carcassonensi, per litteras Regis, rite et legittime constitutus, ipse tamen, per senescallum Carcassonensem, inde fuit amotus, sine causa racionabili, et loco ejus fuisset subrogatus, in officio predicto, magister Johannes de Cultura, virtute cujusdam alterius littere regie dicto senescallo directe, propter quorum discordiam, tandem fuit commissum certis commissariis ut ipsi veritatem inquirerent quis dictorum Hugonis et Johannis magis esset ydoneus et sufficiens, vel utrum neuter eorum esset sufficiens in officio antedicto; qui quidem commissarii diligenter, super premissis, vocatis partibus, inquisita veritate, inquestam factam, super hoc, nostre curie remiserunt : Visa igitur, per curiam nostram, inquesta predicta et diligenter examinata, per nostram curiam, dictum fuit neutrum predictorum duorum debere remanere in officio supradicto, quodque senescallus et judex major Carcassone providebunt de persona ydonea ad officium antedictum, et eam domino Regi nominabunt, vel, per suas litteras, intimabunt eidem ut, cum eorum testimonio, deputet eam, si sibi placuerit in officio supradicto, in eodem, quamdiu sibi placuerit, remansurum (25).

Jovis predicta.

Chaudenay reportavit.

XLIX. Cum, ad denunciacionem Geraldi de Capdenaco, militis, senescallus Ruthenensis, per ballivum de Petruccia, contra abbatem Figiaci, fecisset inquiri super eo quod dictus abbas, per gentes suas, in manso de Montag et de Vallada, in quo idem miles justiciam altam et bassam asserebat se habere, homines dicti mansi, per vim et potenciam suam, justiciando, fecerat pignorari indebite et injuste, ad illum finem quod si, vocatis partibus, constaret ita esse, dictus abbas compelleretur dicta pignora reddere, et hoc nobis et parti competenter emendare, dictusque abbas pignoracionem predictam, nomine suo factam advoasset, pretendens, ad sui defensionem, dictam pignoracionem legittime esse factam, pro eo quod homines dicti mansi cessaverunt in solucione unius halbergii, cum quinque militibus, di-

midii modii vini, unius mutonis, unius porci et duorum sextariorum avene et quinque solidorum, in quibus eidem abbati tenentur dicti homines, pro terris et possessionibus quas ipsi tenent in dicto manso et pertinenciis ejusdem, asserens eciam se esse in bona saisina, annis singulis, levandi et percipiendi predicta et pignorandi, ob defectum satisfaccionis predictorum, ac se juridicionem in dicto manso omnimodam habere; quibus non obstantibus, prefatus senescallus dictum abbatem, in personam Petri de Genebris, procuratoris sui, in quadraginta libris Turonensibus, nobis, nomine emende, applicandis, et in jure bajuli ac notarii de Petrucia, comdempnavit; a qua comdempnacione, tanquam iniqua et injusta, procurator predictus ac noster procurator, tanquam a modica, ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visaque dicta inquesta et diligenter examinata, quia per eam repertum fuit dictum abbatem suas defensiones sufficienter probasse, per curie nostre judicium, fuit dictum predictum senescallum male judicasse et procuratorem dicti abbatis bene nostrumque procuratorem perperam appellasse, et quod execucioni non mandabuntur condempnaciones predicte.

Jovis post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

M. P. de Lingonis reportavit.

L. Lite mota, coram ballivo Lingonensi, inter Jaquetam, relictam defuncti Clementis dicti Mairequot de Lingonis, ex una parte, et Johannem de villa de Cohom, ex altera, super eo quod dicebat dicta Jaqueta quod, cum ipsa esset in bona saisina plurium rerum immobilium seu hereditatum, sitarum in dicta villa de Cohom et ejus territorio, major dicte ville, ad requestam dicti Johannis, dictam Jaquetam spoliavit possessione sua dictorum bonorum, sine causa racionabili et ea sufficienter non vocata, ut ipsa dicebat, saisinam dictorum bonorum dicto Johanni tradidit et deliberavit, in prejudicium dicte Jaquete, ut dicebat, dicto Johanne, ad sui defensionem, proponente et dicente quod rite et legittime dictus Johannes predicta

Louis X, 1315.

bona possidebat, pro eo quod, cum dictus Johannes litem movisset contra dictam Jaquetam, coram majore predicto, super predictis bonis, dicta Jaqueta tot defectus fecit in causa hujusmodi, quod ipsa debuit amittere saisinam dictorum bonorum et quod dicto Johanni adjudicari debuit dictorum bonorum saisina, secundum consuetudinem patrie supradicte; tandem dictus ballivus, cognito de dicta causa, et a dictis partibus concluso in ea, quia non repperit dictum Johannem sufficienter probasse predictam Jaquetam dictos defectus in causa hujusmodi fecisse, per suum judicium, pronunciavit dictum majorem super hoc male processisse, et ipsum possessionem dictorum bonorum predicto Johanni male tradidisse, et dicte Jaquete possessionem dictorum bonorum reddi debere; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Johannes ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, et visis, per curiam nostram, dictis processibus et diligenter examinatis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod dicte Jaquete reddetur predictorum bonorum saisina, et remisit curia nostra predicto Johanni emendam, racione dicte appellacionis debitam.

Veneris post Quasimodo.

M. Nicolaus de Bria reportavit.

LI. Cum ballivus Matisconensis, prepositos, servientes et homines de Fontanis, de Fargiis et de Campo-Ferreolo, pro quibusdam excessibus, per eos, ut dicebatur, commissis in loco de la Rougiere, per suum judicium, inter cetera, comdempnasset in mille libris Turonensibus, nobis, pro emenda solvendis, ad instanciam procuratoris nostri et Giraudi de Castro-Novo, nunc militis, et uxoris sue, factum hujusmodi prosequencium, coram ballivo predicto, dictique comdempnati, super hoc, ad nostram curiam appellassent, et curia nostra, auditis, super hoc, partibus, confirmasset judicatum predictum, postea vero episcopus Cabilonensis, pro se, prepositis, servientibus et hominibus predictis a nobis graciam obtinuit quod ipse et homines predicti,

contra comdempnacionem et judicatum predictum dicere et proponere possent quicquid vellent, et quod, usque ad mediam Quadragesimam jam transactam totalis execucio dictorum comdempnacionis et judicati teneretur in suspenso; comparentibus igitur, in curia nostra, super hoc, dictis partibus, dictus episcopus, pro se, prepositis, servientibus et hominibus predictis, plures raciones de novo proposuit, per quas ipse dicebat comdempnacionem et judicatum predictos debere revocari, procuratore nostro e contrario proponente dictas raciones non debere admitti, pro eo maxime quod proposite non fuerunt in dicta causa principali nec in causa appellacionis predicte, dicto episcopo e contrario replicante se, virtute gracie sibi facte, pro se, prepositis, servientibus et hominibus predictis, admitti debere ad proponendum eciam de novo quicquid vellet contra comdempnacionem et judicatum predictos, ac, propter hoc, in curia nostra, auditis hinc inde propositis et visis judicato et gracia supradictis, per arrestum nostre curie, dictum fuerit quod dictus episcopus, pro se, prepositis, servientibus et hominibus predictis admitteretur, virtute gracie supradicte, ad proponendum raciones quas voluerit contra comdempnacionem et judicatum predictum, et ad eas pars adversa, si vellet, responderet : Tandem, in curia nostra, auditis et diligenter inspectis, racionibus dicti episcopi, ac iterum viso et inspecto processu dicte cause, visisque et auditis responsionibus procuratoris nostri predicti, per curie nostre judicium, dictum fuit quod, non obstantibus racionibus, ex parte dicti episcopi et predictorum conquerencium sibi adherencium, propositis, dictum judicatum ballivi nostri predicti, alias, per curiam nostram, confirmatum, sicut jacet, tenebit ac eciam mandabitur execucioni. Louis X, 1315.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

M. J. de Halis reportavit.

LII. Cum decanus et capitulum Peronenses domino Regi conquesti fuissent dicentes quod, licet olim predecessores eorum, fratribus tunc Templariis, ejusdem ecclesie Peronensis prebendarum annalia

Louis X, 1315.

concessissent ab eis percipienda, dumtaxat quamdiu ipsi Templarii religionis sollicitudinem, pia devocione servarent, ipsique decanus et capitulum, a tempore quo dictus ordo fuit anullatus, essent in saisina pacifica retinendi et non prestandi annalia predicta, nichilominus Petrus de Fonte, serviens domini Regis in prepositura de Chauniaco, deputatus a ballivo Viromandensi, virtute cujusdam littere domini Regis, super hoc, sibi directe, saisinam dictorum annalium fratribus Hospitalariis tradidit, per quoddam signum, contradicentibus in hujusmodi dictis decano et capitulo, et plures raciones efficaces, ut dicitur, proponentibus, per quas dictus serviens hoc facere non debebat, quas idem serviens audire et admittere recusavit, requirentes dicti decanus et capitulum predicti servientis factum hujusmodi totaliter anullari, dictique Hospitalarii plures proposuissent e contrario raciones per quas ipsi dicebant dicti servientis factum predictum tenere et ipsos remanere debere in saisina percipiendi dicta annalia tradita eisdem, per servientem predictum, et super debato predicto dominus Rex mandasset veritatem inquiri : Tandem, facta, super hoc, vocatis partibus, inquesta et ad judicandum nostre curie reportata, auditis super hoc dictis partibus et visa inquesta predicta, visaque quadam littera super concessione dictorum annalium, sub certa forma facta inter capitulum et Templarios predictos, ipsi curie nostre et dictis partibus exhibita, curia nostra, per arrestum suum, dicti servientis factum, super saisina predicta, per eum, ut premissum est, tradita, et super aliis, per eundem servientem factis in hujusmodi, totaliter anullavit, et precepit quod dicta annalia, racione debati predicti, in manu domini Regis, tanquam dicte ecclesie et ejus personarum et bonorum gardiatoris, integre custodiantur, dicta lite pendente, ad utilitatem illius partis que obtinebit, in causa predicta, super quo debato, placuit curie nostre justiciam fieri per judicem competentem.

Sabbato predicta.

LIII. Lite mota, coram preposito Aurelianensi, inter Lancelotum

Barat, militem, vicecomitem Aurelianensem, ex una parte, et procuratorem nostrum ballivie Aurelianensis, pro nobis, ex altera, super eo quod, cum dictus prepositus ad manum nostram posuisset debatum pendens inter dictas partes, super eo quod dictus vicecomes nitebatur levare quandam constumam seu conductum, videlicet viginti alecia de mille alecibus, emptis Aureliano per mercatores extraneos, ad portandum extra dictum vicecomitatum, quare petebat dictus vicecomes dictam manum nostram inde amoveri, et per dictum prepositum declarari ipsum vicecomitem esse in saisina percipiendi dictam constumam et se in ea debere perpetuo remanere, dicto procuratore non petente dictam manum nostram remanere ibidem et novitatem per dictum vicecomitem ejusque patrem, super hoc, inceptam de novo in levando dicta viginti alecia a dictis mercatoribus, ementibus Aureliano alecia ad portandum extra villam Aurelianensem, revocari, et dictum vicecomitem, pro dicta novitate, puniri; visa inquesta facta per dictum prepositum super predictis, idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit procuratorem nostrum, super hiis, melius intencionem suam probasse quam vicecomitem predictum, dictumque vicecomitem condempnavit ad cessandum de cetero de levando viginti alecia supradicta et ad emendandum nobis novitatem predictam; a quo judicato dictus vicecomes ad ballivum Aurelianensem appellavit; dictusque ballivus, auditis partibus, et visa dicta inquesta, per suum judicium, pronunciavit dictum prepositum male judicasse et dictum vicecomitem bene appellasse; a quo judicato dicti ballivi, tanquam falso et pravo, prepositus Aurelianensis, pro nobis, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visa dicta inquesta, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum male judicasse et dictum prepositum bene appellasse, et quod mandabitur dicto preposito quod ipse dictum judicatum suum mandet execucioni, et dictum vicecomitem compellat ad prestandum nobis emendam competentem, racione novitatis predicte, et ad satisfaciendum illis a quibus ipse levavit viginti alecia supradicta.

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

Sabbato post Quasimodo anno trecentesimo quindecimo.
Mangon reportavit[1].

LIV. Cum, ad denunciacionem magistri Johannis de Revello ac procuratoris nostri, senescallus Petragoricensis, per magistrum Stephanum et Johannem Flamingi, contra Aelipdim, relictam Bertrandi de Gramato, super eo quod dicte Aelipdi imponebatur Bernardum Bertrandi de villa Rupis-Amatoris, impuberem, in nostra salva gardia ac in tutela dicti magistri Johannis de Revello existentem, ut dicitur, de dicta villa Rupis-Amatoris violenter extraxisse, prefato tutore reclamante et invito, suisque dolosis inductionibus, persuasionibus ac fraudulosis machinacionibus procurasse, sive per ipsam dictum impuberem, sic extractum, sollicitatum et inductum fuisse ad matrimonium cum Guallarda, filia defuncti Aymonis, domicelli, contrahendum, inquestam fieri fecisset ad illum finem ut, quatenus ipsa super premissis reperiretur culpabilis, puniretur, et, visa predicta inquesta, prefatus senescallus, pro dictis excessibus, dictam Aelipdim in trecentis libris Turonensibus, nobis, nomine emende, et in gagio bajuli, ac in viginti libris Turonensibus, pro expensis dictorum commissariorum, ac in expensis dictorum denunciatorum, comdempnasset, a predicta comdempnacione, tanquam iniqua et injusta, procurator dicte Aelipdis, ac procurator noster ab ipsa, tanquam a modica, ad nostram curiam appellaverunt : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visa dicta inquesta et diligenter examinata, quia, per eam, non est inventum sufficienter probatum dictam Aelipdim predictos excessus perpetrasse, seu perpetrari procurasse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum male judicasse et procuratorem dicte Aelipdis bene, nostrumque procuratorem perperam appellasse, et quod predicte comdempnaciones non mandabuntur execucioni.

Sabbato predicta.
M. Petrus de Lingonis reportavit.

[1] On lit en marge : *Fiat littera.*

LV. Lite mota, in curia nostra, inter procuratorem nostrum ballivie Turonensis, pro nobis, ex una parte, et Hardoynum de Haya, militem, ex altera, super eo quod dicebat dictus miles quod, cum ipse teneret a nobis terram des Escluses, cum pertinenciis ejusdem, et quod ipse de dicta terra est et erat in fidelitate et homagio nostris, et quod, cum dictus miles domanium dicte terre tradidisset Petro Doree, pro centum et quinque libris annui et perpetui redditus, a dicto Petro Doree et suis heredibus solvendis, singulis annis, predicto militi et suis heredibus, imperpetuum retinendo in dicta terra des Escluses, per dictum militem, cum dictis redditibus, feoda, retrofeoda, homagia, obedienciam, justiciam et vendas, et quod ipse dictam tradicionem ad censum annui redditus facere poterat nobis irrequisitis, de usu et consuetudine notoriis et approbatis patrie, in qua dicta terra sita est, sine forisfactura et emenda, dum tamen duas partes valoris dicte terre ipse retineret, et quas duas partes et plus dictus miles se, in dicta terra, retinuisse asserebat; dicebat eciam quod Robertus Maugier, ballivus quondam Turonensis, dictam terram des Escluses, quam ipse miles pacifice possidebat, ut dictum est, ad manum nostram posuit et dictum militem de eadem desaisivit, sine cause cognicione et ipso non vocato, asserendo quod dictus miles predictam tradicionem, contra consuetudinem patrie, fecerat; quare petebat dictus miles manum nostram in dicta terra des Escluses et pertinenciis ejusdem appositam, amoveri, procuratore nostro contrarium asserente et dicente quod dictus miles, in tradendo dictam terram predicto Petro Doree, pro centum et quinque libris, duas partes non retinuit, quod facere debebat, de usu et consuetudine patrie; quapropter dicta terra, cum pertinenciis ejusdem, nobis erat acquisita : Facta igitur, super predictis, per commissarios, super hoc, deputatos, inquesta, et curie nostre, ad judicandum, remissa, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta inquesta dormiet, ex causa, usque ad diem ballivie Turonensis futuri proximo parlamenti, et interim amovebitur exinde manus nostra, nostro et dicti militis jure salvo.

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

Sabbato predicta.

Cassel reportavit.

Inquesta est in sacco de parlamento postea immediate facto, quia, super hoc, factum fuit aliud judicatum in dicto parlamento.

LVI. Cum, super eo quod imponebatur Stephano Chausso quod ipse Johannem de Sceule vileniaverat, post et contra prohibicionem eidem Stephano factam per Guillelmum Roquat, servientem nostrum, ne ipse dicto Johanni injuriaretur, qui serviens eundem Johannem, presente dicto Stephano, in nostra posuit gardia speciali, predicto Stephano predicta negante, et ad sui defensionem plures raciones proponente, senescallus Petragoricensis, vel ejus locum tenens, vocatis partibus, fecisset veritatem inquiri, et, per inquestam, super hoc, factam, predictum Stephanum, pro dictis injuriis, nobis in viginti libris Turonensibus, sex libris dicto Johanni et in gagio bajuli comdempnasset, predictus Stephanus a dicta sentencia, tanquam iniqua et injusta, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visaque dicta inquesta et diligenter examinata, quia per eam repertum est sufficienter esse probatum dictum Stephanum in predictis culpabilem extitisse, ipsumque suas defensiones super hoc sufficienter non probasse, per curie nostre judicium, fuit dictum predictum senescallum, vel ejus locum tenentem, bene judicasse et dictum Stephanum male appellasse, et quod execucioni mandabuntur comdempnaciones predicte.

Sabbato predicta.

M. P. de Lingonis reportavit.

LVII. Cum mota fuisset controversia, in curia nostra, inter Arnaudum de Genebriis, ex una parte, et magistrum Guillelmum de Castaneto et Guillelmum et Raymundum Gauberti, ex altera, super eo quod dictus Arnaudus dicebat quod Gerardus Gauberti de Turre, ejus avunculus, dederat sibi omnia bona sua in perpetuum, retento sibi duntaxat usufructu in eisdem bonis, et post dictam donacionem sic

factam, ad eam elidendam et anullandam, et in ejus fraudem, ut dictus Arnaudus dicebat, dictus Gerardus donaverat predicta omnia bona dicto magistro Guillelmo de Castaneto, sub eo pacto et ea condicione quod dictus magister Guillelmus transferret predicta bona in dictos Guillelmum et Raymundum Gauberti de Turre, filios spurios, ut ipse dicebat, dicti Gerardi, dicto magistro Guillelmo de Castaneto predicta, prout sunt narrata, negante et, ad sui defensionem, proponente et dicente dictum Gerardum sibi magistro Guillelmo donasse, pure et sine aliqua condicione in perpetuum, omnia bona sua, retento sibi duntaxat usufructu in eisdem bonis : Tandem inquesta, vocatis partibus, super hoc facta, de mandato curie nostre, per magistrum Matheumde Curtibus-Jumellis, judicem Caturcensem, dicte curie nostre, ad judicandum remissa, auditis super hoc, in curia nostra dictis partibus et visa inquesta predicta, quia per eam non fuit inventum dictum Arnaudum, super predictis, intensionem suam sufficienter probasse, dictus magister Guillelmus de Castaneto ab impeticione predicta dicti Arnaudi fuit, per curie nostre judicium, absolutus.

Louis X, 1315

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

M. Nicholaus de Braye reportavit.

LVIII. Lite mota, coram locum tenentem senescalli Petragoricensis, inter procuratorem nostrum dicte senescallie, ex una parte, et bajulum seu locum tenentem preceptoris domus Sancti-Johannis Iherosolimitani de la Tronqueria, ex altera, super eo quod dictus procurator dicebat quod dictus bajulus seu locum tenens et Fulco de Faeto, miles ejusdem ordinis, commorans in dicto domo, Guillelmo Bastida, servienti nostro, rescusserant, in villa de Gorsas, ballivie nostre de Fontibus, Bernardum Astorgii, bannitum, ut dicebatur, propter aliqua maleficia sibi imposita, quem arrestaverat dictus serviens, volens ipsum ducere in carcerem nostrum de Fontibus, suum officium sergentarie exercendo, qui miles, ut dicitur, impediendo dictum servientem nostrum uti officio suo, eidem servienti nostro

Louis X, 1315.

abstulit quemdam magnum cutellum quem idem serviens abstulerat dicto bannito, et dictum servientem idem miles, ut dicitur, percussit de dicto cutello, in capite et alias appodiavit eum pectori dicti servientis, et gravius eum verberasset, ut dicitur, nisi fuissent circumstantes eum impedientes, et hoc in presencia dicti bajuli, seu locum tenentis preceptoris dicte domus, cui dictus miles subjectus erat, et ei obedire tenebatur; qui quidem bajulus dicto militi non prohibebat ne talia perpetraret, immo, super premissis, eidem militi audaciam prebebat, dictusque bajulus, accumulando mala malis, multa verba injuriosa dicto servienti nostro, in contemptum nostrum, dixit, maxime cum dictus serviens, ex parte nostra, pluries eis inhibuisset antea ne ipsum impedirent in officio suo et ne sibi injuriarentur, dicto bajulo seu locum tenente predicta negante et plures raciones, ad sui defensionem, super hoc proponente; tandem predictus locum tenens senescalli predicti certis personis commisit ut ipsi, de premissis, vocatis partibus, inquirerent veritatem; dicti vero commissarii, inquestam per eos, super hoc, factam ad dictum locum tenentem ejusdem senescalli reportaverunt judicandam; qui locum tenens, auditis super hoc dictis partibus, et visa inquesta predicta, dictum bajulum seu locum tenentem dicti preceptoris in ducentis libris Turonensibus nobis, racione emende, applicandis, et in centum solidis Turonensibus dictis commissariis, pro eorum expensis, reddendis, et in gagio bajuli, percipiendis et levandis de bonis temporalibus dicte domus, per suum judicium, comdempnavit; a quo judicato, tanquam ab iniquo, dictus bajulus, nomine suo et nomine predicte domus, ad nostram curiam appellavit; auditis siquidem dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, curia nostra commisit per magistrum Rambertum David, super hinc inde propositis, vocatis partibus, veritatem inquiri; dictus vero commissarius, inquestam, super premissis, per eum factam, curie nostre judicandam remisit: Auditis igitur super hoc dictis partibus, et visis processibus utriusque partis, tam cause principalis quam appellacionis predictarum et diligenter examinatis, per curie nostre judi-

cium, dictum fuit predictum locum tenentem senescalli predicti bene judicasse, et dictum bajulum seu locum tenentem preceptoris dicte domus male appellasse, et mandabitur execucioni comdempnacio predicta. Louis X, 1315.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

M. Nicholaus de Braie reportavit.

LIX. Cum prepositus Sancti-Maglorii Parisiensis, arrestum suum in bonis mobilibus Droconis de Luperiis existentibus in domo quam inhabitabat idem Droco, Parisius, posuisset ad instanciam Ade de Labeuf, Marie, ejus uxoris, et Lambeleti Gasteble, dicte Marie filii, et dictus Droco, coram eodem preposito, peciisset dictum arrestum amoveri, ac ipsum in dictorum bonorum saisina teneri et conservari, plures raciones proponens super hoc ad finem in suis articulis declaratum; dictis vero conjugibus et filio, ad finem contrarium, necnon et quod de dictis bonis et ceteris bonis ejusdem Droconis, non positis sub arresto predicto, fieret execucio, usque ad execucionem completam judicati cujusdam contra dictum Droconem lati, per eundem prepositum, pro conjugibus et filio antedictis, raciones quamplures proponentibus; idem prepositus, auditis partibus, datisque ipsarum parcium articulis et responsionibus ad eosdem, ac visis testium deposicionibus productorum hinc inde, per suum pronunciavit judicium quod arrestum predictum tenebit et quod ipse, in dictis bonis execucioni mandabit dictum primum judicatum per ipsum datum, pro dictis conjugibus et filio, contra Droconem predictum, non obstantibus propositis ab eodem Drocone, et quod idem Droco ad complendum dictum primum judicatum compelletur; a quo judicato, tanquam falso et pravo, idem Droco ad Parisiensem prepositum appellavit; idem vero Parisiensis prepositus, in causa appellacionis predicte procedens, auditis partibus, per suum pronunciavit judicium eundem prepositum Sancti-Maglorii bene judicasse et dictum Droconem male appellasse; a quo quidem judicato, tanquam falso et pravo, dictus Droco iterato ad nostram curiam appellavit:

Louis X, 1315.

Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, visisque, per curiam nostram, causarum hujusmodi processibus et judicatis predictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit eundem Parisiensem prepositum bene judicasse et dictum Droconem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Sabbato predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LX. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem magistri et fratrum Domus-Dei Parisiensis, ex una parte, et Petrum de Insulis, pro se, et Johannem de Corbolio, garandum dicti Petri, et Nicholaum dictum Thibout, garandum dicti Johannis, ex altera, super eo quod dictus procurator proponebat, nomine dictorum magistri et fratrum, ipsos, nomine dicte domus, esse et fuisse a tanto tempore quod sufficit, in saisina habendi et recipiendi, ad quatuor terminos, Parisius consuetos, decem et quatuor solidos, septem denarios et obolum incrementi census seu annui redditus super domo dicti Petri, sita Parisius, in Tonnelaria, contigua domui dicti Johannis, ex parte una, et domui Stephani de Dissy, ex altera, et in saisina gagiandi, pro dicto annuo censu seu redditu non soluto, omni tempore quo dicta domus fuit habitabilis et garnita, dictamque domum fuisse vacuam et inhabitabilem, per viginti quatuor annos, quare non potuerant, dicti magister et fratres, uti sua saisina predicta, et quod, cum dictus Petrus dictam domum fecisset reparari, dicti magister et fratres, continuando suam saisinam, fecerant gagiari, in dicta domo, pro dicto censu seu redditu anni tunc currentis, et pro arreragiis dicti census non soluti, que gagia, dictus prepositus, per manum nostram, fecit recredi dicto Petro usque ad finem litis; quare petebat dictus procurator, nomine dictorum magistri et fratrum, per dictum prepositum declarari, dictos magistrum et fratres, nomine dicte domus, esse et fuisse in saisina predicta, et quod gagia dicto Petro recredita venderentur, ad satisfaciendum dictis magistro et fratribus de dicto censu seu redditu anni tunc currentis, et de

arreragiis supradictis, si dicta gagia sufficerent ad satisfaciendum de eisdem, et, si ad hoc non sufficerent, quod dicti magister et fratres possent alia bona, in dicta domo, capere, ad complete satisfaciendum eisdem de predictis, parte adversa proponente plures raciones in contrarium, et petente se absolvi ab impeticione procuratoris predicti; tandem dicte partes voluerunt et concordaverunt quod Ten, legum doctor, et Girbaudus de Fonte, advocatus Castelleti Parisiensis, de dicta controversia cognoscerent, et, si concordes essent, eandem, per judicium, terminarent, et, si discordes essent, processum hujusmodi dicto preposito remitterent judicandum; cumque dicti Ten et Girbaudus se concordare, super hoc, non possent, ut dicebant, dictum processum predicto preposito remiserunt; qui prepositus, auditis partibus, et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit dictum procuratorem sufficienter probasse intencionem suam et dictis magistro et fratribus adjudicavit saisinam predictam, et, per idem judicium, dixit quod dicta gagia que dicto Petro recredita fuerant, redderentur, cum arreragiis dicti census non soluti, de decem et octo annis preteritis, magistro et fratribus supradictis; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Nicholaus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in dicta curia nostra, predictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque diligenter dicto processu, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Nicholaum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Sabbato post Quasimodo anno trecentesimo decimo quinto.

Mangon reportavit.

LXI. Cum, super eo quod imponebatur Bernardo Fabri, Roberto Esquini, Raymundo Gavart, Petro Johannis Gavart, Johanni Hauberti, Poncio Bertrandi, Symoni Amellii, Raymundo Helie, Arnaldo Poncii, Bernardo Guillelmi de Ferrando, Jacobo Cortesii, Arnaldo Calveti, Poncio Byaichaire, Raymundo Arberti, Johanni Rolandi, Guillelmo Donayrac, Raymundo Cos, Giraldo Durandi, Bernardo

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

Cous, Jacobo Maxilie, Raymundo Comitis, Johanni Deodati, Johanni Lestars, Bernardo Millani, Guillelmo, nuncio Bernardi Chacinarii, Guillelmo Cous et Poncio Chacinarii, quod ipsi in ecclesia beati Petri de Milhano in vigilia Sancti-Petri ad vincula existentes, inter se ipsos insultum et rixam moventes, se invicem verberaverant, cum ensibus et cutellis, et vulneraverant usque ad sanguinis effusionem, per curiam senescalli Carcassonensis inquisitum fuisset, dictusque senescallus, propter hoc, predictos Bernardum Fabri, in quinquaginta libris Turonensibus, Robertum Esquini, in decem libris, Raymundum Gavart, in decem libris, Petrum Johannis Gavart in decem libris, Johannem Hauberti, in quinquaginta libris, Poncium Bertrandi, in centum libris, et ad exilium quinque annorum de toto regno Francie, Symonem Amellii, Raymundum Helye, in decem libris, Arnaldum Poncii, in decem libris, Bernardum Guillelmi de Ferrando in quinquaginta libris, Jacobum Courtesii, in quinquaginta libris, Arnaldum Calveti, in centum libris, Poncium Byaichaire, in decem libris, Raymundum Auberti, in decem libris, Johannem Rolandi, in decem libris, Guillelmum Donayrac, in quinquaginta libris, Raymundum Cos, in quinquaginta libris, Girardum Durandi, in quinquaginta libris, Bernardum Cous, in decem libris, Jacobum Maxilie, in quinquaginta libris, Raymundum Comitis, in decem libris, Johannem Deodati, in decem libris, Johannem Lestars, in quinquaginta libris, Bernardum Milhani, in quinquaginta libris, Guillelmum, nuncium Bernardi Chacinarii, in decem libris, Guillelmum Cous, in decem libris et Poncium Chacinarii, in decem libris Turonensibus, nobis solvendis, emende nomine, comdempnasset; dictique Poncius Bertrandi, Arnaldus Poncii, Arnaldus Calveti, Raymundus Auberti, Robertus Esquini, Bernardus Byaichaire, Johannes Rolandi, Girardus Cous, Raymundus Cous, Bernardus Cous, Jacobus Maxilie, Raymundus Comitis, Raymundus Milhani, Guillelmus Cous et Poncius Chacinarii, a dicta sentencia, tanquam ab iniqua, ad nostram curiam appellassent, dictaque curia nostra, auditis appellantibus predictis, et procuratore nostro senescallie Carcassonensis, in causa appellacionis hujusmodi, mandasset

judici nostro ordinario Carcassonensi quatenus in causa appellacionis predicte, secundum articulos eidem, sub contrasigillo carissimi genitoris nostri, tradendos, inquireret veritatem, et inquestam quam inde faceret, sub sigillo suo inclusam, mitteret ad diem senescallie Carcassonensis presentis Parlamenti, dictus commissarius inquestam, super hoc, factam curie nostre transmisit clausam, ut premittitur, et completam : Auditis igitur, in curia nostra, super hoc, appellantibus et procuratore nostro predictis, dictaque inquesta, cum processibus et inquesta super principali causa factis, ad videndum et judicandum, tradita, ipsisque diligenter inspectis, per curie nostre judicium, dictum fuit, dictum senescallum, in quantum condempnavit Poncium Chacinarii et Robertum Esquini predictos, male pronunciasse, ipsosque bene appellasse, et, in quantum comdempnavit Poncium Bertrandi in centum libris et in exilium predictum, et Raymundum Auberti, nuncium Bernardi Chacinarii, in decem libris, fuit dicta sentencia, quantum ad centum libras predictas, amoto exilio, quoad dictum Poncium, et quoad dictum Raymundum, ad centum solidos, amotis aliis centum solidis, per idem judicium, moderata, et, per idem judicium, dictum fuit dictum senescallum, in quantum comdempnavit alios appellantes, bene pronunciasse, ipsosque male appellasse, et quod dicta sentencia, quantum ad illos qui non appellaverunt et quantum ad illos qui male appellaverunt, mandabitur execucioni. Louis X, 1315.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo decimo quinto.

M. Raymbaldus reportavit.

LXII. Conquerente, in curia ballivi Matisconensis, Guichardo Gaillardi super hoc quod Johannes Risolati, Guionetus Peraudi, Johannes Ameli et Guichardus, filius quondam Petri de Lingniaco, ipsum, ut dicebat, cum ensibus, bocleriis et baculis, atrociter verberaverant et vulneraverant, unam de tibiis suis fregerant, pluresque alias atroces injurias eidem suisque bubulcis et familiaribus intulerant, quare supplicabat, super premissis, veritatem inquiri ipsosque malefactores puniri, et sibi, super hoc, emendam condignam prestari, locum

Louis X, 1315.

tenens tunc Girardi de Castro-Novo, militis, gardiatoris tunc ballivie predicte, inquisivit, vocatis evocandis, super hiis, veritatem; qua inquesta sic facta ac demum, ballivo Matisconensi, ad judicandum tradita, ballivus predictus, visa inquesta predicta, pronunciavit dictum Guichardum Gaillardi intencionem suam sufficienter probavisse, et dictum Johannem Risolati dicto Guichardo Gaillardi, in centum libris Turonensibus, et nobis in centum libris Parisiensibus, necnon et quemlibet dictorum Guioneti Peraudi, Johannis Ameli et Guichardi, filii quondam Petri de Lingniaco, in sexaginta libris Parisiensibus, nobis, emendarum nomine, per suum judicium, comdempnavit: a quibus comdempnacionibus et judicato, ex parte dictorum comdempnatorum, extitit ad nostram curiam appellatum: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, processibusque et inquesta super premissis factis, per curiam nostram diligenter inspectis, per judicium nostre curie, dictum fuit dictum ballivum bene judicasse, dictosque appellantes male appellasse, et quod execucioni mandabuntur comdempnaciones predicte.

Veneris ante Ramos-Palmarum, anno trecentesimo decimo quarto.

M. Raymbaldus reportavit.

LXIII. Mota lite, coram ballivo Senonensi, inter archiepiscopum Senonensem, ex parte una, et abbatem et conventum Sancti-Germani Altisiodorensis ac dominos de Seillenay, de Booilly, de Monte et Guiotum Desnon, ex altera, super eo quod dictus archiepiscopus petebat fieri, inter ipsum et dictos religiosos ac nobiles, divisionem hominum communium, de quibus est debatum inter eos, et maxime illorum qui se advoant communes esse homines inter dictas partes, dicens dictam divisionem fieri debere, tam de jure quam de consuetudine patrie Francie et Campanie notoria et longo tempore approbata, specialiter in locis in quibus sufficit dicto archiepiscopo, ad intencionem suam, super hoc, obtinendam; dicens eciam quod res que est et fuit in communione, quantocumque tempore sic fuerit, specialiter in casu de quo est debatum, debet dividi, de jure et patrie

consuetudine, omni tempore, ad requisicionem partis hoc requirentis, quantocumque cursu temporis non obstante, ipsumque ac ejus antecessores usos esse et fuisse dicta consuetudine, contra quoscunque, specialiter contra supradictos nobiles et religiosos, et illos a quibus ipsi, super hoc, causam habent, tanto tempore quod sufficit dicto archiepiscopo ad suam intencionem obtinendam, parte adversa e contrario dicente divisionem hujusmodi non esse faciendam, de consuetudine patrie supradicte, immo quod, de dicte patrie consuetudine, proles nata de hominibus seu feminis quatuor denariorum dicti archiepiscopi conjunctis matrimonialiter hominibus seu feminis ipsorum religiosorum et nobilium, servilis condicionis et manusmortue, talliabilibus de alto et basso, sunt et remanent et debent remanere servilis condicionis, manusmortue et talliabiles de alto et basso, ipsis religiosis et nobilibus, pro jure et parte quam ipsi habent in eisdem, et quod nati de franchis hominibus seu femine dicti archiepiscopi, per matrimonium conjunctis hominibus seu feminis ipsorum religiosorum seu nobilium, servilis condicionis predicte, acquiruntur et remanent et debent remanere insolidum ipsis religiosis et nobilibus, quia, ut ipsi dicunt, de consuetudine dicte patrie, servus attrahit ad se francum, dicente eciam dicta parte adversa se dictos sic natos talliasse solum et insolidum, de alto et basso, et manummortuam levasse ab eis, pro jure et parte quam ipsi habent in eisdem, et dictum archiepiscopum ac ejus predecessores levasse quatuor denarios tantummodo de eisdem, tanto tempore quod sufficit dictis religiosis et nobilibus, et a quo tempore in contrarium memoria hominum non existit, et dicto tempore, dictum archiepiscopum et predictos ejus predecessores tacuisse de petendo fieri divisionem predictam, quare dicebat dicta pars predictorum religiosorum et nobilium dictum archiepiscopum debere, de jure et consuetudine patrie, a dicta sua peticione excludi, predictisque ac aliis racionibus, petebat ab eadem peticione se absolvi; super quo debato dictus ballivus fecit veritatem inquiri; factaque super hiis, vocatis partibus, inquesta, et eidem, ad judicandum, re-

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

missa, dictus ballivus, visa et diligenter examinata inquesta predicta, per suum judicium, pronunciavit dictum archiepiscopum sufficienter probasse quod idem archiepiscopus partitus est, cum suis adversariis, natos de hominibus seu feminis quatuor denariorum dicti archiepiscopi conjunctis, per matrimonium, cum hominibus seu feminis partis adverse, in villis de Monte, de Buissy, de Migenne, de Brion, de Lose, de Joigny, de Briennon, de Ulmis-Chemini, de Brienno, de Chanlot, de Courceles et de Curales, et quod dictus archiepiscopus consuevit partiri cum predictis suis adversariis, manummortuam natorum de matrimonio mixto predicto in villis de Venusse, de Rouvroy et de Chichy, et quod dictus archiepiscopus, cum dictis adversariis suis, natos de matrimonio mixto predicto, et illos de quibus fuit predictum debatum parcietur et dividet in dictis villis, quociens casus eveniet in eisdem, et manummortuam dividet cum eisdem, apud Rouvroy, Venusse et apud Checy, et, per idem judicium pronunciavit dictos religiosos et nobiles sufficienter probasse quod ipsi talliaverant, de alto et basso, natos de hominibus et feminis quatuor denariorum dicti archiepiscopi conjunctis per matrimonium hominibus et feminis dictorum religiosorum et nobilium condicionis servilis, et quod ipsi soli et insolidum manummortuam levaverant ab eisdem, salvis dicto archiepiscopo quatuor denariis predictis, in villis de Basso, de Cheny, de Beaumont, de Ourmoy, de Brienon, de Haute-Rive et de Booilly, et quod dicti religiosi et nobiles sufficienter probaverant predictam consuetudinem generalem, videlicet quod servus attrahit ad se francum, et, per idem judicium, dictus ballivus absolvit predictos religiosos et nobiles, ab impeticione dicti archiepiscopi facta, de dividendo natos de hominibus seu feminis franchis dicti archiepiscopi, conjunctis, per matrimonium, cum hominibus seu feminis servilis condicionis religiosorum et nobilium predictorum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, utraque pars, in quantum contra se faciebat, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, excepto dicto Guioto Desnon, qui causam hujusmodi non fuit prosecutus, sed fuit

positus in defectu, visisque ac diligenter examinatis inquesta et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit particionem personarum per dictum archiepiscopum petitam fieri debere, de villis de quibus lis et debatum ortum extitit inter partes, videlicet de Boolly, de Rouvroy, de Bordis et de Monte, et in quantum idem ballivus super aliis, de quibus lis seu debatum non erat inter partes, in plus et aliter judicavit, eundem male judicasse, et dictas partes bene appellasse (26). Louis X, 1315.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo quinto decimo.

Mangon reportavit.

LXIV. Lite mota, coram magistro Johanne de Tornamina, commissario a carissimo genitore nostro deputato, inter Guillelmum de Guillelmia, ex parte una, et Poncium Alemandini, ex altera, super eo quod, cum Bernardus, quondam Apamiarum episcopus, in viginti millibus uno florenis, dicto genitori nostro, et ex certa causa, existeret obligatus, qua de causa idem Bernardus dicto genitori nostro obligavit omnia bona sua, deposita, credita, ac eciam suorum nomina debitorum, inter quos dicti episcopi debitores, predictus Guillelmus de Guillelmia dicto episcopo, ut ipse dicebat, in sex millibus florenis, ex causa depositi, obligatus tenebatur; qui quidem Guillelmus, ut de dictis sex millibus florenorum, per se ac dictum episcopum, quantum ad hoc liberando, ipsi genitori nostro satisfaceret, omnia bona sua, deposita, credita et nomina debitorum suorum ipsi genitori nostro obligavit atque cessit, quare, coram dicto commissario, predictus Guillelmus proposuit dictum Poncium sibi, et per ipsum nobis, in quatuor millibus et ducentis libris primi et secundi cuni, ex una parte, teneri obligatum, et, ex alia parte, in medietate mille trecentarum quatuor viginti decem sex librarum novem solidorum et quatuor denariorum, prout, per quandam papiri cedulam, dicebat apparere, petens dictus Guillelmus ut idem commissarius dictas pecuniarum summas contra dictum Poncium, more solito, in nostris debitis exigendis adhiberi, explectaret et levaret; dicto Poncio Alemandini in

Louis X, 1315.

contrarium se opponente et negante se dictas quatuor millia ducentas libras Guillelmo predicto vel nobis, per ipsum, debere; qui quidem Guillelmus, lite super hoc contestata inter ipsos, ad probandam suam intencionem, adduxit certos testes; quibus testibus, in presencia dictarum parcium, juratis et postea diligenter examinatis, super alia summa videlicet mille trecentarum quatuor viginti sex decem librarum novem solidorum quatuor denariorum in dictis papiris contentarum, dictus Guillelmus, ex una parte, ac dictus Poncius, ex alia, in certos compromiserunt arbitros; qui quidem arbitri, in se suscipientes onus hujusmodi compromissi, cognito de causa predicta, per suum judicium, pronunciaverunt per hunc modum: si vera sunt que continentur in dicti papiri cedula, quod ignoramus, dictum Poncium in medietate dictarum mille trecentarum quatuor viginti decem sex librarum novem solidorum et quatuor denariorum, Guillelmo predicto comdempnamus; tandem, cum dictus commissarius, ad decisionem dicte cause, super quatuor millibus ducentis libris predictis, vellet procedere et diffinire, Poncius predictus et Poncetus, nepos suus, coram commissario predicto, proposuerunt dictum Guillelmum in certis peccuniarum quantitatibus esse dicto Poncio obligatum, petentes de dictis summis, petitis per dictos Poncium et Poncetum, ad summas predictas, per ipsum Guillelmum, petitas si reperiretur ipsos in dictis summis dicto Guillelmo teneri, compensacionem fieri et ipsos ad compensacionem predictam admitti; qui quidem commissarius, inspectis et consideratis modo, forma et tempore petite compensacionis predicte, non debere admitti dictam compensacionem, per suam interlocutoriam, judicavit; a quo quidem judicato, tanquam iniquo, procurator dictorum Poncii et Ponceti appellavit; qui quidem commissarius, reputans dictam appellacionem frivolam, maxime cum ab interlocutoria tali ante diffinitivam non deberet appellari, dicte appellacioni non deferens, ad decisionem dicte cause processit, et, vocatis coram se partibus predictis, et auditis omnibus que ipse proponere voluerunt, inspectisque deposicionibus testium predictorum, et ex habundanti delato super hoc juramento dicto Guillelmo et ab

eodem prestito, dictum Poncium in quatuor millibus ducentis libris predictis, et in medietate dictarum mille trecentarum quatuor viginti sex decem librarum novem solidorum quatuor denariorum, dicto Guillelmo et predicto genitori nostro, per ipsum, sentencialiter condempnavit; insuper et in quingentis libris, racione expensarum in lite predicta factarum, dicto Guillelmo applicandis; a quo quidem judicato, tanquam iniquo, procurator dictorum Poncii et Ponceti ad parlamentum Parisiensem appellavit: Tandem, dictis partibus, in parlamento Parisiensi, auditis, in causa appellacionis predicte, inspectisque diligenter dictis processibus et meritis dicte cause appellacionis sufficienter examinatis, per judicium curie nostre, dictum fuit commissarium predictum, quantum ad summam medietatis dictarum mille trecentarum quatuor viginti sex decem librarum novem solidorum et quatuor denariorum, per dictos arbitros, antea dicto Guillelmo, sub forma predicta, adjudicatarum, male judicasse, et ipsum, quantum ad alia capitula seu summas in suo judicato predicto contentas, bene judicasse, ac procuratorem dictorum Poncii et Ponceti, quantum ad summam medietatis dictarum mille trecentarum quatuor viginti sex decem librarum novem solidorum et quatuor denariorum, bene, et quantum ad alia capitula seu summas, male appellasse, et quod dicte quatuor millia ducente libre, pro nobis et ad commodum nostrum, levabuntur; predictamque condempnacionem quingentarum librarum, pro expensis dicti Guillelmi, curia nostra moderavit ad trecentas libras Turonenses, et sic dicte condempnaciones, videlicet dictarum quatuor millia ducentarum librarum, pro nobis, et dictarum trecentarum librarum pro dicto Guillelmo, et ad suum commodum, cum ipse litem cause predicte, cum expensis suis, fuerit prosecutus contra dictum Poncium, et super bonis suis, execucioni mandabuntur.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo decimo quinto.

M. J. de Halis reportavit.

Louis X, 1315.

LXV. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Theobaldum Marcelli, prose et tutorio ac curatorio nomine fratrum suorum, et

Louis X, 1315.

Johannem Chenevacerii, racione Aveline, uxoris sue, sororisque dicti Theobaldi, filios et heredes defuncti Martini Marcelli, ex una parte, et Jacobum de Villa-Nova, ex altera, super eo quod dicti heredes proponebant quod dictus Martinus missus fuerat, per judicem competentem, in possessione duarum domorum quas dictus Jacobus habebat in vico de la Coconnerie, pro arreragiis non solutis duodecim librarum annui census, quas idem Martinus habebat super dictis domibus, ut ipsi dicebant; cumque idem Martinus possessionem dictarum domorum, ex causa predicta, aliquamdiu tenuisset, vicini qui juxta domos predictas habitabant, dictum Martinum fecerunt in judicio conveniri, asserentes, contra eum, dictas domos, quas ipse sic tenebat, esse ruinosas, et ex earum ruina vicinis domibus magnum periculum imminere, petentes dictum Martinum compelli dictas domos celeriter reparare, ut posset predicto imminenti periculo obviari tempore oportuno; ad quorum vicinorum instanciam, judex competens misit artifices juratos ad videndum statum dictarum domorum, qui jurati, earum statu diligenter inspecto, eidem judici retulerunt quod dicte domus erant ruinose et periculose, adeo quod nisi celeriter provideretur dictis domibus de remedio oportuno, magnum periculum ex eis vicinis habitatoribus immineret; quo cognito, idem judex dictum Martinum compulit domos predictas, propriis suis sumptibus, reparare; in quarum reparacione asserebant heredes predicti dictum Martinum quingentas libras monete tunc currentis impendisse; asserebant eciam heredes predicti dictum Jacobum in solucione dictarum duodecim librarum annui census, per quindecim annos, cessasse, quare petebant dictum Jacobum in quingentis libris predictis, pro reparacione predicta, et in centum quatuor viginti libris, pro arreragiis dicti census, per spacium dicti temporis non soluti, sibi, per dictum prepositum, condempnari et ad reddendum compelli; preterea proponebant, coram preposito memorato, heredes predicti contra dictum Jacobum, quod, cum ipsi heredes essent et eorum predecessores fuissent in saisina accipiendi et levandi duodecim libras annui census, et eciam gagiandi in dictis domibus, pro censu pre-

dicto, et dictus Jacobus, in solucione dicti census, pro duobus terminis temporis preteriti, defecisset, ac dicti heredes, propter hoc, in dictis domibus gagiassent, suam, ut dicebant, continuando saisinam, gagia que ipsi ceperant, ex causa predicta, eisdem rescussit idem Jacobus, turbando et impediendo eos in dicta saisina sua; quare petebant se, per dictum prepositum, gardiari et teneri in eadem saisina sua, et turbacionem et impedimentum, per dictum Jacobum, in predicta saisina sua, appositum amoveri, et dicta gagia sibi reddi; dicto Jacobo e contrario proponente quod idem Martinus dictas domos, valentes, annis singulis, de locagio, quadraginta duas libras, per quindecim annos continuos tenuerat, et earum locagia receperat et perceperat per totum tempus predictum, seu per eum steterat quominus dicta locagia percepisset, et quod, ultra decem et novem libras annui census, in quibus dicte domus, ut idem Jacobus asserebat, erant tantummodo onerate, restabat quod heredes predicti remanebant dicto Jacobo obligati, pro singulis annis predictorum quindecim annorum, in viginti tribus libris, quas, pro locagiis dictarum domorum, idem Martinus percepit seu percipere potuit, quarum summa usque ad trecentas quadraginta quinque libras ascendit, quare petebat idem Jacobus se a predicta peticione dictorum heredum absolvi, et deductis de dicta summa trecentarum et quadraginta quinque [librarum] impensis necessariis in reparacione dictarum domorum per eundem Martinum factis, dictos heredes sibi in residuo comdempnari, et ad solvendum compelli; dicta vero causa sic pendente, et dicto Jacobo rebus humanis exempto, ejus heredes resumpserunt arramenta cause predicte; tandem assignata, coram dicto preposito, certa die ad jus audiendum, in causa predicta, et dictis partibus ad eam comparentibus, predictus prepositus, auditis, super hiis, racionibus parcium predictarum, visisque deposicionibus testium super hoc productorum hinc inde, et instrumentis quibusdam in modum probacionis super hoc productis, predictos heredes dicti Jacobi in septem viginti undecim libris, per suum judicium, comdempnavit dictis heredibus Martini predicti, et dictas domos, pro gagio predicte summe, quousque

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

soluta fuerit, tenendas dictis heredibus ipsius Martini, adjudicavit. Item pronunciavit idem prepositus quod turbacio et impedimentum, per dictum Jacobum, appositum in saisina capiendi et recipiendi, per dictos heredes dicti Martini, super dictis domibus, dictum censum, amovebitur, et restituentur dictis heredibus gagia que ipsi ceperant, pro censu predicto, sibi per dictum Jacobum, ut premissum est, rescussa; et ulterius comdempnavit dictus prepositus heredes dicti Jacobi predictis heredibus dicti Martini ad cessandum ex nunc in antea a turbacione et impedimento predictis; a quibus judicatis, tanquam falsis et pravis, ad nos predicti Jacobi heredes appellaverunt : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et diligenter examinatis dictis processibus, per quos, inter cetera, constitit evidenter dictos heredes predicti Jacobi, post ejus obitum, arramenta dicte cause suscepisse, ante judicatum prepositi predicti, et quod eciam dicte partes, in curia nostra, hoc confesse fuerunt, quia insuper, per dictos processus, predictis omnibus hinc et inde computatis et deductis, curie nostre constitit evidenter predictos heredes dicti Jacobi in quadraginta duobus libris tantummodo teneri heredibus dicti Martini, ultra censum annuum dictarum domorum, per curie nostre judicium, fuit dictum predictos heredes dicti Jacobi solvere debere tantummodo dictas quadraginta duas libras, ultra censum predictum, heredibus dicti Martini de predicta summa septem viginti et undecim libris in quibus dictus prepositus ipsos heredes dicti Jacobi, ut premissum est, condempnavit, et, quantum ad dicte summe residuum, dictum prepositum male judicasse, et dictos heredes dicti Jacobi bene appellasse; et quantum ad cetera capitula, in dicti prepositi judicato predicto contenta, bene fuisse per dictum prepositum judicatum, et ex parte dictorum heredum predicti Jacobi male appellatum.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo decimo quinto.

Uscum reportavit.

LXVI. Discordia mota, in curia nostra, inter Guillelmum de Dy-

ciaco, ex una parte, et Johannem Haudri, tutorem et tutorio nomine nepotum suorum, liberorum Egidii Haudri et Beatricis, quondam ejus uxoris, nunc defunctorum, ex alia, super eo quod dictus tutor dicebat ad dictos liberos solum et insolidum pertinere omnia bona mobilia que fuerunt ipsorum Egidii et Beatricis, parentum liberorum predictorum, quare petebat dicta bona, racione predicta, sibi deliberari; dicto Guillelmo e contrario proponente dicta bona mobilia, que fuerant dicte Beatricis, ad ipsum solum et insolidum pertinere, et ea sibi deliberari debere, pro eo quod, cum ipse, post obitum dicti Egidii, cum Beatrice predicta matrimonium contraxisset, constante matrimonio inter eos, ipsi Guillelmus et Beatrix, mutuo et hinc inde donacionem equalem inter vivos sibi fecerunt invicem de omnibus bonis mobilibus communibus inter ipsos, videlicet quod ille ex ipsis duobus qui superviveret haberet et lucraretur in perpetuum omnia bona mobilia supradicta; de qua donacione, sic mutua et equali, facte fuerunt littere, sigillo prepositure Ville-Nove-Regis sigillate, sub cujus districtu dicti Guillelmus et Beatrix, conjuges, ante donacionem predictam et diu post, continue suam fecerunt mansionem et in qua Villa-Nova-Regis contractus et convenciones donacionis predicte facti fuerunt et initi, et in qua castellania decessit dicta Beatrix, uxor sua predicta, quodque, de consuetudine dicte prepositure et castellanie Senonensis et Ville-Nove-Regis predicte, talis donacio valida est et habere debet perpetui roboris firmitatem, dicto Johanne, tutorio nomine liberorum predictorum, in contrarium plures raciones proponente et dicente quod, per usum et consuetudinem locorum predictorum, dicta donacio non valebat, quare dicebat dictus tutor quod quarta pars omnium bonorum mobilium que fuerunt dictorum Guillelmi et Beatricis, tempore quo Beatrix predicta decessit, pertinebat et pertinere debebat ad suos nepotes predictos, racione successionis matris eorum predicte, super quo debato dicte partes, in curia parlamenti Parisiensis, inter cetera concordaverunt quod, per personas ydoneas, inquireretur veritas de consuetudinibus predictis propositis hinc et inde, et quod, inquisita super dictis consuetudinibus veri-

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

tate, et inquesta super hoc ad dictam curiam reportata, ipsa curia videret et decerneret an consuetudines predicte deberent extendi ad bona mobilia Parisius existencia, prout in dicto acordo, sigillo carissimi genitoris nostri sigillato, potest plenius apparere; super quibus consuetudinibus, per personas ydoneas, dictus genitor noster mandavit inquiri, cum diligencia, veritatem : Tandem visa, per curiam nostram, inquesta super predictis facta, auditisque racionibus ex utraque parte propositis ac viso acordo predicto, per judicium curie nostre, dictum fuit predictum Guillelmum melius quam dictum Johannem, suam intencionem, super hoc, probavisse, quodque consuetudo predicta, per eum allegata et probata, se extendit ad bona mobilia dicte Beatricis quondam Parisius consistencia, et quod dicta bona mobilia eidem Guillelmo, racione donacionis predicte, deliberabuntur.

Veneris post Quasimodo, anno trecentesimo quindecimo.

M. J. de Halis reportavit.

LXVII. Cum Constancia de Coetmen, suo et Amete, filie sue, nomine, in curia parlamenti, Parisius, contra Herveum, dominum de Pencoet, militem, et Guillelmum, ejus filium, olim proposuisset quod dicti miles et filius predictam Ametam, vi armorum et potencia, rapuerant, et, cum ea sic rapta, que adhuc septennium non attigerat, dictus Guillelmus matrimonium contraxerat violenter, predictis milite et Guillelmo predicta negantibus, et, ad sui defencionem, proponentibus ex adverso predictam Ametam in sufficienti etate, ad contrahendum matrimonium, per episcopum loci et ejus commissarios repertam, de consensu sui avi paterni et aliorum amicorum paternorum ejusdem, absque vi et armorum potencia, ac sine quacumque violencia, fuisse spontaneam, non coactam dicto Guillelmo matrimonialiter copulatam, et in facie ecclesie, adhibitis sollennitatibus debitis, legittime desponsatam, dicto matrimonio inter eos postmodum concorditer consummato, petentes se a predictis contra eos propositis absolvi, predictamque Ametam, que a consorcio dicti Guillelmi amota,

et ad manum regiam, propter debatum hujusmodi, posita et detenta fuerat, et quam idem Guillelmus, post dictum matrimonium, tenuerat diucius tanquam suam uxorem legittime desponsatam, una cum bonis suis dicto Guillelmo deliberari et reddi, et impedimentum sibi, per dictam manum regiam, in hujusmodi appositum amoveri, diverseque inqueste, super premissis hinc et inde propositis, auctoritate regia, facte fuissent, quarum una, pro dictis milite et Guillelmo facta, per arrestum dicte curie, pronunciata fuit valida, duabus aliis, pro dicta Constancia, sub diversis dilacionibus et successive factis, per arresta dicte curie, totaliter anullatis, concessa nichilominus, ex habundanti eidem Constancie certa dilacione, ad perficiendum inquestam suam priorem, infra parlamentum novissime preteritum, super propositis ab eadem; tandem curia ipsa, ad supplicacionem dicte Constancie exponentis, graviter conquerendo, dictos militem et Guillelmum, minis, promissionibus et terroribus, induxisse predictam Ametam, tunc in manu regia existentem, ad consenciendum de novo predicto matrimonio, et ad renunciandum reclamacioni quam contra ipsum matrimonium fecerat, predicto debato pendente, mandavit, super hoc, per ballivum Turonensem veritatem inquiri et inquestam, super hoc, factam ad parlamentum ultimo preteritum reportari; postmodum vero, dictis partibus, in dicto parlamento auditis, per arrestum dicte curie, dictum fuit, super premissis, debere plenius veritatem inquiri, magistro Radulpho de Joiaco, clerico nostro, et dicto ballivo Turonensi, ad inquirendum, super hoc, plenius veritatem, sub certa forma, auctoritate regia, ex tunc commissariis deputatis; cum autem procurator dictarum Constancie et Amete, in presenti parlamento nostro, peteret commissionem dictis magistro Radulpho et ballivo, alias super hoc factam, renovari, ipsique miles et Guillelmus peterent ex adverso inquestas, super premissis, jam factas videri et judicari ad plenum, proponentes ipsas Constanciam et Ametam nullum adjornamentum, virtute dicte commissionis, ab ipsis commissariis impetrasse, immo fuisse et esse adeo negligentes quod de cetero non debebant, super hoc, audiri, predictis procuratore, milite et Guillelmo,

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

ac ipsis commissariis, super hoc, in curia nostra, ad plenum auditis, per arrestum ipsius curie, dictum fuit predictam commissionem non debere renovari, nec ipsas Constanciam et Ametam de cetero super hoc, audiri, immo predictas inquestas jam factas, per eandem curiam deberi videri et judicari, ad finem ad quem tendebant: Visis igitur dictis inquestis et attentis deposicionibus testium ac tenoribus litterarum, ex parte dictorum militis et Guillelmi productorum, ex quibus curie nostre constitit predictam Ametam spontaneam, non coactam et in etate sufficienti tunc repertam, de consensu sui avi paterni, cui ipsa debet succedere, et aliorum amicorum paternorum ejusdem, absque raptu, vi armorum aut violencia, fuisse dicto Guillelmo traditam et matrimonialiter copulatam, et in facie ecclesie sollenniter desponsatam et ab eo traductam, per judicium curie nostre, dictum fuit quod dicti miles et Guillelmus sufficienter probaverant, super hiis, suam intencionem, quodque pars altera nichil sufficiens probaverat de sua intencione predicta, propter quod ipsa curia nostra predictos militem et Guillelmum a dictis raptu, vi armorum et violencia ac ceteris, tam super principali quam super dicto attemptato, contra eos propositis, sentencialiter absolvit, per judicium predictum, et manum regiam ac impedimentum, de mandato regio, in persona et bonis dicte Amete, racione dicti debati, olim appositas, totaliter amovit, dictam Ametam in statu bonorum suorum in quo ipsa erat, ante tempus dicte manus apposicionis et dicti impedimenti appositi, integre reponendo, non obstantibus propositis ex adverso.

Veneris post quindenam Pasche, anno trecentesimo quindecimo.

M. J. de Templo habet inquestam, nec ipsam recuperavi.

LXVIII. Mota lite, in curia nostra, inter dilectum et fidelem Ludovicum, comitem Ebroicensem, patruum nostrum, ex una parte, et procuratorem nostrum, necnon abbatem et conventum de Jumetis ac eorum priorem de Joiaco, ex altera, super eo quod dictus comes asserebat ballivum nostrum Gisorcii impedimentum sibi po-

suisse in dicto prioratu et pertinenciis dicti prioratus ne idem comes saisina justicie et garde uteretur in eisdem, turbando dictum comitem in saisina predicta justicie et garde dicti prioratus et pertinenciarum ejusdem de quibus dicebat dictus comes se a tempore donacionis et assisie sibi facte de dicto comitatu, per karissimum genitorem nostrum, esse et hactenus fuisse in bona saisina, racione donacionis et assisie predictarum, quare petebat dictum impedimentum amoveri, et illud quod ad manum nostram, tanquam superioris, positum fucrat, racione dicti debati, ad suam manum reponi, parte adversa, pluribus racionibus, ex adverso dicente, nos esse in saisina resorti et garde dicti prioratus et ejus pertinenciarum, sine medio, dictumque priorem, pro se et dicto prioratu, cum ejus pertinenciis, esse in saisina resortizandi ad nos, et essendi in nostra gardia speciali, quare petebat se in dicta saisina garde et resorti defendi, et dictum comitem compelli cessare ab impedimento et opposicione predictis : Facta igitur inquesta super predictis, et curie nostre, ad judicandum, reportata, visa et diligenter examinata, auditisque, super hoc, dictis partibus, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit dictum comitem melius quam partem adversam intencionem suam probavisse, super saisina justicie et garde dicti prioratus et pertinenciarum ejusdem, et quod amovebitur impedimentum predictum, per dictum ballivum, appositum in predictis, salva, super hoc, tam nobis quam dicto priori, questione proprietatis, nec est nostre seu curie nostre intencionis, de jurisdicione quam dicitur habere dictus prior in suos subditos, aliquid deffinire.

Louis X. 1315.

Veneris post quindenam Pasche, anno trecentesimo quindecimo.

Mangon reportavit.

LXIX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Burs, in Hyspania, ex una parte, et Hermanum le Chanevacier, ex altera, super eo quod, cum dictus Johannes, coram dicto preposito, contra dictum Hermanum, diceret et proponeret quod Clemens de

Louis X, 1315.

Nuilly, Bertrandus de Mota et Vilem-Aquam de Monte-Argisio, courretarii, eidem Johanni asseruerant quod magister Stephanus de Monte-Argisio erat dives homo et potens, et quod ipse habebat in redditibus sexentas libras annui redditus et amplius, cum scirent dictum magistrum Stephanum esse non solvendo, et dictus Johannes hoc ignoraret, per que verba et alia fraudulenter et dolose dicto Hermano dictam fraudem participante, ipsi induxerunt dictum Johannem ad vendendum dicto magistro duos equos dextrarios quos habebat dictus Johannes apud Lendit, pro precio quadringentarum librarum Turonensium, de quibus centum et quinquaginta libras solummodo receperat, alias non contracturus cum dicto magistro, si ipsum scivisset esse non solvendo; unde, cum dictus Hermanus dictos equos, ut ipse dicebat, teneret, tempore litis mote, super hoc, inter ipsos, dolusque causam dederit hujusmodi contractui, ut ipse dicebat, quare petebat dictus Johannes, per judicium dicti prepositi, pronunciari dictum contractum non tenuisse nec tenere et quod dictus Johannes suos equos rehaberet, vel saltim quod predictus Hermanus solveret dicto Johanni residuum precii supradicti; cumque, ex parte dicti Hermani, pluribus racionibus propositis, quibus renunciavit postmodum et expresse consensit quod dictus prepositus, secundum processum et proposita, ex parte adversa, in causa hujusmodi judicaret, dictus prepositus, die certa, ad audiendum jus super hoc, dictis partibus assignata, dictum Hermanum, per suum judicium, ab impeticione predicta dicti Johannis absolvit; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dictus Johannes ad nostram curiam appellavit, cumque, in causa appellacionis predicte, dictus Johannes nostre curie intimasset quod, coram dicto preposito, ex contracto predicto, contra Clementem de Nuilly quendam alium processum fecerat, et quod dicti processus sibi invicem erant connexi, et, propter hoc, precepisset curia nostra quod ambo dicti processus viderentur, ad illum finem ut sciretur an unus ex alio dependeret, et, super hoc, jus fieret inter partes: Tandem, visis processibus predictis, et invento quod ipsi non erant connexi, per nostre curie judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et

dictum Johannem male appellasse, et emenda dicte appellacionis sibi remissa fuit, quia pauper. Louis X, 1315.

Veneris predicta.

Goy reportavit.

Remissus fuit dictus processus ad prepositum Parisiensem.

LXX. Conquerente, ad finem civilem, coram karissimo genitore nostro, procuratore abbatis et conventus beati Vincencii Laudunensis quod quamplures malefactores, prope quandam eorumdem religiosorum domum que Luilli vocatur, in eorum proprio domanio existentem, venientes de nocte, plus quam trecentas salices ipsorum religiosorum violenter absciderant, et usque ad duodecim bodullas sive metas, in terra et justicia ipsorum religiosorum situatas, evulserant, ac quendam pontem per quem de predicta domo ad quendam fontem ibant in eadem domo manentes, diruerant, ulmumque quandam super dictum fontem existentem absciderant, excessusque quamplurimos alios commiserant ibidem, dictus genitor noster ballivo Viromandensi, suum officium excitando, mandavit ut, super premissis et ea tangentibus, vocatis evocandis, ad finem civilem, inquireret veritatem, et quos super hoc culpabiles inveniret, puniret civiliter et taliter quod transiret ceteris in exemplum, prout hec et alia, in litteris dicti genitoris nostri plenius continentur, dictus vero ballivus, certis commissariis commisit mandatum hujusmodi exequendum; qui quidem commissarii quandam informacionem primo et demum quandam inquestam et processus aliquos fecerunt: Quibus informacione, inquestis et processibus demum ad nostram curiam reportatis, auditisque partibus, super ipsis, ac eisdem, per curiam nostram, diligenter inspectis, quia, propter defectus in ipsis repertos, non potuit negocio hujusmodi finis imponi, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod hujusmodi informacio, inquesta et processus certis commissariis, per nostram curiam deputandis, tradentur, qui ad partes illas se transferrent, et inquirent, vocatis partibus, super hiis plenius veritatem, et inquestam,

Louis X, 1315.

quam inde fecerint, cum processibus antedictis ad partem positis, sub sigillis suis interclusam, nostre curie referent vel remittent, ad finem civilem judicandam, ad diem ballivie Viromandensis futuri proximo parlamenti.

Dominica post Sanctum-Georgium, anno quindecimo.

M. Raymbaudus reportavit.

LXXI. Cum cives Aniciences olim, per judicium curie parlamenti Parisiensis, ex certis causis et exigentibus demeritis suis, universitatem seu communitatem perdiderint, jureque habendi eandem, seu aliquo ad ea pertinente, scilicet archa communi, clavibus ville et custodia clavium ac eciam portalium et muris et fossatis et omnibus aliis fortaliciis civitatis predicte, armaturis communibus et cathenis, sindicatu et consulatu et confratriis et assembleya, congregacione seu convocacione, buccinis et omni statu et generaliter omnibus juribus, ad universitatem seu communitatem, quoquo jure seu causa, privilegio vel consuetudine, seu alia quacumque causa ad eos spectantibus privati fuerint, et ad aures karissimi genitoris nostri pervenisset quod predicti cives, in prejudicium et contemptum regie majestatis, post et contra dictam sentenciam temere veniendo, congregacionem seu assembleiam, tanquam universitatem seu communitatem facientes, in domo Fratrum Predicatorum Aniciencium, fecerant sindicos, actores seu procuratores, de novo eos creando seu constituendo, dictis civibus, ad suam excusacionem et innocenciam proponentibus, dictam assembleiam seu congregacionem se fecisse, de licencia et consensu senescalli Belli-Cadri et in presencia bajuli et judicis Aniciencium, quibus erat hoc commissum per dictum senescallum, virtute cujusdam littere regie sibi directe, in qua continebatur, inter cetera, quod ipse daret eis licenciam constituendi sindicos, actores seu procuratores, ad prosequenda certa gravamina, coram nobis seu coram quibuscumque aliis judicibus, sibi illata, ut dicebant, per judicem et bajulum curie communis Aniciensis, qui cives, ut ipsi dicebant, tanquam singulares et non ut universitatem facientes, ibi-

dem creaverunt sindicos seu procuratores ad dicta gravamina duntaxat prosequenda; tandem dictus karissimus genitor noster mandavit et commisit bajulo et judici Aniciensibus ut ipsi, de premissis, inquirerent veritatem, et, si invenirent ita esse, in irritum revocarent quod per dictos cives, super hoc, erat factum, non obstantibus predictis litteris tacito de prima comdempnacione per eos impetratis, demum dicti bajulus et judex, vocatis partibus, ad plenum cognito de dicta causa, et visa inquesta per eos facta super hoc, juxta formam predicte commissionis sibi facte, per sentenciam suam, predictos sindicos, actores seu procuratores, per dictos cives quoquo modo factos seu creatos, revocaverunt; a qua sentencia dicti cives ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis, per curiam nostram, dictis processibus et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos bajulum et judicem bene judicasse et dictos cives male appellasse.

Louis X, 1315.

Dominica post Sanctum-Georgium, anno trecentesimo quindecimo.

M. Nicolaus de Brie reportavit.

LXXII. Discordia mota, in curia nostra, inter populares Macloviensis dyocesis, ex una parte, et rectores parrochialium ecclesiarum dicte dyocesis, ex alia, super eo quod dicebant populares predicti quod, cum ipsi essent libere persone et in quasi possessione libertatis, nichilominus rectores predicti nonagium, seu nonam partem bonorum mobilium cujuslibet decedentis nitebantur ab eis exigere et habere indebite et de novo, quare petebant novitatem hujusmodi, tanquam indebitam, per nostram curiam amoveri, et appellacionem quam ipsi ad nostram curiam, super hoc, interposuerant, admitti et in ea procedi, procuratoribus dictorum rectorum, ad finem declinandi, super hoc, curiam nostram et quod impedimentum, super hoc, eisdem rectoribus, ad instanciam dictorum popularium, per gentes nostras appositum, amoveretur, proponentibus, ex adverso, dictos rectores fuisse notorie, a tempore cujus memoria hominum in contrarium non existit, in quasi possessione percipiendi et habendi ter-

Louis X, 1315.

ciagium de bonis mobilibus cujuslibet decedentis, quod terciagium loco decimarum dicebant succedere et persolvi et se consuevisse, jure legitimo, a tempore predicto, dictum terciagium notorie percipere et habere, ac deinde, in curia Romana, lite mota, super hoc, inter partes predictas, per summum pontificem ordinatum fuisse, de consensu tunc ducis Britannie, militum et baronum ac procuratorum parcium predictarum quod dicti rectores nonagio seu nona parte dictorum bonorum mobilium, racione predicta, de cetero sint contenti, et quod, pro jure quod ipsi se habere dicebant in dicto terciagio, haberent et perciperent nonam partem dictorum bonorum mobilium, sub certis formis et modis, in dicta ordinacione contentis et expressis; asserebant insuper rectores predicti causam hujusmodi esse spiritualem seu ecclesiasticam, et ejus cognicionem ad ecclesiam pertinere, ac prelatos et ordinarios suos alios ecclesiasticos esse et fuisse, a tempore predicto, in quasi possessione de causis hujusmodi cognoscendi et judicandi, et consuevisse, a tempore predicto, notorie compellere dictos homines solvere dictis rectoribus dictum terciagium quod loco decimarum succedere dicebant, propter quod rectores predicti dicebant se non teneri, in curia nostra, super premissis, subire judicium, nec in dicta curia causam hujusmodi agitari debere, dictosque conquerentes non debere, super hoc, in curia nostra recipi, per viam novitatis, et impedimentum, super hoc, eis, per gentes nostras, appositum, debere amoveri, parte adversa plures raciones e contrario proponente; tandem, auditis hinc inde propositis, curia nostra, equitate pensata, quantum ad eam pertinebat, racione impedimenti predicti, certos commissarios ordinavit qui, coram se vocatis dictis partibus, summarie et de plano inquirerent de dicto impedimento ac si qualiter, qua racione et a quo tempore citra dicti rectores fuerunt in saisina percipiendi, tam dictum terciagium, seu aliam porcionem, quam predictum nonagium de bonis mobilibus decedencium in parrochiis eorumdem; qui quidem commissarii inquisiverunt de predictis, vocatis dictis partibus, cum diligencia veritatem, et inquestam per ipsos factam, nostre curie, sub suis clausam sigillis, miserunt

judicandam : Tandem, auditis dictis partibus in curia nostra et visa diligenter dicta inquesta, quia inventum est, per dictam inquestam, probatum esse sufficienter quod predicti rectores non de novo, sed quod ipsi et eorum predecessores a temporibus quorum in contrarium memoria non existit, consueverunt, super mortuagiis hujusmodi ordinarios suos judices ecclesiasticos, pro illis petendis, adire, et ipsi ordinarii de hiis cognicionem et compulsionem habere, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicti rectores, per gentes nostras, super hiis, non impedientur, et impedimentum per nostras gentes, appositum in predictis, ipsa curia nostra amovit, non obstante appellacione predicta.

Louis X, 1315.

Dominica post Sanctum-Georgium, anno trecentesimo quindecimo.

M. J. de Halis reportavit.

LXXIII. Discordia mota, in curia nostra, inter populares Dolensis dyocesis, ex una parte, et rectores parrochialium ecclesiarum dicte dyocesis, ex alia, super eo quod dicebant populares predicti quod, cum ipsi essent libere persone et in quasi possessione libertatis, nichilominus rectores predicti nonagium seu nonam partem bonorum mobilium cujuslibet decedentis nitebantur ab eis exigere et habere indebite et de novo, quare petebant novitatem hujusmodi, tanquam indebitam, per nostram curiam amoveri, et requestam quam ipsi curie nostre super hoc faciebant debere admitti, procuratoribus dictorum rectorum, et cetera ut supra. Tamen in fine non ponuntur ista verba *non obstante appellacione predicta.*

Dominica predicta.

LXXIV. Cum, ad audienciam senescalli Ruthenensis, pervenisset quod homines burgi Ruthenensis et ville de Monasterio, cum quibusdam curialibus comitisse Ruthenensis, clausuram muri lapidei cujusdam vinee capituli Ruthenensis, site sub jurisdicione episcopi Ruthenensis, pro parte destruxisse, de nocte, ex proposito et cum armis, et postmodum, alia certa die, circa meridiem, superbajulum

Louis X, 1315.

dicte comitisse, sub certa pena, fecisse preconizari, per dictum burgum, quod omnes de dicto burgo ipsum superbajulum sequerentur armati et, ad dicti superbajuli preceptum et preconizacionem, multos de dicto burgo, cum dicto superbajulo, cum armis ad dictam clausuram venientes, nisos seu conatos fuisse destruere eandem, quousque Bido, serviens noster, eisdem hoc inhibuit, ad manum nostram locum ponens, ac ipsius servientis inhibicione non obstante, ipsos iterum quandam partem dicte clausure destruxisse, dictus senescallus, vocatis partibus, fecit inquestam fieri de predictis; qua facta et eidem reportata, dictus senescallus, pro dictis excessibus, de nocte commissis, et armorum portacione, Petrum Troca, Guillelmum Corbesii et Gerardum Dartiz, servientes dicte comitisse, et quemlibet ipsorum, in quindecim libris Turonensibus et alios viginti homines certos et nominatos in ipsius senescalli judicato, et ipsorum quemlibet in sexaginta solidis Turonensibus. Item, pro dicto excessu de die commisso et portacione armorum, dictum superbajulum in centum sexaginta libris, et alios sexaginta duos homines certos et nominatos in dicto judicato, quemlibet eorum, in sexaginta solidis, nobis solvendis pro emenda. Item predictorum procuratores, nomine procuratorio in quinquaginta libris Turonensibus, tam pro expensis factis per partem promoventem, quam pro salariis commissariorum et labore servientum, per suam sentenciam, comdempnavit, a quibus sentencia et comdempnacione, judex et senescallus dicte comitisse, in quantum eandem tangere poterat, et dicti procuratores, nomine procuratorio dictorum hominum et superbajuli, protestantes de nullitate dicte sentencie, ad nostram curiam appellaverunt, ac procurator noster, procuratorque dicti episcopi, dictam sentenciam, in quantum, pro parte sua, facit, acceptantes, et in quantum contra se, ab eadem sentencia, ad dictam nostram curiam appellaverunt: Auditis igitur, in nostra curia, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visaque dicta inquesta, quia, per dictam inquestam, repertum est dictos homines, in destruccione partis dicte clausure, de nocte, ad mandatum dictorum servientum dictis hominibus factum, sub omni

eo quod possent forefacere dicte comitisse, affuisse et juvasse, ac de die, ad preceptum dicti superbajuli, cum dicto superbajulo ivisse, cum armis, quendamque hominem predictorum, contra et post inhibicionem dicti servientis, tres lapides de dicta clausura amovisse, licet dictus superbajulus inhibuisset dictis hominibus ne ultra irent, aut delinquerent quoquo modo, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit dictum senescallum, in quantum dictos homines, propter hoc, comdempnavit, male judicasse et eorum procuratores bene appellasse, in quantum vero dictos servientes comdempnavit, et in quantum eciam dictum superbajulum, in sexaginta libris Turonensibus, ad hanc summam comdempnacione dicti senescalli, per dictam curiam nostram, moderata et reducta, comdempnavit, bene judicasse, et dictos servientes et superbajulum, quantum ad hoc male appellasse; fuit eciam dictum, per idem judicium, quod predicta comdempnacio quinquaginta librarum Turonensium, pro expensis partis promoventis et salario commissariorum et labore servientum facta, contra dictos servientes et superbajulum tenebit, et execucioni mandabitur contra ipsos, solummodo pro rata ipsos contingente.

Dominica predicta.

Mangon reportavit.

LXXV. Cum Bernardus de Blancaforti, dominus de Audengia, domicellus, diceret et proponeret, in curia nostra, quod ipse conquestus fuerat Amaneuo de Fossato, militi, locum tenenti senescalli Vasconie, pro duce Acquittanie, de pluribus molestacionibus, impedimentis et indebitis novitatibus eidem Bernardo factis per officiarios dicti ducis, super justicia alta et bassa et omnimoda jurisdicione dicti loci de Audengia et ejus pertinenciarum, de quibus ipse erat et diu fuerat in bona saisina exercendi easdem et habendi et percipiendi civadagium ab hominibus existentibus in honore et districtu de Blancaforti, super quibus dictus Bernardus pluries requisiverat senescallum Vasconie seu ejus locum tenentem, ut de predictis eidem Bernardo facerent justicie complementum; qui senescallus, post multas dilaciones,

Louis X, 1315.

commiserat, certis commissariis, ut de predictis inquirerent, cum diligencia, veritatem, et inquestas super hoc completas sibi reportarent, per dictum senescallum seu ejus curiam, judicandas; qui siquidem commissarii, juxta commissionem sibi factam, super hoc, dictas inquestas predicto senescallo seu ejus curie remiserant; quibus sic pendentibus, gentes seu officiales dicti ducis Acquittanie indebite saisiverant et ceperant quandam navem, cum multis rebus in dicta nave existentibus, et ab inde dictas res amoverant absque alicujus cause cognicione, quam navem habebat et possidebat dictus Bernardus seu ejus gentes, in quodam loco, juxta magnum mare, ubi habet et exercet idem Bernardus omnimodam juridicionem, et est in possessione et saisina seu quasi exercendi eandem in loco predicto, et insuper quendam hominem, per dictum Bernardum, seu ejus gentes, justiciando captum, pro ejus demeritis debite puniendum, in carcere suo de Audengia positum, quidam serviens Vasconie de mandato locum tenentis senescalli Vasconie, ut ipse dicebat, sine cause cognicione, abstraxerat de carcere dicti Bernardi, eo invito, et adduxerat eundem apud Burdegalam, dictusque Bernardus seu ejus procurator predictum locum tenentem, cum instancia, requisiverat ut dictam navem et dictum hominem eidem restitueret, de quibus fuerat indebite spoliatus, et quod dictas inquestas completas et sibi remissas, per dictos commissarios publicaret, et jus et justiciam eidem Bernardo faceret de predictis, sentenciam ferendo super istis, juxta proposita in dictis inquestis et probata, peteretque dictus Bernardus pronunciari, per curiam nostram, ipsum Bernardum bene et legittime ad curiam nostram appellasse, a defectu et denegacione juris ab audiencia dicti Amaneui de Fossato, militis, locum tenentis senescalli Vasconie, pro dicto duce Acquittanensi, et dictum locum tenentem eidem Bernardo, in jure faciendo, defecisse, et sibi jus facere denegasse, qui locum tenens, super hiis, facere sibi justiciam denegaverat, et ipsum postea gravaverat in multis, pro quibus ad nostram curiam idem Bernardus appellaverat a defectu et denegacione juris, procuratore dicti ducis contrarium proponente, et petente pronunciari, per

curiam nostram, et sentencialiter declarari dictum Bernardum male appellasse, predictumque locum tenentem, in jure reddendo eidem Bernardo, non defecisse, nec sibi jus reddere denegasse, immo, quoad hoc, debitum suum fecisse, et decerni ipsum Bernardum in penam temere a juris denegacione appellancium incidisse, et, de consensu procuratoris parcium predictarum, certis auditoribus, et sub certa forma deputatis, carissimus genitor noster mandasset inquiri, super hoc, cum diligencia, veritatem, secundum articulos dictarum parcium curie parlamenti Parisiensis traditos, et sub contrasigillo dicti genitoris nostri predictis commissariis missos, et quod ipsi inquestam super hoc factam, sub eorum sigillis inclusam, ad parlamentum Parisiensem mitterent judicandam; inquesta igitur facta super hoc et ad curiam parlamenti, Parisius, asportata per magistrum Yvonem de Laudunaco, dictis partibus presentibus, idem Bernardus peciit eam per nostram curiam judicari, procuratore dicti ducis, pluribus racionibus, contrarium requirente, et licet dictus magister Yvo retulisset inquestam predictam esse completam, ordinavit tamen, auditis partibus, dicta curia parlamenti, quod raciones utriusque partis, in dicto processu contente, viderentur et tunc ordinaret ipsa curia quod de dicta inquesta foret racionabiliter faciendum; visis igitur et diligenter examinatis racionibus antedictis, precepit dicta curia predictam inquestam judicari: Dicta igitur inquesta per curiam nostram visa, et diligenter examinata, attentisque ac diligenter examinatis, propositis et confessatis per procuratorem dicti ducis, per curie nostre judicium, dictum fuit probatum esse sufficienter predictum locum tenentem eidem Bernardo, super predictis, in jure faciendo, defecisse, et dictum Bernardum a predicto defectu juris bene et legittime appellasse, et quod super predictis et aliis requestis, quas faciebat dictus Bernardus, in inquesta predicta contentis, curia nostra, in defectu curie dicti ducis, faciet justicie complementum, et insuper curia nostra, ex officio suo, fecit retencionem pro nobis, de jure exempcionis dicti Bernardi quod, secundum curie nostre consuetudinem, nobis competit, racione judicati predicti (27).

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

Dominica ante Ascensionem, anno decimo quinto.

M. P. de Salmuro reportavit.

LXXVI. Cum inquesta quedam facta fuisset super eo quod gentes abbatis Athanatensis, et ipsius homines de Orlinacio ac Lambertus Parentis de Espeyssa, domicellus, cum quibusdam aliis valitoribus suis, per armorum potenciam, et contra defensam gencium nostrarum, plures violencias, dampna et homicidia intulisse, dicebantur priori de Taluers et ejus hominibus ville de Taluers et sibi adherentibus, et senescallus Lugdunensis vellet procedere ad judicandum inquestam predictam, dictus abbas dicens se, cum dicto priore et hominibus et sibi adherentibus, super predictis, composuisse et finasse, pro se et predictis hominibus et valitoribus suis, obtulit dicto senescallo, super hiis, in quantum nos tangunt financiam de mille libris Vienensibus, solvendis ad quinque terminos, videlicet in instanti festo Nativitatis Domini, ducentis libris, et in sequenti festo Nativitatis Domini, anni circulo revoluto, aliis ducentis libris, et sic quolibet anno in dicto festo, quousque de dictis mille libris fuerit nobis integre satisfactum; quam financiam dictus senescallus acceptavit, retenta tamen nostra super hoc voluntate, prout idem senescallus predicte nostre curie significavit, et eidem curie misit inquestam predictam, cum procuratore abbatis predicti, ut curia nostra quod videret faciendum super hoc ordinaret: Visis igitur, per curiam nostram, tam financia quam inquesta predictis, ipsa curia nostra, pro nobis, dictam financiam acceptavit; nos vero ratum habemus et gratum illud quod per dictum senescallum ac per dictam curiam nostram, super hoc, fuit factum.

Veneris post quindenam Pasche.

M. Nicolaus de Brie reportavit.

LXXVII. Cum, in causa, coram preposito Parisiensi, pendente super certis peccunie summis, inter magistrum Guillelmum de Remis, tutorio seu curatorio nomine Marote, filie defuncti Guillelmi Evrot, ex una parte, et Jacobum dictum Luilier, ex altera, cognito de dicta

causa, et concluso in ea, dictus prepositus, sub certa forma, judicatum suum tulisset, pro dicto magistro Guillelmo, nomine predicto, contra Jacobum antedictum, idem Jacobus a dicto judicato, tanquam falso et pravo, ad nostram curiam appellavit; quam appellacionis causam, curia nostra in parlamento presenti, licet eo durante, appellatum fuisset, ex causa voluit audiri et expediri: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu dicte cause principalis, et judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Jacobum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. Louis X 1315.

Dominica post Sanctum-Georgium, anno trecentesimo decimo quinto.

LXXVIII. Cum, coram preposito episcopi Parisiensis, Thomas Bardin et Guillelmus de Hyspania, contra Gaufridum dictum Rame et ejus uxorem, proponerent plura facta et raciones ad finem habendi utilitatem defectus cujusdam dati per dictum prepositum dictis Thome et Guillelmo contra dictos conjuges, in causa quam ipsi Thomas et Guillelmus moverant, coram dicto preposito, contra ipsos conjuges, racione impedimenti, indebite et de novo per dictos conjuges, ut dicebatur, appositi in medietate cujusdam domus site sub juridiccione dicti episcopi, de qua inspectio per dictum prepositum facta extiterat, ut ipsi Thomas et Guillelmus dicebant; necnon et ad finem quod responderent et procederent ipsi conjuges coram dicto preposito super hiis, prout in dictis factis et racionibus per eosdem Thomam et Guillelmum, in scriptis coram eodem preposito traditis, plenius continetur, dictis vero conjugibus plura facta et raciones proponentibus ex adverso, ad finem in suis articulis declaratum, idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictas partes admittendas esse ad probandum, ad finem debitum, facta sua, in quantum forent de jure et consuetudine admittenda; a quo judicato idem Gaufridus emendamentum peciit, coram ballivo episcopi memorati, superiore prepositi antedicti; qui ballivus, auditis partibus, in causa emenda-

Louis X, 1315.

menti hujusmodi, visoque processu facto coram dicto preposito, super hoc, ac judicato predicto, per suum judicium, confirmavit judicatum predictum, pronuncians, per idem judicium, eundem Gaufridum dictum emendamentum male peciisse; a quo quidem dicti ballivi judicato, tanquam falso et pravo, dictus Gaufridus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in nostra curia, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque diligencius omnibus processibus et judicatis predictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit eundem ballivum bene judicasse et dictum Gaufridum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Octava die maii.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Remissus fuit processus ad ballivum episcopi.

LXXIX. Dudum, inter procuratorem karissimi genitoris nostri senescallie Ruthenensis, ex parte una, et consules ville Sancti-Affricani, ex altera, questione mota super hoc quod dictus procurator noster dicebat dictos consules et eorum predecessores injuste consulatus officium usurpasse, dictus dominus genitor noster senescallo et judici majori Ruthenensibus mandavit ut, cum ipsi consules congruam financiam offerrent ut jus consulatus declararetur et in perpetuum confirmaretur eisdem, ad financiam ipsos admitterent, voluntate ipsius reservata, et iidem senescallus et judex, non solum ipsos jus consulatus habere declaraverunt, immo, si non habebant, excedentes fines mandati, de novo concesserunt, cum aliquibus juridicionibus et libertatibus, certam financiam, super hoc, admittendo, et cum dicti consules peterent predicta sibi concessa per senescallum et judicem predictos, sibi per dictum genitorem nostrum specialiter confirmari, illi qui nobiscum sunt condomini dicti loci et habent ibidem omnimodam, ut dicunt, justiciam, se opposuerunt in hujusmodi cum sua, ut dicebant, interesset, plures raciones in contrarium opponentes, propter quod, auditis partibus, per arrestum curie parlamenti, quicquid per dictos senescallum et judicem factum fuit extitit

anullatum et ordinatum quod, tam de jure nostro et dictorum condominorum, quam dictorum consulum, et dampno et commodo nostris et cujuslibet alterius, circa premissa et aliis de quibus fuisset inquirendum, vocatis procuratore nostro, condominis et consulibus predictis et aliis evocandis, veritas inquiretur, per certos commissarios per dictam curiam deputandos, qui inquestam, super hoc factam, curie nostre remitterent vel referrent, sub sigillis suis inclusam, ad diem senescallie Ruthenensis futuri tunc proximo parlamenti, et interim dicti consules consulatu non uterentur, sed ad manum nostram, tanquam superioris, teneretur: Certis igitur commissariis, super hoc, per dictam curiam datis, inquestaque per ipsos, vocatis evocandis, super hiis plene facta, ipsaque nostre curie reportata, partibusque visuris ipsam judicari ad parlamentum nostrum adjornatis et per eandem curiam auditis, ipsaque inquesta per curiam nostram diligenter inspecta, quia probatum extitit homines dicte ville, jure consulatus predicto, quem consulatum a comite Tholosano quondam sibi donatum fuisse asseruerunt, usos fuisse, et consules creasse temporibus consuetis, qui ea que ad officium consulatus pertinent exercuerunt, archam et campanam communes, sigillumque commune habendo, tallias imponendo ipsasque levando, et predictis utendo pro negociis communibus dicte ville, scientibus et pacientibus condominis antedictis, ipsosque ut consules in pluribus tractatibus, composicionibus et aliis actibus admittentibus per tantum tempus quod de contrario memoria hominum non existit, per judicium nostre curie, declaratum extitit homines dicte ville habere jus consulatus, cum juribus et usibus consuetis, ipsisque remanere debere, et, propter hoc, manum nostram in dicto consulatu, ut superioris, positam, et inhibicionem factam quod interim consulatus officio non uterentur, curia nostra amovit.

Louis X, 1315.

Jovis ante Penthecosten.

M. R. de Briençon reportavit.

LXXX. Pendente in parlamento, Parisius, inter procuratorem

Louis X, 1315.

ducis Acquittanie, ex parte una, et Petrum de Lavardaco, seniorem, domicellum, ex altera, causa appellacionis interposite ab audiencia senescalli Vasconie et prepositi Sancti-Severi, pro dicto duce, per dictum Petrum, a defectu juris et quibusdam gravaminibus eidem, ut dicebat dictus Petrus, illatis, conquerenteque dicto Petro quod officiales et gentes dicti ducis, pro ipso duce, plura, post appellacionem predictam, attemptaverant et innovaverant, in prejudicium ipsius et appellacionis sue predicte, conquerenteque eciam ex adverso procuratore dicti ducis quod dictus Petrus, pretextu appellacionis predicte, plura attemptaverat in prejudicium ipsius ducis et subditorum suorum, curia karissimi genitoris nostri certis commissariis mandavit, super attemptatis hinc inde factis, vocatis evocandis, ad finem civilem, veritatem inquiri, ita quod ea que ipsi liquida invenirent, expedirent, et dubia curie predicte mitterent sub sigillis suis fideliter interclusa, ad diem ducatus Acquittanie futuri tunc proximo parlamenti, quam diem dictis partibus assignarent; coram quibus commissariis, partibus vocatis et comparentibus, dictus Petrus proposuit quod, post appellacionem suam predictam, et ea pendente in curia predicta, prepositus Sancti-Severi et bajulus de Reda, pro dicto duce, cum multis aliis suis complicibus et cum armis, more hostili, accedentes ad loca et castra sua de Campania et de Usino, sub manu et salva gardia dicti genitoris nostri existencia, ipsa impugnaverant, plures homines et mulieres ceperant, in locis suis predictis et eorum pertinenciis, et captos secum duxerant, et duos de hominibus ipsius interfecerant, et eciam mille capita animalium ipsius et hominum suorum rapuerant, et quod post premissa et post restitucionem sibi, de mandato dicti genitoris nostri, factam de dictis castris et pertinenciis eorumdem, dicti ducis officiales et gentes, pro eodem, redditus et proventus dictorum locorum ad ipsum Petrum pertinentes, in valore annuatim quingentarum librarum Turonensium, violenter perceperant et levaverant, et, post appellacionem predictam, quandam forestam suam, prope castrum de Usino existentem, devastaverant ultra modum, et ipsum ex hoc dampnificaverant in tribus millibus

librarum Turonensium; item quod post hoc, ipso existente in parlamento, Parisius, et prosequente appellacionem suam predictam, dicti prepositus et bajulus, cum multitudine armatorum, iterum ad dictum castrum de Usino hostiliter accedentes, quadraginta capita porcorum, bovum et ovium, et totidem aliorum animalium dicti Petri et hominum suorum per violenciam ceperant, et gardiatorem per senescallum Petragoricensem sibi datum ibidem invaserant, fugaverant et de occidendo ipsum posse suum fecerant, et vexillum dicti genitoris nostri, in dicto castro, pro salva garda nostra, positum in luto projecerant, pluraque alia dampna eidem et suis subditis intulerant, pluresque contra ipsos excessus commiserant in predictis; quare petebat idem Petrus attemptata et innovata predicta ad statum debitum reduci, et ablata seu rapta predicta sibi et hominibus suis, una cum dampnis predictis, que ipse estimat ad quinque millia librarum Turonensium, sibi restitui et reddi, procuratore dicti ducis e contrario proponente, ad defensionem dicti ducis, quod ante appellacionem predictam, castra de Usino et de Campania, et redditus, proventus et exitus eorumdem, posita fuerant, ex justis causis, ad manum dicti ducis, et quod si dicti prepositus et bajulus dictos redditus et proventus perceperant, hoc fecerant ex causis predictis, et quod, si ad dicta castra, cum armis vel sine armis, venerant et homines aliquos interfecerant, hoc fecerant, possessionem et manus apposicionem predictas et se et bona sua contra violenciam dicti Petri defendendo, et quod, quando manus dicti ducis posita fuit in castro de Usino et ejus pertinenciis, Petrus de Lavardaco junior, nepos dicti Petri, ipsum castrum, cum pertinenciis, solus et insolidum possidebat, et non dictus Petrus senior, et plures alias raciones propter quas dicebat predicta per dictum Petrum proposita non debere dici attemptata, nec per modum attemptatorum debere revocari; necnon, et ultra hec, eodem procuratore, conquerendo contra dictum Petrum, proponente quod dictus Petrus, post appellacionem predictam, contra dictum ducem et ejus subditos attemptando et committendo, per violenciam ceperat, cum complicibus suis, quatuor de subditis ipsius ducis, et

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

ipsos cum eorum pluribus bonis et animalibus eorumdem raptis, in valore ducentarum librarum Turonensium, ad castrum de Campania predictum duxerat, et in fundo cujusdam turris dicti castri ligatos et intrusos cum quodam leproso tenuerat, tamdiu quod oportuit ipsos redimi erga ipsum, in valore quinquaginta librarum Turonensium, et quod, post hec, idem Petrus, cum multitudine armatorum, accedens ad castrum de Usino, ad manum dicti ducis, ex justa causa, existens, ipsum castrum funditus destruxit et ejus fossata rasavit, et ipsum, cum ecclesia inibi existente, combuxit, et custodem ibidem deputatum, pro dicto duce, per vim de dicto castro expulit, arma que idem custos habebat pro dicta custodia facienda, eidem auferendo, necnon vexillum dicti ducis ibi existens in lutum projecit, et in hiis dampnificavit dictum ducem in quinque millia librarum Turonensium, et plures injurias alias eidem duci et suis gentibus intulit in premissis; quas ipse procurator, ultra dicta dampna, estimabat mille marchas argenti, et quod, post hoc, idem Petrus, cum pluribus armatis, more hostili, per terram et balliviam de Linariis dicti ducis incedens, invasit et fugavit bajulum dicti ducis predictum, conando ipsum interficere, et ipsum et equum suum vulneravit, et tres homines dicti ducis subditos interfecit, et plures tunc et alios homines et subditos dicti ducis vulneravit, et bonis et animalibus pluribus spoliavit, excessus quamplurimos committendo; et cum, post hec, bajulus predictus, in castro de Campania, dictum Petrum requireret ut predicta emendaret et faceret emendari, idem Petrus dictum bajulum invasit hostiliter et cum armis, et dictum Abadoc, servientem dicti bajuli, interfecit, et quamplures secum existentes vulneravit, quare petebat procurator predictus inquiri, super hiis, veritatem, et predicta per dictum Petrum facta competenter emendari, ipsumque, ex hoc, prout esset racionabile, puniri et predicta ad statum debitum reduci; tandem dicti commissarii, inquisita, super predictis hinc inde propositis, plenius veritate, inquestam super hoc factam, sub suis inclusam sigillis, ad parlamentum, Parisius, transmiserunt: Auditis igitur in dicto parlamento super hoc Petro et procuratore pre-

dictis, ac demum inquesta predicta ad videndum et judicandum, ad finem civilem, dicto parlamento tradita et diligenter inspecta, quia per ipsam curie nostre constitit attemptata et excessus predictos per dictum Petrum propositos, post et contra appellacionem predictam, et contra salvam gardam et manum dicti genitoris nostri ibidem existentes, per prepositum et bajulum predictos, pro dicto duce, perpetratos fuisse, contemptibiliter et injuste, procurator dicti ducis, et idem dux in ipsius procuratoris personam, per curie nostre judicium, condempnatus fuit ad reducenda ad statum pristinum debitum, attemptata et innovata predicta, et ad restituendum eidem Petro saisinam loci de Usino predicti, cum pertinenciis ipsius, et castri de Campania predicti, et ad permittendum ipsum Petrum, fructus, proventus et redditus locorum et pertinenciarum predictorum percipere et levare, necnon et ad dandum et solvendum eidem Petro tria millia et quingentas libras Turonenses, eidem Petro per curiam nostram taxatas, et, super hiis, juramento delato Girardo Dandiran, procuratori dicti Petri, habenti, super hoc, potestatem, ac prestito ab eodem, declaratas pro fructibus, proventibus et redditibus dictorum locorum et pertinenciarum ipsorum, per officiales et gentes dicti ducis et pro ipso perceptis, et qui per ipsas gentes et pro ipso percipi potuerunt, et pro certis dampnis eidem Petro datis per dictas gentes dicti ducis, in violenciis et insultibus antedictis, necnon et ad solvendum nobis, pro contemptibus et offensis per dictas gentes suas commissis contra gentes dicti genitoris nostri in premissis, tria millia librarum Turonensium, et ad faciendum reponi vexillum nostrum in locis de quibus fuit, ut premittitur, amotum, et, per idem judicium, dictum fuit quod prepositura Sancti-Severi et bajulia de Reda predicte, quarum prepositus et bajulus, ut premittitur, deliquerunt in predictis, ponentur et tenebuntur, propter hoc, in manu nostra, quamdiu nostre placuerit voluntati, et quia, e contrario, per inquestam predictam, curie nostre constitit dictum Petrum et gentes suas aliqua de propositis contra ipsum indebite fecisse, et in premissis ipsum et gentes suas aliqualiter excessisse, idem Petrus nobis in quingentis libris

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

Turonensibus, emende nomine, fuit, per idem judicium, condempnatus, et, per idem judicium, dictum fuit quod senescallus noster Petragoricensis de dampnis datis hominibus et subditis dicti Petri, per dictas gentes ducis ejusdem, in animalibus et bonis eorum raptis, et alias qualitercunque, et e contra de dampnis, ut dicitur, illatis per dictum Petrum et gentes suas ecclesie predicte et aliis personis, in animalibus et bonis eorum, inquireret plenius veritatem, et dampna predicta passis satisfieri de eisdem civiliter faciet, prima racione, ceteris injuriis et contumeliis, per dictas gentes dicti ducis eidem Petro, et per eundem Petrum et gentes suas gentibus dicti ducis illatis, in quantum ipsos ducem et Petrum tangunt hinc inde, per idem curie nostre judicium compensatis.

Sabbato post Quasimodo, anno trecentesimo decimo quinto.

M. Raymbaudus reportavit.

LXXXI. Cum karissimo domino et genitori nostro conquestus fuisset Hugo de Sorihano, mercator, pro se et suis in hac parte consortibus mercatoribus, quod cum ipsi, anno Domini millesimo trecentesimo octavo, sabbato in octabis apostolorum Petri et Pauli, ab eodem genitori nostro obtinuissent quod possent de regno Francie extrahere, per iter de Sancto-Paulo Fenoledesii, ducentas cargas lane, quamlibet cargam quatuor quintalla ponderantem infra festum Omnium-Sanctorum, quod fuit anno Domini millesimo trecentesimo nono, mercatores predicti impediti fuerant dictam lane quantitatem extrahere integre infra dictum tempus, pretextu cujusdam alterius concessionis, auctoritate dicti domini genitoris nostri facte, quibusdam aliis mercatoribus super extraccione generali lanarum per ipsos mercatores, usque ad certum tempus, facienda, et pretextu inhibicionis publice, et specialiter eisdem Hugoni et suis consortibus, auctoritate dicti domini genitoris nostri facte, de non extrahendo quantitatem lane predictam; quare supplicabat dictus Hugo, pro se et consortibus suis, tantum sibi restitui de tempore competenti quod possent extrahere octoginta et decem cargas lane residuas ad extrahendum de

quantitate predicta; dictus genitor noster supplicacionem predictam, sub contrasigillo suo clausam, senescallo Carcassonensi mittens, mandavit eidem quod, vocatis evocandis, super contentis in ea exhiberet eisdem justicie complementum; qui quidem senescallus, vocato procuratore nostro senescallie Carcassonensis et aliis evocandis, dictaque supplicacione aperta et partibus recitata, auditisque, per procuratorem nostrum, propositis, contra supplicacionem predictam, cognitoque de causa hujusmodi, pér suam sentenciam, pronunciavit dictum supplicantem, in sua supplicacione predicta, non esse ulterius audiendum; a qua quidem pronunciacione, ex parte dicti supplicantis, ad curiam parlamenti, Parisius, extitit appellatum; tandem ipsa curia, auditis partibus, judici ordinario Carcassonensi mandavit quatenus secundum articulos a dictis partibus, sub contrasigillo predicto, eidem tradendos, super causa appellacionis predicte, inquireret veritatem, et inquestam quam inde faceret, sub sigillo suo inclusam, mitteret, ad diem senescallie Carcassonensis presentis parlamenti : Facta igitur, per dictum judicem, inquesta predicta, ipsaque curie nostre missa, et partibus, super hoc, in curia nostra, auditis, ac demum, per curiam nostram, diligenter inspectis processibus et inquestis, tam cause principalis quam appellacionis predicte, quia curie nostre constitit dictum supplicantem et ejus consortes, anno Domini millesimo trecentesimo nono, per duos menses cum dimidio, inter festa beati Johannis Baptiste et beati Michaelis, impeditos fuisse extrahere octoginta quatuor cargas cum dimidia lane residuas de quantitate predicta, pretextu alterius concessionis aliis mercatoribus predictis ab eodem genitore nostro facte super extractione lanarum eodem tempore facienda, et pretextu inhibicionis predicte, per judicium nostre curie, dictum fuit dictum senescallum male pronunciasse, dictumque appellantem bene appellasse, et quod dictus Hugo et ejus consortes predicti, inter festa beati Johannis et beati Michaelis predictorum proximo ventura, per duos menses cum dimidio continuos, octoginta quatuor cargas et dimidiam lane, quas de quantitate predicta extrahere fuerunt, ut premittitur, impediti, extrahere

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

potuerunt, servando tamen et adimplendo modos et convenciones que in litteris domini genitoris nostri confectis, super concessione predicta eis facta, continentur.

Jovis ante Penthecosten, anno trecentesimo decimo quinto.

M. Raymbaudus reportavit.

LXXXII. Cum dilectus et fidelis Ludovicus, comes Ebroicensis, patruus noster, asserens se esse et diu fuisse in saisina justicie cheminorum civitatis Ebroicensis, racione et a tempore assisie sibi facte per clare memorie karissimum dominum et genitorem nostrum, de dicto comitatu, requireret amoveri impedimentum sibi, per ballivum Gisorcii, ad requestam decani et capituli Ebroicensium, super dicta saisina, positum in dictis cheminis, in quantum sunt dicti chemini siti inter domos decani et capituli predictorum, plures ad hoc raciones et longuam saisinam suam, super hoc proponens; et e contra dicti decanus et capitulum proponerent quasdam consuetudines et plures raciones, ad finem quod predicta requesta dicti comitis fieri non deberet, quodque per curiam nostram declararetur quod justicia et saisina justicie dictorum cheminorum inter domos eorum sitorum, sit nostra et ad nos debeat pertinere, et quod amoveatur impedimentum per dictum comitem, super dicta justicia, nobis appositum in eisdem cheminis: Tandem super predictis, vocatis dictorum comitis et capituli procuratoribus, et super eorum articulis ab ipsis partibus concordatis, facta inquesta, curieque nostre reportata, auditisque, super hiis, in curia nostra dictis partibus, et visa ac diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum impedimentum, per dictum ballivum, in saisina dicte justicie cheminorum predictorum eidem comiti, ad requestam dictorum decani et capituli appositum, in quantum eos tangit tantummodo, et in eorum prejudicium, non obstante dicta eorum opposicione, amoveri debere, salvo nobis, super hoc, in omnibus, jure nostro, tam in possessione quam in proprietate.

Jovis predicta.

Mangon reportavit. Louis X, 1315.

LXXXIII. Cum Petrus de Blanosco, miles, karissimo genitori nostro conquestus fuisset de quibusdam excessibus apud Cortambleyn, in justicia dicti militis, ut dicitur, perpetratis per gentes prioris Sancti-Martini-de-Campis Parisiensis, quos malefactores, pro ipsis capiendis, in facto presenti, dicti militis gentes insecute fuerunt, ut dicitur, usque apud Maletum, domum et villam abbatis Clugniacensis, sed per castellanum Sancti-Jangulfi fuerunt, super hoc, impediti, requirens dictos malefactores et eorum curiam et cognicionem, super hoc, sibi reddi, dictusque genitor noster Guillelmo de Viriaco, nunc militi, sub certa forma, commissionem, super hoc, fecisset, dictique commissarii processus, super hoc, factus ad parlamentum, Parisius, pro judicando fuisset asportatus, dictusque Petrus peciisset instanter dictum processum judicari, parte adversa, pluribus racionibus e contrario proponente, dictum processum debere totaliter anullari, pro eo maxime, ut dicebat, quod factus fuerat post ejusdem adverse partis appellacionem, et postquam dicta commissio per eundem genitorem nostrum fuerat revocata : Tandem auditis hinc inde propositis, et visis dicte partis adverse racionibus et processu predicto, per nostram fuit curiam ordinatum quod deposiciones testium in processu predicto seu inquesta productorum valebunt, hoc salvo quod eorumdem testium nomina dicte parti adverse tradentur in scriptis, ut eos possit, si voluerit, reprobare, et dabuntur certi commissarii quibus tradetur dictus processus et qui defensiones dicte partis adverse contra dictam requestam, cujus fiet sibi copia, recipient, et super eis que proponentur hinc inde probaciones parcium recipient, et pro utraque parte perficient inquestam predictam ad finem civilem, et eam completam et civiliter judicandam curie nostre mittent, ad futurum proximo parlamentum.

Jovis predicta.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Facta est commissio super hoc ad M. P. de Vergitone, canonicum

Louis X, 1315.

Matisconensem, et Johannem, dominum de Dracy, militem, et remissus fuit eisdem dictus processus.

LXXXIV. Cum judex communis curie Gabalitane, ad denunciacionem Hugonis Pelegrini de Marologio, processisset ad inquisicionem contra Guillelmum Raoleti, bajulum domini de Petra, et quinque de servientibus suis, pro eo quod ipsi, ut asserebat dictus Hugo, contra bonum statum terre et pacem Gabalitanam violenter irruerant in personam dicti Hugonis, venientis de nundinis Sancti-Hyleri, versus Marologium, equitando in itinere publico, versus pontem vocatum Artaut, et eundem aggressi fuerant cum armis, et ipsum de sua equitatura derocaverant, ipsamque ejus equitaturam, cum magna pecunia quam retro se portabat in quadam maleta, ceperant, ipsum atrociter verberaverant, nulla causa racionabili existente, ex certo proposito et ex cogitata malicia et habita deliberacione, super hoc, consilio et tractatu, ruperantque, in quatuor partes, quoddam gardicorsium forratum quod portabat dictus Hugo indutum, ipsumque Hugonem apud Rochacium-Castrum captum duxerant, hiis non obstantibus videlicet quod fidejussores idoneos offerebat, de stando juri in curia domini de Petra et appellacione quam ad judicem communis curie, pro eo quod ducebatur captus, emittebat et eciam iterabat, propter gravamina antedicta, ipsumque captum per totam diem tenuerant et ensem suum retinuerant, et in sero abire permiserant, nulla facta inquisicione contra eum; dictusque judex communis curie, visis et attentis confessionibus dictorum delatorum, attestacionibus testium, tam per curiam communem, quam per dictos delatos productorum et receptorum, necnon et allegacionibus parcium predictarum, dictum bajulum in sexaginta libris Turonensibus, pro se, et eundem in decem libris, nomine procuratorio suorum servientum, predicte communi curie condempnavit, dictumque Guillelmum et servientes suos dicto Hugoni, pro expensis quas fecit in prosecucione dicte inqueste, in quindecim libris et ense suo reddendo, per diffinitivam sentenciam comdempnavit; a qua sentencia dictus Guillelmus, pro se et

nomine procuratorio suorum servientum, in scriptis, ad judicem appellacionum prefate Gabalitane curie appellavit, fecitque, coram prefato judice, nominibus quibus supra, citari dictum Hugonem et judicem dicte communis curie, processuros in dicta appellacionis causa, si sua crediderit interesse; lite igitur per Pelegrinum de Grisaco, fratrem et procuratorem dicti Hugonis, et per dictum Guillelmum, quibus supra nominibus, legittime contestata, juratoque de calumpnia in dicta causa, pluribusque propositis racionibus et allegacionibus hinc et inde, demum, per dictum Guillelmum, nominibus quibus supra, petita restrictione ad tempora fatalia que fluxerant et obtenta, presente dicto Hugone et causa cognita, pro eo quod in processu cause protestatus fuerat coram notario publico quod, de momento ad momentum et de tempore ad tempus, volebat et intendebat prosequi suam causam, et judex eciam asserebat se fuisse occupatum per aliqua tempora, et absentem, pro quibus suas nequiverat continuasse assisias, ut deceret, renunciatoque et concluso, in dicta causa, per dictos Hugonem et Guillelmum, quibus supra nominibus, dieque dictis partibus assignata peremptorie ad definitivam sentenciam audiendam, dictus judex, quibusdam causis motus in sua tactis sentencia et expressis, pronunciavit et declaravit processum dicte appellacionis fore nullum, atque tempora ipsius appellacionis fatalia fore lapsa, et ob hoc partes ab observancia instancie dicte cause appellacionis absolvit, neutram parcium subdens oneri expensarum, execucionem dicte prime sentencie atque partes predictas ad forum judicis ordinarii principalis curie remittendo; a qua sentencia predicti Hugo et Guillelmus, nominibus quibus supra, ad nostram curiam appellarunt : Visis igitur actis et munimentis inquisicionis et appellacionis predictarum et diligenter examinatis, et maxime articulis dicti Guillelmi, in quibus ipse, inter cetera, proponebat quod per terram et baroniam dicti domini de Petra, per aliqua loca in quibus dictus dominus, a tempore cujus contrarii memoria non existit, pedagium notorie levare consueverat, dictus Hugo plura animalia, per se et per alios, duxerat et duci fecerat, et, requisitus le-

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

gittime, pedagium non solverat, sed violenter dicta animalia adduxerat per pedagiarium arrestata et rescussas tam animalium quam ea ducentis fecerat, et alia commiserat in dicta terra in qua dictus dominus habet merum et mixtum imperium, multipliciter delinquendo, necnon visis attestacionibus testium super dictis articulis productorum, necnon allegacionibus ex parte dicti Guillelmi propositis, et attentis per dictum judicem appellacionum propositis, quoad restitucionem ad tempora fatalia concessam qua dictus Guillelmus non indigebat, sed restitutus erat, ipso jure, cum contra ipsum non cucurrissent tempora quibus judex fuerat occupatus, visisque et examinatis diligenter omnibus que curiam nostram movere potuerunt et debuerunt, per judicium dicte curie, dictum fuit utrumque judicem male pronunciasse, et dictum Guillelmum, quibus supra nominibus, bene et legittime appellasse, et quod dicte condempnaciones non mandabuntur execucioni.

Octava die maii, anno trecentesimo quindecimo.

M. P. de Sine-Muro [reportavit].

LXXXV. Judicatum pro Bertrando de Turreta factum, invenies in sacco, cum cedulis istius parlamenti, nec fuit scriptum in hoc libro, quia nimis erat longum (28).

LXXXVI. Cum, super execucione que de summa trium millium librarum parvorum Turonensium bonorum, per procuratorem mercatorum de societate Clarentinorum de Pistoria, contra Jacobum de Soldaneriis, virtute cujusdam instrumenti confecti manu cujusdam auctoritate apostolica notarii, fieri petebatur, in certis bonis Bituris existentibus, certum mandatum, per litteras karissimi genitoris nostri, directum fuisset baillivo Bituricensi, et, tam per Philippum Poisavent, ejus commissarium, quam postea per Baudetum de Lauduno, commissarium a dicto genitore nostro super hoc deputatum, quidam processus facti fuissent super hoc et certum inventarium de dictis bonis factum fuisset, et ex adverso dictus Jacobus, necnon Fran-

ciscus de Soldaneriis et Perrotus Ardemant, qui Franciscus et Perrotus bona predicta dicebant sua esse, predicte execucioni se opposuissent: Tandem dicto negocio ad parlamentum Parisiense devoluto, et auditis, super hoc, dictis partibus et visis processibus antedictis, per arrestum curie nostre, dictum fuit quod predictum negocium, per viam execucionis non expedietur, sed per viam actionis partes super hoc audientur, et anullavit curia nostra dictorum commissariorum processus predictos, salvo inventario, ut premissum est, facto de bonis predictis. Louis X, 1315.

Jovis post Trinitatem.

LXXXVII. Cum Hardoynus de Mairoles, karissimo genitori nostro conquestus fuisset, proponens quod Petrus Mairoliaus, ejus nepos, qui, alio nomine, faciebat se vocari Hubertum, post assecuramentum eidem Hardoyno, de mandato curie dicti genitoris nostri, ut dicebatur, prestitum a dicto Mairoliau, ipsum Hardoynum invaserat, vileniaverat, et plures injurias et vulnera intulerat eidem, et dictus genitor noster, ad inquirendum, vocatis partibus, super hiis veritatem certos commissarios et pluries deputasset, dictusque Hardoynus, una cum procuratore dicti genitoris nostri, factum hujusmodi incepisset prosequi, coram quibusdam de dictis commissariis, et ipso Hardoyno postea impedito et factum hujusmodi non prosequente, dictus procurator processus, super hoc, inchoatos prosecutus fuisset coram commissariis predictis, et, in quantum dictum genitorem nostrum tangebat, procurasset compleri et ad finem perduci; tandem de mandato dicti genitoris nostri processus predicti remissi fuerunt ad ipsius curiam judicandi, predicto Mairoleau, qui pro laico communiter habebatur, propter factum hujusmodi in prisione dicti genitoris nostri detento; postea vero nos, ad requisicionem quorumdam, precepimus, quamquam finitum esset parlamentum, per nostram curiam aperiri processus predictos ad illum finem ad quem possent videri: Visis igitur, per curiam nostram, dictis processibus, quamquam per eos videretur sufficienter probatum dictum Mairoleau predictas injurias

Louis X, 1315.

et vulnera dicto Hardoyno violenter intulisse; quia tamen ipsi curie nostre constitit dictum Mairoleau esse clericum seu in saisina clericatus, dicta curia nostra non processit ad judicandum processus predictos, sed ordinavit quod dictus Mairoleaus, qui hactenus pro laico habitus fuerat, remittatur captus, tanquam in saisina clericatus existens, ad officialem Turonensem, ordinarium suum, super factis predictis, tam nobis quam parti lese, vocatis partibus, prout racionabile fuerit, puniendus, quodque processus predicti, ad Petrum Cerisier, subballivum Castellionis-super-Yndram, qui negocii hujusmodi dicitur habere noticiam pleniorem, mittantur, et eidem mandetur, ex parte nostra, quod ipse negocium hujusmodi, in quantum nos tangit, diligenter prosequatur, et ad finem debitum perduci procuret.

Ultima die maii.

Facta fuit super hoc commissio, et traditus fuit dictus processus domino Hugoni de Cella, ad portandum dicto Petro Cerisier.

LXXXVIII. Judicatum factum, inter Nicholaum Regis et Robertum Mahi, ex una parte, et Nicholaum Episcopi et Guillelmum Berguet, ex altera, invenietur in sacco articulorum hujus parlamenti, cum cedulis, nec fuit scriptum in hoc libro, quia nimis est longum.

LXXXIX. Cum super tractu lanarum et agnelinorum de regno Francie, de licencia gencium a karissimo genitore nostro, ad lanarum passagia deputatarum, certe convenciones habite fuissent primitus inter procuratorem mercatorum de Mediolano, ex una parte, et Baldum Fini et ejus fratres et consortes, mercatores de Florencia, ex altera, super quibus convencionibus postea mota discordia inter partes predictas, magister Andreas Poicheron et Petrus le Feron, commissarii, super hoc, a dicto genitore nostro specialiter deputati, partibus auditis et visis dictarum parcium procuratoriis, convenciones predictas per dictum procuratorem Mediolanensium initas, tamquam factas ab illo qui, super hoc, nullam potestatem habebat contrahendi cum dictis Florentinis, pronunciassent nullius existere firmitatis, quod judicatum

postmodum extitit per parlamentum, Parisius, in appellacionis causa, super hoc, interposite, confirmatum, quo facto, dictus procurator Mediolanensium qui potestatem habebat, cum dicti genitoris nostri gentibus, super hujusmodi negocio convenciones firmandi et ineundi, et bona dictorum Mediolanensium ad hoc obligandi, procuratorio nomine dictorum mercatorum Mediolanensium et pro ipsis, super dicto tractu, cum dicti genitoris nostri gentibus habuit tractatum, et cum eisdem gentibus certas convenciones quasi prioribus similes, super hoc, inivit et firmavit, et similiter dictorum Baldi Fini, fratrum et sociorum suorum procurator pro eis, et in quantum ipsos poterat tangere, super negocio hujusmodi, cum dicti genitoris nostri gentibus, habuit tractatum et convenciones certas et prioribus ipsorum Florentinorum convencionibus quasi similes, cum eisdem gentibus genitoris nostri, super hoc, inivit et firmavit; quas convenciones, inter gentes dicti genitoris nostri et dictum procuratorem Florentinorum habitas, ipse gentes dicti genitoris nostri dicto procuratori promiserunt se facturos et curaturos quod dicti Mediolanenses observarent; dictus vero procurator Mediolanensium, in convencionibus predictis, super hoc habitis et firmatis, inter ipsum et gentes dicti genitoris nostri, promisit, sub certa pena, se facturum et curaturum quod dicti Mediolanenses, domini sui, convenciones, super hoc habitas et firmatas inter ipsum et gentes dicti genitoris nostri, ratificarent et observarent; postea vero dictorum Florentinorum procurator asserens quod ipsi Florentini dictas convenciones, quantum erat in eis, observabant, dicti genitoris nostri gentes requisierunt ut ipsi observarent eisdem Florentinis et facerent a dictis Mediolanensibus observari convenciones predictas, dicteque gentes genitoris nostri dictorum Mediolanensium procuratorem requisierunt ut ipse procuraret et faceret quod dicti Mediolanenses, convenciones predictas, inter dictum procuratorem eorum et gentes dicti genitoris nostri habitas, ratificarent et observarent, et sic orta discordia super dictarum convencionum ultimo hinc inde initarum observancia; dictus genitor noster, certos commissarios, videlicet magistrum Petrum de Cabilone et Gaufridum Cocatris commissarios,

Louis X, 1315.

Louis X, 1315.

sub certa forma, finaliter super hoc deputavit, qui, vocatis partibus, et auditis visisque procuratoriis earumdem et inspectis dictis convencionibus, visoque dictorum priorum commissariorum judicato, et, in causa hujusmodi a dictis partibus concluso, judicatum suum tulerunt, plures continens clausulas, prout in littera dicti judicati, sigillis dictorum commissariorum sigillata, plenius continetur; a quo judicato, tamquam falso et pravo, procurator dictorum Mediolanensium ad nostram curiam appellavit; nos vero dictam causam, quamquam finitum esset parlamentum, ex causa, precepimus, per gentes nostras, que, post dictum parlamentum remiserunt, examinari et, sine debito, terminari; constitutis in curia nostra dictis partibus, in causa appellacionis predicte, plures hinc inde fuerunt proposite raciones, tam ad illum finem, utrum ex parte dictorum Mediolanensium, in dicta causa potuerit appellari, quam ad illum finem quod, si potuerit appellari, utrum bene vel male fuerit appellatum; propositis igitur, super hoc, pluribus racionibus hinc et inde, partes predicte finaliter concordaverunt quod, visis dictis processibus et dictarum parcium litteris et racionibus earumdem, quas ipse super dicta principali causa curie nostre tradiderunt in scriptis, curia nostra, predicto negocio principali finem imponeret pronunciando utrum bene vel male fuerit judicatum : Visis igitur et diligenter examinatis dictis processibus, litteris, judicatis, parcium predictarum procuratoriis, convencionibus et earum racionibus hinc et inde, attento eciam quod ipse procurator Mediolanensium, ad contrahendum, super predictis, generalem habebat et liberam potestatem a dominis suis sibi datam, per curie nostre judicium, dictum fuit bene fuisse, per dictos magistrum Petrum et Gaufridum, secundos commissarios, judicatum, et per dictum procuratorem Mediolanensium male appellatum, et quod ipse hoc emendabit.

Sabbati post estivale festum beati Martini.

Goi reportavit.

XC. Processus inter Annam de Pictavia, ex una parte, et comitem

Armeniaci et Gaufridum de Ponte, militem, et ejus uxorem, ex altera, anullatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti. Louis X. 1315.

XCI. Item quedam littere, inter Philippum de Sancto-Maximino, ex una parte, et Guillelmum de Belles-Voies, ex altera, super quibus curia ordinavit, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCII. Item quedam littere, inter abbatissam et conventum de Kala, ex una parte, et comitem Rouciaci, ex altera, anullate, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIII. Ludovicus, Dei gracia, Francorum et Navarre rex, universis presentes litteras inspecturis, salutem: Notum facimus quod, cum lis mota fuisset, coram preposito Parisiensi, inter vecturarios vini in processu cause hujusmodi nominatos, frequentantes ripparias Secane et Yone, veniendo Parisius de Burgunda, ex una parte, et mercatores vinorum Parisius conversantes, in dicto processu nominatos, ex altera, super eo quod dicti vecturarii petebant de vecturis suis vinorum descendencium ad portum, Parisius, sibi satisfieri in moneta Parisiensium bonorum, Parisius currencium, licet contractus vecturarum predictarum facti fuissent in Burgundia et in locis ubi Turonenses habent cursum suum, maxime ubi non extitit de certa moneta expresse conventum, allegantes inter cetera lungum usum pacifice consuetum et, super hoc, observatum, a tanto tempore quod dictus usus in consuetudinem notoriam est conversus, ut dicebant, dictis mercatoribus predictos usum et consuetudinem negantibus, pluribusque racionibus asserentibus, ex adverso, solucionem dictorum contractuum in dictis Parisiensibus fieri non debere, sed in moneta Turonensi tantummodo, tum quia, ut ipsi dicebant, contractus dictarum vecturarum facti in Burgundia, ubi Turonenses, ut dictum est, habent cursum, solvi debent et compleri de jure ad monetam currentem et usitatam communiter in loco contractus, tum eciam quia dicti vecturarii, cum sint singulares persone, corpus et communiam non habentes, con-

Louis X, 1315.

suetudinem introducere de jure non possunt, et, propter debatum parcium predictarum, dictus prepositus, de mandato curie nostre, dictis vecturariis de liquido debiti salarii vecturarum suarum satisfieri mandasset, eo de quo erat debatum inter partes in manu nostra sequestrato, usque ad dicte cause decisionem, et tandem, auditis super hoc dictis partibus et visis earum probacionibus, et concluso in dicta causa, idem prepositus judicatum suum tulisset pro dictis vecturariis, contra mercatores predictos, prout in ipsius prepositi judicato plenius continetur, dicti mercatores, seu procurator eorum, a judicato predicto, tamquam falso et pravo, ad parlamentum nostrum, Parisius, appellarunt; nos vero, quia parlamentum nostrum extitit prorogatum, ad supplicacionem dictorum vecturariorum, volentes eos expensis et laboribus in hujusmodi relevare, dilectis et fidelibus gentibus nostris presidentibus, Parisius, in camera Requestarum, mandavimus et commisimus quod ipsi quatuor vel tribus ex eis ad hoc congregatis, vocatisque dictis partibus, preposito Parisiensi et aliis evocandis, appellacionis hujusmodi causam audirent et sine debato terminarent, non obstante prorogacione predicta : Qui presidentes, secundum dicti mandati nostri tenorem, in causa hujusmodi procedentes, vocatis preposito Parisiensi, dictis partibus et aliis evocandis, et auditis omnibus que ipsi hinc inde proponere voluerunt, visisque ac diligenter examinatis processu et judicato predictis, per suum judicium, pronunciaverunt predictum prepositum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Martis ante Nativitatem Domini, anno trecentesimo quindecimo.

Ad audiendum reportum istius processus et faciendum presens judicatum presentes fuerunt Poicheron, Forgetes, Pasquerius, Bituris, et Dyvio qui dictum reportavit processum (29).

XCIV. Cum in causa, coram preposito Parisiensi pendente, inter Martinum de Lauduno, caligarium, super quibusdam vulneribus et lesione eidem, ut dicebat, illatis, agentem, ex una parte, et Da-

nielem Britonem, caligarium, et Aelidim, ejus uxorem, defendentes, ex altera, dictus prepositus, cognito de dicta causa et concluso in ea, per suum judicium, condempnasset dictos conjuges ad solvendum dicto Martino, pro lesione predicta, triginta libras Parisienses, et nobis centum solidos Parisienses, pro emenda, dictique conjuges, a dicto judicato, tanquam falso et pravo, et a dicta condempnacione, tanquam immoderata, ad parlamentum, Parisius, appellassent, et nos ad dicti Martini requisicionem, gentibus nostris, Parisius, in camera requestarum presidentibus, per nostras mandassemus litteras, ut ipsi, prorogacione parlamenti Parisiensis, non obstante, dictam appellacionis causam, vocatis partibus, audirent, et, sine debato, terminarent, predicti magistri, virtute dicti mandati, ad cognicionem dicte cause, vocatis partibus, procedentes, auditis hinc inde propositis, et visis processu et judicato predictis, per suum judicium, pronunciaverunt, predictum prepositum bene judicasse, et dictos conjuges male appellasse; verumtamen, propter dictorum conjugum paupertatem, ipsi ordinaverunt quod dicte triginta libre, per tres annos proximos, solventur eidem Martino, videlicet, anno quolibet, decem libre Parisienses, ad quatuor terminos, Parisius, consuetos, in quolibet termino quinquaginta solidi Parisienses, primo termino dicte solucionis, in instanti festo resurectionis Domini inchoante; emendam vero ad quam dicti conjuges tenebantur, pro eo quod ipsi male appellaverunt, propter eorum paupertatem, dicti magistri remiserunt eisdem.

Louis X, 1315.

Sabbato ante festum Cathedre Sancti-Petri, anno trecentesimo quindecimo.

XCV. Cum Guerinus de Walers conqueretur ex eo quod, ut ipse dicebat, Theobaldus dictus Arragon, serviens de Onchiis, ex potestate sui officii, quemdam equum dicti Guerini, in domo sua, et contra ejus voluntatem, ceperat et illum tradiderat et liberaverat cuidam qui falsas litteras, sub nomine cancellarii domini Regis, falso confectas deferebat, qui falsarius, cum dicto equo fugiens, reces-

Louis X, 1315.

sit, quare petebat dictum Theobaldum compelli ad reddendum sibi dictum equum vel ejus valorem, dicto Theobaldo plures raciones, ad sui defensionem, e contrario proponente; tandem certi commissarii deputati fuerunt, de consensu dictarum parcium, ad inquirendum, super factis dictarum parcium, veritatem; inquestam vero, per dictos commissarios, vocatis partibus, super hoc factam, dominus Rex, cum suis litteris patentibus, misit Parisius, per magistros in camera requestarum ibidem presidentes statim judicandam; qui magistri, per litteras dicti domini Regis, dictas partes, coram se, Parisius, ad certam diem, citari fecerunt, ad videndum judicari dictam inquestam: Ad quam diem, comparentibus dicto Theobaldo, pro se, et, pro Guerino predicto, Renerio le Don de Vallers, ejus procuratore, auditis omnibus que ipsi proponere voluerunt et visa inquesta predicta, dicti magistri, virtute dicti mandati, super hoc, eis facti, ad judicandum dictam inquestam, procedentes, predictum Theobaldum, per suum judicium, condempnarunt ad reddendum dicto Guerino equum suum predictum, vel ejus valorem, videlicet duodecim libras Turonenses, si idem Guerinus dictum valorem, coram preposito loci, juraverit usque ad dictas duodecim libras, et si minus juraverit, illud sibi solvatur, et, super dampnis que dictus Guerinus, propter hoc, ultra valorem dicti equi dicitur incurrisse, reservaverunt sibi actionem suam contra dictum Theobaldum, per competentem judicem, vocatis partibus, decidendam; dictoque Theobaldo reservaverunt actionem suam contra dicti equi detentores, ad ejus recuperacionem, per actionem civilem, coram judice competenti, et, quia, per dictam inquestam, inventum est quod dictus Theobaldus male motus erat contra dictum Guerinum de ipso dampnificando, et quod ipse, pro eo quod dictus Guerinus noluerat sibi commodasse equos suos, pro suo marreno adducendo, jactaverat se quod ante omnes alios ipse acciperet equos suos, quociens casus se offerret de capiendis equis, dicti magistri, per idem judicium, pronunciaverunt quod dictus Theobaldus de cetero nullum officium servientis possit exercere, nec aliquam execucionem facere contra dictum Guerinum,

familiam et liberos ejus, eciam emancipatos vel uxoratos, nec in eorum bonis aut cujuslibet eorumdem, quodque dictus Theobaldus, si contra hoc fecerit, puniatur, et quod de cetero dictus Guerinus et sui predicti impune non pareant eidem servienti. Louis X, 1315.

Mercurii in vigilia Annunciacionis dominice, anno trecentesimo quindecimo.

XCVI. Item processus inter P. Ricavi et Johannem Vituli, super debato ecclesie parrochialis Sancti-Thome de Bello-Vicino, Nemausensis diocesis, judicatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCVII. Item processus inter Hugonem de Cornelio et episcopum Caturcensem, super quo curia ordinavit, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCVIII. Item inquesta inter dominos de Borbonne, ex una parte, et homines et habitatores dicte ville de Borbone, ex altera, racione status dictorum hominum michi tradita per M. R. Thibotot, super qua dicte partes fuerunt audite, et non fuit judicata, propter plures defectus in ipsa repertos, sed reficienda est omnino, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIX. Item informacio, pro priore et capitulo beate Marie de salis Biturisensibus, que ex causa non fuit judicata, sed fuit sibi concessa littera de justicia ut per viam actionis audiantur.

C. Cum, ad requisicionem dilecti et fidelis nostri episcopi Meldensis dicentis se solum et insolidum esse, et predecessores suos fuisse, in saisina chaciandi ad feras quascumque in nemoribus dilecti et fidelis Guillelmi Flote, militis nostri, de Moncellis, conquerensque ex eo, ut ipse dicebat, quod dictus Guillelmus predecessorem suum impediverat, et de novo, ac ipsum ejus successorem in dicto episco-

Louis X, 1315.

patu, impediebat injuste in saisina predicta, tam karissimi genitoris nostri, quam postea nostra manus tanquam superioris, propter debatum dictarum parcium, super hoc pendens in parlamento, Parisius, fuisset posita in chacia predicta, et deinde ad instanciam dicti episcopi causam hujusmodi prosequentis, per certum servientem, ex parte nostra, super hoc, deputatum, predicto Guillelmo et quibusdam aliis secum existentibus, videlicet Johanni de Sancto-Claro, militi, Gileto, ejus armigero, Colino de Granchia, Robino de Oysseriaco, juniori filio domini de Muris, et dicto le Page de Moncellis, cum quibusdam aliis suis complicibus, cum eodem ad chaciandum paratis, significatum fuisset, dictam manum nostram appositam esse in chacia predicta, propter debatum predictum, ac eisdem expresse prohibitum, ex parte nostra, ne ipsi, dicta lite pendente, et dicta manu ibidem existente, chaciarent ibidem, Guillelmus et ejus complices predicti, non obstantibus dicte manus nostre apposicione, et servientis predicti prohibicione, ac dicta lite pendente, in dictisnemoribus de Moncellis chaciarunt, et quemdam cervum ibi levaverunt, et postea insequendo in bosco de Verdelot ceperunt; de quo facto, dictus Guillelmus, predictos suos complices superius nominatos, et, super hoc, ad racionem positos, et dictum factum chacie confitentes, qui eciam ipsum, super hoc, in garandum advoarunt, de facto hujusmodi advoavit, et garantiam eorum, super hoc, recepit, dicens ipsos, de mandato suo, factum hujusmodi chacie fecisse, prout, per inquestam, vocatis partibus, inde factam, et ad judicandum, dilectis et fidelibus gentibus nostris camere Compotorum nostrorum, Parisius, missam, cum littera nostra patente continente certam formam, ex parte dicti Guillelmi super hoc impetrata, de predictis omnibus constitit evidenter: Dicte vero gentes nostre, vocatis secum, ad hoc, preposito Parisiensi, necnon pluribus personis de magistris magis ydoneis parlamenti nostri, quos commodius poterunt habere, predicte littere nostre tenore servato, vocatis et auditis dictis partibus, seu earum procuratoribus et consencientibus predictam inquestam per dictam cameram Compotorum judicari, virtute dicte littere, ex parte dicti Guillelmi sic

impetrate, et visa diligenter inquesta predicta, per suum judicium, condempnarunt predictum Guillelmum, pro se et dictis complicibus suis, ad resaisiandam dictam manum nostram de cervo predicto, vel alio animali equivalenti, et ad emendandum, tam nobis quam dicto episcopo, factum predictum*, quod animal vel precium quod inde habebitur in dicta manu nostra tenebitur usque ad decisionem cause principalis inter dictas partes pendentis. Louis X, 1315.

Ad cujus insuper emende taxacionem et levacionem dicte gentes nostre reservaverunt procedere quando eis videbitur expedire.

Sexta die aprilis, anno trecentesimo decimo quinto.

Ad hoc fuerunt presentes :

Dominus Hugo Dangeron, — M. J. de Dompno-Martino, — Dominus G. Courteheuse, — Dominus G. de Marcilliaco, — Guido Florent, — Cocatriz Bilionart, — R. Barbou, — J. Guerin, receptor, — J. Ploiebaut, — M. G., procurator et custos prepositure, — M. Philippus Conversi, — M. Andreas Poicheron, — Thesaurarius Lexoviensis, — M. B. de Mellento, — M. P. de Bituris, — M. Henricus de Meso, — M. Pasquerius, — M. Renerius de Bosco.

Et cum Johannes dictus le Page, de Moncellis, procurator dicti Guillelmi, a dicto judicato, ad nos de facto appellasset, licet, ut dicebatur, non posset, et dicte gentes nostre ipsum poni fecissent in prisione, Parisius, in Castelleto, quousque hoc eis emendasset, postea vero dictus Johannes, de dicta prisione revertens, dicte appellacioni renunciavit, et, propter dictam appellacionem sic per ipsum factam, cum non potuisset appellasse, dictis gentibus nostris gagiavit emendam.

Septima die aprilis.

Ad hoc fuerunt presentes:

M. J. de Dompno-Martino, — Dominus G. de Courteheuse, — Magister Parisius, — Guido Florent et Bilionart.

CI. Ludovicus, Dei gracia, Francorum et Navarre rex, preposito Parisiensi vel ejus locum tenenti salutem : Mandamus vobis quate-

Louis X, 1316.

nus, viso judicato, per dilectas et fideles gentes nostras camere nostre Compotorum, Parisius, et plures alios de magistris parlamenti nostri ad hoc specialiter vocatos, virtute litterarum nostrarum patencium eisdem gentibus nostris super hoc directarum, hiis diebus facto, tam pro nobis quam pro dilecto et fideli nostro episcopo Meldensi, contra dilectum et fidelem Guillelmum Flote, militem nostrum, super resaisianda nostra manu tanquam superioris, de quodam cervo, supra dictam manum nostram, et lite pendente, in parlamento nostro, per eundem Guillelmum et ejus complices levato et chaciato in boscis suis de Moncellis, dictum judicatum, prout in eodem contineri videbitis, visis presentibus, execucioni debite faciatis demandari.

CII. Cum inter Adam de Meullento domini Regis panetarium, ex una parte, et Johannem Arrode, civem Parisiensem, ex altera, coram preposito Parisiensi, causa fuisset mota, super pluribus convencionibus quas dicebat dictus Adam habitas et firmatas fuisse inter ipsos Adam et Johannem, racione domus portus de Nuilliaco et ejus pertinenciarum, que res fuerant Philippi le Flament, quondam civis Parisiensis, et quas idem Philippus, tempore quo ipse vivebat, Glatero de Broissellis, tunc civi Parisiensi vendiderat, ex cujus Galteri successione postea dicte res in partagium devenerant ad Philippam, dicti Johannis uxorem, filiam quondam ejusdem Galteri, per quas convenciones, asserebat dictus Adam, eundem Johannem inter cetera sibi promisisse quod ipse Johannes, suo et dicte uxoris sue nomine, dimitteret eidem Ade, per bursam, res predictas, et earum saisinam soluta dicta bursa, sibi traderet, si in hoc consentiret Petrus le Flament, frater quondam dicti Philippi, qui Petrus, super dictarum rerum retractu per bursam, in Castelleto, Parisius, litigabat cum Johanne et ejus uxore predictis, dicebat insuper dictus Adam quod idem Petrus, suum in hujusmodi prestiterat assensum, dictusque prepositus, lite, in causa hujusmodi, contestata, et auditis, super hoc, dictis partibus, et visis earum probacionibus et concluso in dicta

causa, judicatum suum tulisset, pro dicto Adam, contra Johannem predictum, idem Johannes a dicto judicato tanquam falso et pravo, ad parlamentum nostrum, Parisius, appellavit; nos vero, ad dicti Ade requisicionem, dilectis et fidelibus nostris magistris, Parisius, in camera Requestarum presidentibus, per nostras mandavimus et commisimus litteras, ut ipsi, prorogacione dicti parlamenti non obstante, dictam appellacionis causam, vocatis partibus, audirent et sine debito terminarent : Qui magistri, virtute dicti mandati nostri, ad cognicionem dicte cause, vocatis dictis partibus, procedentes, auditis hinc inde propositis, et visis processu et judicato predictis, habitaque deliberacione, super hoc, diligenti, per suum judicium, pronunciaverunt dictum prepositum male judicasse, et predictum Johannem bene appellasse, et quod judicatum predictum non mandabitur execucioni. Louis X, 1316.

Decima tercia die maii, videlicet jovis ante Ascensionem Domini, anno trecentesimo decimo sexto.

Ad hoc fuerunt presentes:

Episcopus Macloviensis, — M. Scolasticus Pictavensis, — M. Philippus de Mornayo, — M. Andreas Poicheron, — M. R. de Meullento, — M. G. de Gisorcio, — M. Pasquerius, — M. Henricus de Meso, — M. P. de Lingonis, qui reportavit processus, — M. P. de Bitterris, — et dominus H. de Cella, qui pronunciavit arrestum.

CIII. Cum, coram preposito Parisiensi, abbas et conventus Sancti-Mauri de Fossatis, de speciali garda nostra existentes, et Petrus de Lices, eorum justiciabilis, in quantum quemlibet eorum tangebat, conquesti fuissent de Gaufrido Cocatriz, cive Parisiensi, Oudardo le Bourgeignon et Adam Pignel de Corbolio, in quantum tangebat quemlibet eorumdem, dicentes quod dicti Oudardus et Adam, ut dicitur, servientes seu ministri dicti Gaufridi, ipsius nomine, injuste et de novo, et in prejudicium dictorum religiosorum et Petri, arrestaverant et ceperant equos et farinam dicti Petri, justiciabilis et bannerii dictorum religiosorum, quam farinam idem Petrus faciebat adduci

Louis X, 1316.

de molendino bannerio dictorum religiosorum, juxta Corbolium existente, certam peticionem contra ipsos, super hoc, facientes, ad finem quod eisdem conquerentibus dicti equi et farina redderentur, et quod hujusmodi novitas nobis et ipsis emendaretur, dictique Gaufridus, Oudardus et Adam, pluribus racionibus peciissent se, super peticione predicta, ad prepositum Corbolii remitti, parte adversa plures raciones e contrario proponente, ad illum finem quod non esset dicta remissio facienda, pluribus racionibus et factis contrariis super hujusmodi remissione facienda, vel non facienda, hinc inde propositis, pluribusque probacionibus, super hoc, a dictis partibus productis; tandem auditis hinc inde propositis, et visis probacionibus super dictis factis parcium predictarum productis, dictus prepositus, per suum judicium, curiam et cognicionem dicte cause, ad prepositum Corbolii remisit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictorum religiosorum procurator ad parlamentum nostrum, Parisius, appellavit; nos vero, ad dicti Gaufridi requisicionem, dilectis et fidelibus magistris Andree Poicheron, Petro de Bituris, clericis, Guillelmo Corteheuse, militi, ceterisque gentibus nostris, Parisius, in camera Requestarum presidentibus, per nostras mandavimus et commisimus litteras ut ipsi magistri, vel quatuor ex eis, si plures ad hoc vacare non possent, prorogacione dicti parlamenti non obstante, dictam appellacionis causam, vocatis partibus, audirent et sine debato terminarent; qui magistri, illi videlicet qui presentes erant in camera, et ultra numerum in dicta commissione nostra contentum, quibusdam aliis de dictis magistris ad hoc specialiter vocatis, absentibus et impeditis, secundum dicti mandati nostri tenorem, ad cognicionem dicte cause, vocatis dictis partibus, procedentes, dictisque tantummodo religiosis et Gaufrido causam appellacionis hujusmodi prosequentibus, auditis hinc inde propositis, et quibusdam racionibus, ex parte dictorum religiosorum contra dicte commissionis nostre tenorem propositis, ad finem declinandi dictorum magistratorum super hoc cognicionem, omnino rejectis, visisque judicato et processu predictis, habitaque deliberacione, super hoc, diligenti, per suum judi-

cium, pronunciaverunt dictum prepositum bene judicasse, et predictum procuratorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. Louis X, 1316.

Veneris ante Ascensionem Domini, anno trecentesimo decimo sexto.

Presentes ad hoc fuerunt :

M. Philippus de Mornaio, — M. Scolasticus Pictavensis, — Dominus Hugo de Cella, — M. G. de Dumo, — M. J. de Halis, — M. Pasquerius, — M. Henricus de Meso, qui reportavit inquestam, et P. de Bituris.

CIV. Processus inter magistrum et fratres domus leprosarie Meldensis et Johannem de Cregi; et est arrestum super hujusmodi factum in rotulo hujus parlamenti (30).

CV. Quedam littere et instrumenta inter dominum Thomam de Brueriis, militem, et Johannem de Claro-Monte et Johannem de Barbansone, milites, super quibus datum est arrestum, prout continetur in libro Arrestorum hujus parlamenti (31).

CVI. Item quidam processus inter procuratorem Regis et Guerinum le Jeune, ex una parte, et magistrum carnificerie Parisiensis, ex altera, qui parum valet, quia negocium per aliam viam fuit expeditum.

PHILIPPE V, 1316.

INQUESTE ET PROCESSUS

PER CURIAM JUDICATI IN PARLAMENTO OCTABARUM OMNIUM SANCTORUM,

ANNO DOMINI MCCCXVI.

Quia anno decimo quinto precedenti non fuit parlamentum (32).

I. Cum decanus et capitulum ecclesie Sancti-Amati Duacensis curie nostre conquesti fuissent, dicentes quod Baldoynus de Longo-Vado, miles, gardiator Duacensis, cum pluribus servientibus ejus armatis secum existentibus, hostium dicte ecclesie fregerat violenter, et inde extraxerat et secum duxerat duos homines qui, pro sua tuicione, ad ipsius ecclesie confugerant immunitatem, requirentes dictam ecclesiam resaisiri, et factum hujusmodi competenter emendari; et dictus gardiator, pro sua et servientum suorum defensione, plures raciones e contrario proposuisset, per quas ipse dicebat juste et licite factum fuisse quicquid per ipsum et suos servientes factum fuerat in predictis; curia nostra, super hiis et super totali facto predicto volens ad plenum certificari, ut super dicta requesta fieri faciat, prout ad eam pertinuerit, quod fuerit racionabiliter faciendum, mandavit inquiri super predictis omnibus veritatem : Inquesta igitur super hiis facta, visa et diligenter examinata, per nostram curiam, dictum fuit et preceptum quod cum dictus gardiator viam sit universe carnis ingressus, dicti servientes, qui de dicti gardiatoris mandato fractionem et violenciam fecerunt predictas, proxima die dominica, post octabas illius diei qui presens recipietur mandatum, hora tercia, cum humilitate venient ad portam dicte ecclesie, et ibidem dictis decano et capitulo, in presencia omnium assistencium, pro facto predicto, flexis genibus, gagiabunt emendam, veniam postulando, et dictam ecclesiam de duobus hominibus resaisient, pro debite conservanda dicte ecclesie

immunitate, et hiis mediantibus, dicti decanus et capitulum erunt contenti de emenda tocius facti predicti. PHILIPPE V. 1316.

Sabbato post octabas Sancti-Martini hyemalis.

Nomina servientum dicti defuncti Baldoyni, in facto istius violencie et fraccionis, que michi tradidit reportator hujusmodi inqueste, sunt ista :

Assonus dictus Major, — Colardus de Marithenis, — Johannes dictus Galans, — Walterus dictus Glerans, — Johannes de Halla, — et Bandetus de Insula.

M. Radulphus de Joyaco reportavit.

II. Cum major et jurati ville de Brueriis karissimum dominum et germanum nostrum Ludovicum, quondam Francie et Navarre regem, requisivissent ut ipse vellet eisdem dare licenciam quod ipsi, per eorum acquitacione, possessiones quasdam sitas apud Marchays domus leprosarie de Brueriis, cujus domus regiminis et disposicionis ipsi sunt in saisina, possint tanquam amortizatas, titulo vendicionis, in ecclesiasticas personas transferre, mediante recompensacione condigna, quam ipsi dicte domui proinde offerunt se facturos, et idem dominus et germanus noster, per suas litteras, mandavisset veritatem diligenter inquiri, de valore, situ et condicione dictarum possessionum de Marcheys, ac de valore, situ et condicione rerum quas dicti major et jurati offerunt, pro recompensacione predicta, et utrum fratres et sorores dicte domus in hujusmodi consenciant, et si in hoc esset utilitas vel dampnum domus predicte, et si ipse dominus et germanus noster, sine suo vel alterius prejudicio, dare posset licenciam predictam : Tandem inquesta super hoc facta, virtute dicti mandati, visa et diligenter examinata, per nostram curiam, dictum fuit quod ipsa, et ex causa, non dabit licenciam predictam.

Lune post Sanctum-Andream.

III. Cum Johannes Fichier, mercator Astensis, burgensis noster, ut dicitur, de Estrepigneyo in Normannia, curie nostre conquestus

PHILIPPE V, 1316.

fuisset quod Martinus de Parisius, tunc vicecomes Longi-Campi, ballivie Gysorcii, eo tempore quo karissimus dominus et germanus noster Ludovicus, tunc Francie et Navarre rex, dictum vicecomitatum, ex certa causa, tanquam sibi commissum, tenebat, eundem Johannem, sine causa racionabili, imprisionaverat et diu detinuerat carceri mancipatum, bonaque sua injuste ceperat et secum portaverat, et eidem Johanni, super taxacione cujusdam emende, quam ipse dicto vicecomiti gagiaverat, in jure sibi reddendo fuerat defectivus, super quo idem Johannes dicebat se a dicto vicecomite, a defectu juris, ad nostram curiam, secundum patrie consuetudinem, legittime appellasse, requisivisset dicta bona sibi reddi et restitui, et dampna, per hoc sibi illata resarciri, dictusque Martinus e contra proponens quod cum dictus Johannes quamdam litteram sub debito certo confectam, contra certas personas in ea contentas, coram eodem vicecomite, peciisset execucioni mandari, parte adversa satisfaccionem in toto vel in parte contra ipsum, super hoc, proponente, idem Johannes judicatum contra se, super hoc, habuit, et tamquam ille qui plus pecierat quam sibi deberetur, super hoc, gagiavit emendam, pro qua solvenda dictus vicecomes eumdem Johannem incarceravit, quousque de dicta emenda solvenda caucionem sufficientem dedisset; quem carcerem idem Johannes fregerat, ut dictus Martinus dicebat, quare petebat eumdem Johannem ad carcerem predictum reduci, ut, super factis hujusmodi, coram dicto vicecomiti staret juri; gentibus karissime domine nostre Clemencie regine, que modo terre dicti vicecomitatus est domina, super hoc, una cum dicto Martino, petentibus curiam sibi reddi, plures raciones, ad finem dicte curie, proponendo : Tandem auditis hinc inde propositis, et visis processibus, super hoc, habitis, ac litteris a dictis partibus, super hoc, exhibitis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod curia et cognicio, super hiis omnibus, nobis remanebit, nec fiet, super hoc, remissio ad reginam predictam, et quod dicte emende et tocius facti predicti nobis applicabitur emolumentum; et sub ydonea caucione curie nostre prestanda, dictus Johannes, propter hoc arrestatus, deliberabitur, et ejus bona per dictum

Martinum, predicta racione capta, sibi deliberabuntur, et idem Martinus ad reddendum eidem Johanni dicta bona sua, tamquam judex et officialis tunc noster, per nos efficaciter compelletur. PHILIPPE V, 1316.

Martis in octabis Sancti-Andree[1].

IV. Mota controversia, coram inquisitoribus in senescallia Tholosana pro reformacione patrie novissime deputatis, inter procuratorem nostrum dicte senescallie et Poncium Pradenquini, olim bajulum firmarium de Borrello, ex una parte, et homines de Borrello, ex altera, super eo quod dicebant dicti Poncius et procurator quod cum nos essemus, et predecessores nostri hactenus fuissent, in bona saisina levandi et percipiendi novam gerbam de fructibus excrescentibus in terris agrarialibus dictorum hominum, nulla deduccione seu detraccione facta undecime gerbe pro secaturis, et ad querimoniam dictorum hominum, Raymondus Costa, olim judex Verduni, in prejudicium nostrum et saisine predicte, non vocato ad hoc procuratore nostro, ordinasset dictos homines dictam undecimam gerbam pro secaturis posse et debere detrahere, et de residuo nobis novam gerbam solum debere; dicebant insuper dicti Poncius et procurator quod cum episcopus Briocensis et Aymericus de Croso, senescallus Carcassonensis, ad partes senescallie Tholosane, pro reformacione patrie tunc destinati, dictam ordinacionem dicti judicis revocassent ordinassentque, cum cause cognicione, nos debere remanere in saisina levandi et percipiendi dictam novam gerbam, sine aliqua detraccione undecime gerbe predicte, et dictum impedimentum, super hoc, nobis appositum, essea movendum, et dicto Poncio, pro tempore quo ipse fuit bajulus dicti loci, id quod dicti homines, racione undecime gerbe predicte, levaverunt et asportaverunt, esse restituendum, mandatumque fuisset per litteras carissimorum predecessorum nostrorum senescallo Tholosano quod ipse dictam ordinacionem execucioni mandaret, si eam talem inveniret, quod non fecit idem senescallus; quare supplicaverunt dicti Poncius et procurator, coram

[1] On lit en marge : *Sciatur quod factum est de hoc.*

PHILIPPE V, 1316.

reformatoribus novissime ad dictam patriam destinatis, dictam ordinacionem per ipsos episcopum et Aymericum factam, execucioni demandari; dictis hominibus de Borrello, ex adverso excipiendo, pluribus racionibus dicentibus dictam execucionem non esse faciendam, pro eo maxime quod quando dicti reformatores ad partes Tholosanas accesserunt, pendebat lis, super hoc, coram senescallo Tholosano, qua pendente, dicti inquisitores ordinacionem fecerunt predictam, quare petebant eam non debere valere; iterum quia neutra pars erat officialis noster, nec officialis fuerat predecessorum nostrorum; tandem, dictis partibus presentibus in judicio, coram predictis reformatoribus, et productis in judicio, coram eis, antiquis cartis infeodacionum ab utraque parte in modum probacionis exhibitis, dicti reformatores declaraverunt et pronunciaverunt, non obstantibus lite predicta et facto dicti judicis Verduni, nos debere remanere in saisina levandi et percipiendi novam gerbam de dictis terris dictorum hominum, nulla detraccione facta undecime gerbe predicte, et dicto Poncio esse restituendum id quod dicti homines asportaverunt, racione dicte undecime gerbe, pro tempore quo ipse fuit bajulus de Borrello; a qua declaracione seu pronunciacione dicti homines ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur, super hoc, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso toto processu predicto et diligenter examinato, per judicium nostre curie dictum fuit predictos reformatores bene ordinasse, et dictam eorum ordinacionem debere execucioni mandari, nosque debere remanere in saisina levandi et percipiendi dictam novam gerbam de terris dictorum hominum de Borrello, nulla detraccione facta undecime gerbe predicte, et dicto Poncio esse restituendum id quod levaverunt dicti homines, racione dicte undecime gerbe, pro tempore quo ipse fuit bajulus de Borrello, salva questione proprietatis dictis hominibus de Borrello, quando ipsi, super hoc, voluerint experiri.

Lune post Sanctam-Luciam.

M. Nicolaus de Braye reportavit.

V. Lite mota inter magistrum Michaelem de Calciata, procuratorem Regis in ballivia Avernie, ex una parte, et Petrum Bertrandi, presbiterum, ex altera, coram inquisitoribus deputatis in Avernia pro reformacione patrie, virtute commissionis sibi facte per dominum Regem, et habita, super hoc, auctoritate episcopi Claromontensis, super multis excessibus, et indebitis capcionibus et extorsionibus factis per dictum presbiterum per potenciam officii regii eo tempore quo ipse fuerat in officio Regis, proponens dictus procurator, contra dictum presbiterum, quod dictus presbiter fuit locum tenens duorum cancellariorum quondam Ryomi, per spacium decem annorum et amplius, et utebatur omnimoda juridicione pertinente ad cancellariam, tam in presencia eorum quam in absencia, et quod solus servabat sigillum et recipiebat emolumenta sigilli et utrumque reponebat in quadam archa cujus clavem ipse solus deferebat, et cum dicti sigilli emolumentum deferret ad dictam archam, de bursa ubi reponebatur, multociens capiebat de peccunia plena manu et ponebat in pantoneria sua, vel aliquociens mittebat alicui persone de villa. Item, proponebat dictus procurator contra dictum presbiterum, quod, eo tempore quo dictus presbiter fuit locum tenens, ut dictum est, dictum sygillum Ryomi valuit fere in duplo plus quam ante vel post, et tamen dictus presbiter non computavit de toto emolumento dicti sigilli et scripture ultra octingentas libras Turonenses, pro quolibet anno, quamvis ante et post communiter de dicto sigillo et scriptura, computatum sit quolibet anno, aliquando mille et centum libre, aliquando mille et ducente libre, aliquando mille et trecente libre, aliquando mille et quadringente libre, et dicebat dictus procurator, quod dictus presbiter, eo tempore quo ipse primo accessit ad officium dicti sigilli, pauper erat nec habebat ultra valorem sexaginta librarum, et quod, finito officio predicto, ipse habebat valorem quatuor millium librarum et ultra; quare dicebat dictus procurator quod dictus presbiter ditatus erat de peccunia regia furtive, et petebat ipsum compelli ad restituendum domino Regi predicta emolumenta per eum furtive retenta, prout per curiam nostram fuerint taxata;

PHILIPPE V, 1316.

PHILIPPE V, 1316.

dicto presbitero ad predicta non respondente, licet pluries, super hoc, requisito, immo juridiccionem dictorum inquisitorum semper declinante ; tandem dicti inquisitores volentes, super premissis, scire veritatem, commiserunt Durando Gregorii, cancellario Ryomi, et Petro de Ultra, ut, vocatis partibus super premissis, contra dictum presbiterum, tamquam officialem Regis, inquirerent veritatem, et inquestam hujusmodi, sub sigillis suis inclusam, curie Regis remitterent judicandam ; qui commissarii, dicto presbitero sufficienter vocato, et per contumaciam absente, inquisiverunt, super hiis, cum diligencia, veritatem, et inquestam, super premissis factam, sub sigillis suis interclusam remiserunt curie nostre judicandam : Visa igitur dicta inquesta per curiam nostram, et diligenter examinata, ad illum finem ad quem potuit, per curiam nostram videri contra officialem Regis, et visis dicto processu et deposicionibus testium, super hoc, productorum, per judicium nostre curie, quantum ad eam pertinet contra Regis officialem procedere, dictum fuit predictum procuratorem Regis intencionem suam, et dicta objecta contra dictum presbiterum, tamquam officialem Regium, sufficienter probasse, dictumque presbiterum, tamquam officialem regium, pro dictis emolumentis per eum injuste retentis, eorum summa per curiam nostram moderata, et minus eciam taxata, teneri ad reddendum domino Regi duo millia librarum Turonensium bonorum; quodque dominus Rex in officiis suis dictum presbiterum de cetero non ponat.

Lune post Sanctam-Luciam.

M. Nicolaus de Braye reportavit.

VI. Mota discordia, in curia senescalli Petragoricensis, inter Bernardam Rodalada, Guillermum de Bello-Forti, Bertrandum de Bello-Forti, presbiterum, Guillermum et Geraldum de Monte-Acuto, et quosdam eorum consortes, ex una parte, et Ratherium, Remundum et Rogerium de Podio-Celsi, fratres, et quosdam suos complices, ex alia, super eo quod Bernarda Rodalada predicta, cum protestacione, quod non faciebat se partem contra dictos fratres et eorum complices

denunciando, contra ipsos proponebat, quod ipsi, more hostili, cum armis prohibitis, et contra editum regium venientes in villam de Podio-Ruppis, contra Raimundum Redolat, filium suum, ac suos concomites, Raymundum Redolat predictum, sine justa et legitima causa interfecerunt ac eciam quod, post dictum maleficium consummatum, dicti fratres et sui complices, cum armis prohibitis, Guillermum de Bello-Forti, Bernardum de Bello-Forti, presbiterum, et suos concomites fugaverant extra villam, ipsos hostiliter prosequentes, quamplures eciam alios enormes excessus faciendo contra ipsos, requirens dicta denuncians locum tenentem predictum, ut, ex officio suo, de predictis excessibus inquireret veritatem, ac de ipsis faceret justicie complementum; dictis fratribus ex adverso, ad sui defensionem, proponentibus, quod Guillermus de Bello-Forti, Raymundus Redolat, ac sui complices predicti, villam de Podio-Ruppis intrantes, cum armis prohibitis, per magnam horam, in magna karreria dicte ville ante operatorium Bernardi Garnerii, sartoris, steterunt, sicut videbatur, aliquid mali facere proponentes, ac cum Ratherius de Podio-Celsi iret per dictam karreriam, ad domum suam, dictus Raymundus Redolat, invadens eumdem Ratherium, ipsum accepit ad vestes, et illico, extrahens gladium, percussit ipsum gladio pluries ac eciam ipsum juxta collum et in dorso vulneravit, eumdem nitens interficere, et quod ibidem eciam illico Guillelmus de Bello-Forti et sui complices predicti, contra ipsum Ratherium, cum armis prohibitis et gladiis evaginatis, irruerunt, ipsum interficere satagentes; qui Ratherius, propter imminens mortis periculum, ad auxilium proclamavit; dicti vero fratres, ludentes ad tabulas, prope domum suam, sic Ratherium, fratrem suum, auxilium proclamantem audientes et ad locum conflictus venientes ac suum fratrem predictum in tam imminenti mortis periculo existere videntes, ipsum juvaverunt, ac eumdem, pro posse suo, de dicto mortis periculo excusserunt, vim vi cum moderamine inculpate tutele repellendo; item et quod si, post predicta consummata, dicti fratres Guillelmum de Bello-Forti et suos complices fuerunt cum armis prosecuti, ipsi tamquam domini, pro

Philippe V, 1316.

parte, dicti castri, in qua habent omnimodam juridicionem altam et bassam, hoc fecerunt; tandem, in curia senescalli predicti, vocatis dictis partibus et auditis, ac visa inquesta, super hoc, facta, locum tenens senescalli predicti dictos fratres de Podio-Celsi ac suos complices ab homicidio predicto, per suum judicium, absolvit, et quia constabat eidem locum tenenti, Guillelmum de Bello-Forti, Bertrandum de Bello-Forti, presbiterum, Guillelmum et Geraldum de Monte-Acuto esse et fuisse, in facto hujusmodi de societate dicti Raymundi invadentis, ac simul cum eo intrasse dictum castrum, cum armis, et dictum Ratherium, gladiis evaginatis, invasisse, per idem judicium, Guillelmum de Bello-Forti predictum in sexaginta libris Turonensium parvorum, Guillelmum et Geraldum de Monte-Acuto in sexaginta libris Turonensium parvorum, et quod, de bonis dicti Bertrandi de Bello-Forti, presbiteri, acciperentur triginta libre Turonensium parvorum nobis, pro emenda dicte delacionis armorum et invasionis applicanda, condampnavit; insuper, et, cum constaret locum tenenti predicto, post predicta consummata et sedata, Ratherium, Raymundum et Rogerium de Podio-Celsi, fratres predictos, se armasse lanceis, scutis et aliis armaturis, sicque armatos fugasse dictum Guillelmum de Bello-Forti et suos complices predictos extra villam de Podio-Ruppis predictam, quod videbatur eos fecisse ad vindictam pocius quam causa juridicionis exercende, ideo, per dictum judicium suum, dictos fratres de Podio-Celsi in octoginta libris Turonensibus nobis, causa emende, applicandis condampnavit, et nichilominus locum tenens predictus dictas partes in viginti libras Turonenses magistris Raymundo Constancii et Guillermo de Scalario, notario, commissariis hujus cause, racione sui salarii, dandis et solvendis, ac quamlibet parcium in gagio bajuli loci predicti, per idem judicium, condampnavit; a quibus condampnacionibus dicte partes ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur, in causa appellacionis predicte, dictis partibus, in curia nostra, et visis inquesta et processu predictis, per judicium nostre curie, dictum fuit locum tenentem predictum, quantum ad dictum Guillermum de Bello-Forti, Guillermum et

Geraldum de Monte-Acuto bene judicasse et ipsos male appellasse; quantum autem ad dictum Bertrandum de Bello-Forti, presbiterum, ac quantum ad dictos fratres de Podio-Celsi, locum tenentem predictum male judicasse et ipsos bene appellasse, hoc excepto quod dicti fratres de Podio-Celsi porcionem ipsos contingentem de dictis viginti libris Turonensibus notario et commissariis predictis adjudicatis persolvent. PHILIPPE V, 1316.

Jovis ante Nativitatem Domini.

M. J. de Halis reportavit.

VII. Cum ad noticiam senescalli Ruthenensis, ex relacione quorumdam pervenisset quod quidam de familia et commensales prioris Sancti-Crispini dicte senescallie, insidiose et cum armis, ipso priore ratum habente, Johannem Ryffi, officialem nostrum, invaserunt, et letaliter vulneraverunt, eumdem arrestatum tenendo, ipso priore ex post facto invadentes predictos, in contemptum nostrum et nostre juridicionis, receptante, quare senescallus predictus Raymundo Blanqui, per suas patentes litteras mandavit et commisit ut, de predictis excessibus, inquireret veritatem, et, quos de predictis culpabiles inveniret, caperet et captos, sub fideli custodia, faceret ad dictum senescallum adduci; virtute cujus mandati, commissarius predictus, priorem Sancti-Crispini, predictum Guillelmum Trolhaz et Petrum Garfim, coram se, ad certam diem, per servientem regium fecit adjornari; qui prior et alii citati predicti non venerunt ad dictam diem nec pro se miserunt, quare dictus commissarius ipsos posuit in defectu, et processit ad inquirendum, super hiis, veritatem, post que senescallus predictus Johanni de Avinione et Petro de Bello-Monte commisit ut inquestam, super predictis, per dictum Raymundum inceptam, que completa non erat, perficerent et complerent, ac eam perfectam sibi remitterent judicandam; qui commissarii, virtute dicte commissionis fecerunt coram se dictum priorem citari; procuratore igitur dicti prioris pro ipso, coram commissariis predictis comparente, ac, declinando forum commissariorum predictorum,

PHILIPPE V, 1316.

proponente quod dictus prior est et erat monachus et religiosus, ac eciam, per ipsum procuratorem, protestato quod non intendebat, per aliqua que ipse diceret, consentire in eosdem tamquam in judices, ad innocenciam tamen dicti prioris ex habundanti ostendendam, proposuit plures excusaciones coram commissariis predictis; tandem inquesta et processu predictis ad locum tenentem senescalli predicti pro ipsis judicandis asportatis, locum tenens predictus, viso et examinato processu predicto, per suam diffinitivam sentenciam, dictum priorem in ducentis libris Turonensibus levandis de bonis dicti prioratus et nobis, pro emenda, receptacionis malefactorum predictorum, applicandis condampnavit; a qua quidem sentencia, tamquam ab iniqua, procurator prioris predicti ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis inquesta et processu predictis, quia curia nostra plures defectus in dicto processu invenit, propter quos non potuit judicari, ipsa curia nostra, per suum judicium, processum predictum adnullavit, nobis pro jure nostro, per idem judicium reservato quod senescallus predictus de dicta portacione armorum, vulneracione et receptacione predictis inquiret, vocatis procuratore nostro, priore predicto et aliis evocandis, plenius veritatem, ac, servando jus nostrum, faciat super hiis, quamtum ad ipsum pertinet, justicie complementum.

Jovis ante Nativitatem Domini.

M. J. de Halis reportavit[1].

VIII. Cum ad noticiam senescalli Petragoricensis, seu ejus locum tenentis, pervenisset quod, cum Guillelmus de Marchia et Petrus Basterii, consortes in operatorio eorumdem, verba contumeliosa dixissent Petro Bocherii de Salarto[2], seniori, prefatus Petrus Bocherii, volens habere ulcionem de eisdem, ivit quesitum Guillelmum e Hugonem Lapinassa, fratres de Sarlato, causa dampnificandi consor-

[1] On lit en marge : *Fiat super hoc littera ad senescallum Ruthenensem.*

[2] Lisez *Sarlato.*

tes predictos, quodque parum post premissa dictus Petrus Bocherii, irato animo, ad dictum operatorium reversus fuit festinanter, cum fratribus supradictis, cumque Guillermus de Marchia et Petrus Basterii predicti viderent Petrum Bocherii et fratres predictos sic irato animo venientes, ob timorem ipsorum et propter futurum evitandum periculum, requisierunt Heliam de Albusone, locum tenentem bajuli de Sarlato, quod ipse citaret Petrum Bocherii et fratres predictos ad proximam assisiam dicti senescalli, coram ipso, pro prestanda securitate consortibus predictis; qui quidem locum tenens, ad requisicionem ipsorum consorcium, incontinenti citavit fratres et Petrum Bocherii predictos ad dictam assisiam prestaturos securitatem legittimam memoratis consortibus, in curia senescalli predicti, ac eciam inhibuit idem locum tenens, ex parte nostra, eisdem ne dictis consortibus aliquas inferrent injurias, violencias vel excessus. Item et quod factis citacione et inhibitione predictis, Petrus Bocherii, Guillelmus et Hugo Lespinassa predicti injuriose in dictos consortes irruerunt, et dictum operatorium intraverunt dictosque consortes invaserunt, percusserunt, vulneraverunt, in contemptum juridicionis nostre necnon citacionis et inhibicionis predictarum; super quibus injuriis, violenciis et excessibus, locum tenens predictus coram se fecit ad certam diem evocari fratres et Petrum Bocherii predictos, super dictis injuriis et excessibus responsuros; qui Petrus Bocherii et fratres predicti, in judicio existentes, contenta in prevencione predicta negaverunt esse vera; lite igitur in curia senescalli predicti inter ipsas partes contestata, jurato de calumpnia, visisque et diligenter attentis racionibus et allegacionibus dictarum parcium, deposicionibusque testium, super predictis productorum, locum tenens predictus dictos Petrum Bocherii in triginta libris Turonensium parvorum, Hugonem in aliis triginta libris et Guillelmum in viginti libris nobis, pro emenda excessuum predictorum, applicandis, et in gatgio bajuli dicti loci, ac eciam in centum solidis magistro Guillelmo de Caslario, hujus cause commissarius, pro suo labore, solvendis, per diffinitivam sentenciam condampnavit; a qua quidem sentencia, tamquam

PHILIPPE V, 1316.

PHILIPPE V, 1316.

iniqua, condampnati predicti ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis predictis processu, deposicionibus testium et allegacionibus parcium, et diligenter examinatis, per judicium curie nostre, dictum fuit locum tenentem predictum bene judicasse et appellantes predictos male appellasse, et quod dicte condampnaciones mandabuntur execucioni.

Jovis ante Nativitatem Domini.

M. J. de Halis reportavit.

IX. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem Guillebaudi de Chilleuse, militis, actorem, ex una parte, et Stephanum de Calvo-Monte, reum, ex altera, super eo quod dictus procurator petebat quasdam expensas, dampna et interesse quas fecerat et sustinuerat dictus miles, litigando contra eumdem Stephanum, in quadam causa, quam idem miles prius habuerat cum magistro Guillelmo Poileve, tutore seu curatore Johanne, filie defuncti Thome Poilleve, nomine tutorio vel curatorio dicte Johanne, in qua quidem causa, dictus Stephanus liti se obtulit, dicens se habere causam et potestatem suscipiendi in se onus dicte litis, et offerens se paratum facere fidem de predictis; in qua quidem causa, postmodum dictus prepositus processum factum inter dictum procuratorem dicti militis et dictum Stephanum pronunciavit esse nullum; a quo judicato non extitit appellatum; dicebatque dictus procurator quod per factum, maliciam et fraudem dicti Stephani, expendit dictus miles, tam in advocatis quam litteris et aliis necessariis in dicta lite, quinquaginta libras Parisienses, quare petebat dictus procurator quod dictus prepositus condampnaret dictum Stephanum et compelleret ad solvendum et reddendum sibi dictas quinquaginta libras, taxacione judicis precedente, dicto Stephano e contrario, litem contestando, proponente quod ipse non tenebatur dictas expensas reddere, nec debebat condampnari in petitis; immo petebat, pluribus racionibus, se absolvi a peticione predicta, et maxime quia dicebat quod consuetudo

est notoria et approbata quod qui litigat in curia seculari, quantumcumque subcumbat, non tenetur ad expensis partis vencentis; dicto procuratore contrariam consuetudinem proponente (33); tandem, auditis, super hoc, dictis partibus, et visis earum probacionibus et processibus, dictus prepositus, taxatis per eum prius dictis expensis, et super eis recepto juramento dicti procuratoris, per suum judicium, condampnavit dictum Stephanum in viginti libris Parisiensibus, pro expensis predictis; a quo judicato, tamquam falso et pravo, predictus Stephanus ad nostram curiam appellavit: Auditis vero, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus utriusque partis et diligenter examinatis, necnon judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum Stephanum bene appellasse.

PHILIPPE V, 1316.

Jovis ante Nativitatem Domini.

M. P. Droconis reportavit.

X. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem Bonorum-Puerorum, commorancium Parisius, juxta portam Sancti-Victoris, actorem, ex una parte, et Baldoinum Bocelli et Henricum Hermant, reos, ex altera, super eo quod dictus procurator dicebat quod defuncta Petronilla la Harmande dederat dictis Bonis-Pueris quamdam domum, sitam in vico qui dicitur Petra-Lactis, retento sibi, in eadem domo, usufructu, quamdiu ipsa viveret, et quod ipsa in eos transtulerat omne jus, proprietatem et possessionem quod et quas ipsa habet in domo predicta, et quod ipsa eis promiserat se dictam donacionem non revocare, quare petebat dictus procurator quod dictus prepositus adjudicaret et declararet jus dicte domus, proprietatem et possessionem ad dictos dominos suos pertinere, et quod condampnaret et compelleret dictos reos, tamquam heredes dicte Petronille, ad liberandum et dimittendum dictis dominis suis dictam domum, tam in proprietate quam in possessione, et ad cessandum ab impedimento quod ipsi apponebant eis in domo predicta; dictis Baldoino et Henrico proponentibus ex adverso quod dicta

PHILIPPE V, 1316.

domus erat et fuit dicte Petronille usque ad vite sue exitum, et de propria hereditate sua et patris sui, et quod ipsi, ex illo latere, erant sui legittimi heredes et propinquiores, et quod dicta Petronilla fuit et erat, tempore dicte donacionis, si unquam facta fuit, ydiota et dissipatrix bonorum suorum, et quod dicti Henricus et Baldoinus erant in possessione dicte domus, tamquam sue; auditis vero, super hoc, dictis partibus et visis processibus utriusque partis, predictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod super eo quod dictus procurator dictorum Bonorum-Puerorum petebat quod possessio et proprietas dicte domus adjudicarentur pertinere ad dictos dominos suos, idem prepositus absolvebat dictos Baldoinum et Henricum, et super eo quod dictus procurator petebat quod dicti Baldoinus et Henricus, tamquam heredes dicte defuncte, condampnarentur et compellerentur ad deliberandum et dimittendum eisdem Bonis-Pueris dictam domum, tam in proprietate quam in possessione, et ad amovendum impedimentum quod ipsi eisdem Bonis-Pueris apponebant in domo predicta, ipse pronunciavit dictos Baldoinum et Henricum, tamquam heredes dicte defuncte, debere dictis Bonis-Pueris liberare et dimittere domum predictam, tam in proprietate quam in possessione; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, uxor dicti Henrici ad nostram curiam appellavit; constitutis igitur in curia nostra dictis partibus, in causa appellacionis predicte, dictus Henricus petiit, pluribus racionibus, quod dictum judicatum pronunciaretur nullum, vel saltem falsum et pravum, pro eo maxime quod, ut ipse dicebat, tempore quo fuit factum dictum judicatum, ipse non fuit presens, nec vocatus, nec ejus procurator, immo absens erat et in prisione detentus, nec illa die qua fuit latum dictum judicatum erat dies, ad hoc, dictis partibus assignata, et quod uxori sue potestatem dederat appellandi, et quod ipse dictam appellacionem ratificaverat et ratificabat, procuratore dictorum Bonorum-Puerorum proponente, ex adverso, quod procurator dicti Henrici presens erat, pro ipso, in judicio, coram dicto preposito, tempore lati judicati predicti : Auditis vero, super hoc, dictis partibus, et visis dictis processibus et examinatis,

per judicium curie nostre, dictum fuit dictum prepositum bene judicasse et dictum appellantem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V. 1316.

Jovis ante Nativitatem Domini.

M. P. Droconis reportavit.

XI. Mota controversia, coram judice seculari curie ecclesie Sancte-Oportune Parisiensis, inter Gaufridum de Floriaco, actorem, ex una parte, et Jacobum le Genne, reum, ex altera, super eo quod dictus Gaufridus dicebat quod dictus Jacobus tenebatur sibi in mille et viginti libris Turonensium parvorum, ex vendicione et tradicione pelliparie de veste varia, et quod ipse obligaverat se, nomine suo proprio et pro se tantum, in dicta peccunie summa dicto Gaufrido, racione predicta solvenda, per quamdam litteram, sigillo suo proprio sigillatam, et quod ipse fuerat in judicio sufficienter confessus, vel procurator suus, nomine suo dictam litteram se dedisse et suo proprio sigillo sigillasse, quare petebat dominus Gaufridus eumdem Jacobum condampnari et compelli ad reddendum sibi peccuniam antedictam; dictus vero Jacobus, excipiendo, proposuit quod peticioni predicte non tenebatur respondere, pro eo quia, si unquam ipse, super hoc, se obligaverat, quod non confitebatur, obligaverat se tamen nomine nostro, et pro nobis, tunc comite Pictavensi, et quod sibi promiseramus nos eumdem garentizare et servare, super hoc, indampnem, et supposito eciam quod ipse teneretur, super hoc, respondere, dicebat tamen quod dictus judex debebat, ante omnia, sibi dare dilacionem ad summandum et requirendum nos ut eum, super hiis, garentizaremus, parte adversa, pluribus racionibus, e contrario, proponente dictum Jacobum, litem contestando, teneri respondere peticioni predicte; visis igitur super hiis racionibus utriusque partis, dictus judex, per suum judicium, pronunciavit dictum Jacobum debere precise respondere peticioni predicte; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Jacobus ad Parisiensem prepositum appellavit; auditis igitur, coram dicto preposito, dictis partibus in causa appellacionis predicte, et

PHILIPPE V, 1316.

visis, super hoc, processu et allegacionibus utriusque partis, predictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum judicem bene judicasse et dictum Jacobum male appellasse; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, predictus Jacobus ad nostram curiam appellavit : Auditis vero in curia nostra dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus utriusque partis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium dictum fuit dictos judices ecclesie Sancte-Oportune et prepositum Parisiensem bene judicasse et dictum Jacobum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Jovis ante Nativitatem Domini.

M. P. Droconis reportavit.

XII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Guillelmum Piedoe, seniorem, civem Parisiensem, ex una parte, et Reginaldum Leschans, dominum de Sorvillier, militem, ex altera, super eo quod dictus Guillelmus Piedoe petebat a dicto Reginaldo centum et quadraginta libras Parisienses, ex vendicione cujusdam equi, per quamdam litteram obligatoriam, sigillo Castelleti Parisiensis sigillatam, dicto Reginaldo, ex adverso, opponente quod ipse in totum de dicta summa peccunie satisfecerat eidem, et eciam de sexaginta libris Parisiensibus ultra id quod in dicta littera obligatoria continetur; nam uxor ejusdem Reginaldi, ut ipse dicebat, quemdam magnum equum Johanni de Bosco, servienti Castelleti Parisiensis, qui erat a preposito Parisiensi deputatus, pro dicte littere execucione facienda, precio ducentarum librarum Parisiensium, tradiderat, et, de dicto precio, inter dictam uxorem et dictum servientem fuit conventum; dicto vero Guillaumo Piedoe ex adverso replicante quod si aliquas convenciones dictus serviens fecerat, super hoc, cum uxore dicti Reginaldi, quod non confitebatur, hoc non fuit de ipsius voluntate et assensu, nec habebat, super hoc, ab ipso potestatem nec mandatum, nec eidem debebant prejudicare; tandem pluribus racionibus, super hoc, propositis, hinc et inde, idem prepositus, per suum judicium, pronun-

ciavit dictas convenciones, quas dictus Reginaldus proponebat esse factas ab uxore sua, cum dicto serviente, nullas esse et non prejudicare dicto Guillelmo; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Reginaldus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum militem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V, 1316.

Jovis ante Nativitatem [Domini].

M. Droco de Marchia reportavit.

XIII. Cum, ad supplicacionem Bremondi Bocucii de Mari, pro se et Francisco, fratre suo, dicentis se et dictum fratrem suum, in tractatu telarum de senescallia Belli-Cadri plurimum dampnificatos esse, propter factum karissimi domini et germani nostri Ludovici, nuper Francie et Navarre regis, idem Ludovicus, per suas litteras, commisisset inquisitoribus, in senescallia predicta, pro reformacione patrie ab eo deputatis, ut ipsi de predictis dampnis, cum celeritate et diligencia inquirerent veritatem, et inquestam quam ipsi inde facerent, sibi remitterent judicandam; dicti vero commissarii in [causa] hujusmodi non procedentes, commiserunt, ut dicitur, cuidam notario ut, super premissis, inquireret veritatem, licet eorum commissio hoc non contineret; qui notarius, de cujus commissione non fuit nostre curie facta fides, in [causa] hujusmodi processit, procuratore regio non vocato; inquesta vero, super hiis, per eumdem notarium facta et ad judicandum, prout esset racionabile, curie nostre, de mandato nostro, tradita, presens in curia nostra dictus Bremondus, pro se, et dicto Francisco, fratre suo, pro quo ipse, sub obligacione omnium bonorum suorum, manucepit se facturum et curaturum quod idem frater suus ratum habebit et firmum quicquid, super dicta inquesta, fuerit, per nostram curiam, ordinatum, requisivit instanter, presente ad hoc procuratore nostro, quod dicta inquesta videretur et judicaretur : Dicta igitur inquesta, per curiam nostram, visa et diligenter

PHILIPPE V, 1316.

examinata, et pluribus defectibus in ea repertis, auditaque relacione unius de dictis inquisitoribus, qui duo fuerunt, asserentis quod ipse notario predicto nunquam, super hoc, fecerat commissionem, curia nostra dictam inquestam, propter quamplures defectus in ea repertos, per suum judicium, totaliter anullavit.

Jovis ante Nativitatem Domini.

XIV. Lite mota, coram Reginaldo de Quemino, camerario ecclesie beate Marie Parisiensis, locum tenente matriculariorum laycorum, in predicta ecclesia, quoad juridicionem secularem, inter Albericum de Verberia, tutorem seu curatorem liberorum defuncte Eudeline la Lumbarde, ex una parte, et priorem et conventum de Coussi, ex altera, super eo quod dicebat et proponebat dictus tutor seu curator quod magister Nicholaus Lumbardus et Aelicia, ejus uxor, avi dictorum liberorum, in districtu et juridicione dictorum matriculariorum, duas domos acquisiverant et eas, per totum tempus vite sue, pacifice tenuerant, et quod dicta Eudelina, post mortem dictorum conjugum, eorum filia, materque dictorum liberorum, heres in solidum, dictis conjugibus successerat, que Esdelina postmodum decessit, dictis liberis suis heredibus in solidum relictis, et sic, de consuetudine patrie, que dicit mortuum saisire vivum, ut dictus tutor aut curator asserebat, saisina dictarum domorum translata erat in dictos liberos, unde cum dictus prior et conventus se intruserint indebite et contra voluntatem tutoris seu curatoris et liberorum predictorum in domos predictas, dictos liberos in sua possessione impediendo et turbando, petebat dictus tutor seu curator, nomine quo supra, dictos religiosos condampnari et compelli ad exeundum dictas domos et ad dimittendum easdem liberis antedictis, necnon et quod dicte domus, cum suis pertinenciis, adjudicarentur eisdem, cumque, ad peticionem dictorum religiosorum fuisset, per dictum camerarium, facta dictarum domorum ostensio, et post ostensionem predictam fuissent predicti religiosi pluries, per dictum camerarium, positi in defectu, die certa assignata postmodum coram dicto camerario, ad

audiendum jus, super premissis, dictus camerarius, viso processu coram se habito, saisinam dictarum domorum, per suum judicium, adjudicavit liberis antedictis ; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dicti religiosi ad prepositum Parisiensem appellarunt ; dicto vero preposito in causa appellacionis hujusmodi, vocatis partibus, procedente, dicti religiosi, sufficienter vocati, ut dicitur, pluries positi fuerunt in defectu et finaliter idem prepositus, in causa hujusmodi ulterius procedens certam diem partibus, de earum consensu, ad diffinitivam sentenciam, super hoc, audiendam, assignavit; ad quem diem, dictis partibus comparentibus, idem prepositus, auditis hinc inde propositis, et visis processibus, tam in curia seculari dictorum matriculariorum, quam coram eodem preposito, super hoc, habitis, per suum judicium, pronunciavit dictos religiosos a sua appellacione totaliter cecidisse, et dicti camerarii sentenciam debere execucioni mandari ; a cujus prepositi judicato, tamquam falso et pravo, dicti religiosi ad nostram curiam appellarunt : Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et auditis hinc inde propositis, visis eciam omnibus processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse et quod ipsi hoc emendabunt.

Philippe V, 1316.

Jovis ante Nativitatem Domini.

Goy reportavit.

XV. Cum Guiardus, Radulphus et Johannes li Jainne, fratres et liberi defuncti Liziardi li Jainne, nobis fuissent de majore et juratis de Lauduno conquesti, super eo quod dicebant dicti fratres majorem et juratos predictos, ad supplicacionem magistri Petri de Lauduno, avunculi quondam dictorum liberorum, eisdem concessisse et quittasse totam talliam, quam ab eis, per totum cursum vite sue, tam racione personarum quam bonorum suorum quorumcumque, petere et exigere possent, post que ipsos ab omni taillia semper quitos et immunes extitisse, ipsis majore et juratis videntibus et scientibus ipsos liberos

PHILIPPE V, 1316.

gaudere immunitate predicta, et quod indebite et de novo, major et jurati predicti nitebantur, in prejudicium dictorum liberorum, ab eisdem levare et exigere tailliam supradictam contra donacionem et quittacionem predictas temere veniendo, quare mandavimus ballivo Viromandensi quod ipse, de predictis donacione et quittacione ac eas tangentibus, vocatis evocandis, inquireret cum diligencia veritatem, et inquestam quam inde faceret ad parlamentum, Parisius, remitteret judicandam; vocatis igitur, coram dicto ballivo, dictis partibus, dicti fratres articulos suos, super hoc, contra dictos majorem et juratos proposuerunt, dictis majore et juratis ex adverso, ad sui defensionem, dicentibus, quod numquam dicte donacio et quittacio, prout per ipsos fratres proponebatur, facte fuerunt ad vitam dictorum liberorum, et quod si umquam facte fuerunt donacio et quittacio predicte, hoc fuit non adhibita illa sollempnitate que solet in consimilibus graciis faciendis adhiberi; item et quod quocienscumque de dictis donacione et quitacione fuit inter illos de dicta communitate prolocutum, semper ibi erant plures contradicentes et dicentes se nunquam donacioni et quittacioni predictis consentire : Inquesta igitur super predictis facta, et, ad judicandum, ad parlamentum, Parisius, asportata, constitutisque dictis partibus in curia nostra, et super hoc auditis, visisque inquesta et processu predictis, et diligenter examinatis, per judicium nostre curie, dictum fuit, predictos fratres suam intencionem sufficienter, super hoc, probavisse, et quod ipsi donacione et immunitate predictis, per totum cursum vite sue, amoto impedimento per dictos majorem et juratos super hiis apposito, gaudebunt.

Sabbato post Epiphaniam Domini.

M. Yvo de Veteri-Ponte reportavit.

XVI. Cum, in curia senescalli Petragoricensis, Guillelmus Alquerii, bajulus Ruppis-Amatoris, Elyas la Campana, Gerardus de Luco, Geraldus de Manso alias Oncle, Perrotus le Samatier alias Werryhi, servientes abbatis Tutellensis, magistri Ernaudus de la Trelha, Johannes

Testa, familiares dicti abbatis, et Hugo de Rousilhac junior, per procuratorem nostrum senescallie predicte fuissent delati et preventi, super eo quod dicebat dictus noster procurator contra denunciatos predictos, quod, cum Geraudus Fabri, serviens noster, arrestasset quemdam hominem in villa predicta Ruppis-Amatoris et secum duceret arrestatum, pro quadam obligacione facta per ipsum, sub cohercione sigilli nostri Montis-Domme, Bertrandus de Sancto-Claro volens ipsum eruere de manibus servientis predicti, ipsum servientem percussit cum pede suo, ita fortiter in ventrem, quod ipsum fecit cadere juxta quemdam parietem ; item et quod cum quidam alii nostri servientes ibidem presentes hoc vidissent, volentes juvare servientem nostrum predictum, dictum Bertrandum de Sancto-Claro ceperunt et arrestaverunt, ac ipsum captum et arrestatum secum duxerunt, et quod, dum sic captum et arrestatum ipsum ducerent servientes nostri predicti, dicti denunciati turba coadunata, in contemptum nostrum, hostiliter et ensibus evaginatis, irruerunt contra servientes nostros predictos, ac dictum Bertrandum de Sancto-Claro per violenciam dictis servientibus abstulerunt, rescusserunt et secum duxerunt, et quod hiis non contenti, mala malis cumulando, in illo comflictu, quidam serviens noster, Raimundus Captain nuncupatus, fuit enormiter vulneratus, quare petebat procurator noster predictus dicta maleficia puniri prout esset racionis; dictis denunciatis seu preventis, excepto dicto Hugone de Rossilhac absente et pro contumace reputato, dicentibus ex adverso, predicta contra se denunciata non esse vera, ut narrabantur, ac eciam, ad sui innocenciam ostendendam, proponentibus quod ipsi erant homines bone vite, ac eciam bone fame, et quod a dictis sibi impositis erant innocentes, et quod soliti erant obtemperare et parere preceptis gencium nostrarum, et quod, quando noster serviens predictus, per Arnaudum de Faeto, militem, extitit in dicto conflictu vulneratus, ipsi denunciati erant absentes a loco ubi dictum maleficium extitit perpetratum; tandem visis, in curia senescalli predicti, inquesta super dictis excessibus facta, ac eciam racionibus et allegacionibus dictarum parcium, et deposicionibus testium, super hoc, pro-

PHILIPPE V. 1316.

PHILIPPE V, 1316.

ductorum diligenter inspectis, senescallus predictus, per judicium suum, dictum Guillelmum Alquerii, bajulum Ruppis-Amatoris, in centum libris Turonensibus, ac quemlibet servientum et familiarium abbatis Tutellensis predictorum, in viginti libris Turonensibus, ac eciam Hugonem de Rossilhaco predictum, licet absentem, tamen pro contumace reputatum et habitum, in viginti quinque libris Turonensibus nobis, pro emenda dictorum excessuum, applicandis; item et dictos denunciatos in gagio bajuli, ac eciam in quindecim libris Turonensibus dandis et solvendis magistro Ranbero Davidis, commissario hujus cause, condampnavit, hoc addito quod, si servientes et familiares dicti abbatis Tutellensis predicti reperirentur esse, super hoc, non solvendo, in subsidium ad dictas penas solvendas, dictum abbatem Tutellensem, per idem judicium, condampnavit; a quo quidem judicato tamquam ab iniquo, dicti condampnati ad nostram curiam appellarunt: Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus in causa appellacionis predicte, et auditis hinc inde propositis, visisque et diligenter examinatis inquesta et processu predictis, per judicium nostre curie, dictum fuit predictum senescallum, quantum ad predictos appellantes, bene judicasse, et ipsos male appellasse, hoc salvo quod, quantum ad dictum abbatem Tutellensem, cum non fuerit repertum ipsum in processu predicto fuisse vocatum, male fuit judicatum contra ipsum, verumtamen si predicti condampnati reperiantur non esse solvendo, luant hoc in corpore, videlicet quod qui non solverit condempnacionem predictam super eum impositam per dimidium annum, ad panem et aquam in nostro carcere tenebitur mancipatus, racione excessuum predictorum.

Sabbato post Conversionem Sancti-Pauli.

J. de Halis reportavit.

XVII. Cum, in causa pervencionis, in curia senescalli Tholose, ex officio suo mota, contra Petrum Bernardi de Ausuana, militem, condominum ville Sancti-Martini-de-Doidis, super eo quod dicebatur, quod, cum Guillelmus de Decima, bajulus noster de Artigaco, virtute

mandati sibi facti per magistrum Bernardum de Coquerenchis, locum tenentem tunc magistri Raymundi Coste, judicis tunc nostri Rivorum, apud dictam villam Sancti-Martini accessisset, requisivissetque dictum militem, ex parte nostra, ut Petrum de Rogerio, qui, a quadam sentencia mortis suspendii, contra eum lata, appellaverat ad senescallum nostrum Tholose, vel ubi deberet, sibi traderet adducendum ad dictum judicem nostrum, ad prosequendam appellacionem suam coram ipso, idem miles dictum appellantem dicto nostro bajulo inobedienter tradere recusaverat. Item, cum dictus bajulus vellet capere dictum appellantem de loco in quo detinebatur, pro eo adducendo, juxta mandatum sibi factum, dictus miles violenter et opprobriose ingerens se contra dictum nostrum bajulum, manualiter ipsum impediverat, trahendo ipsum per vestes, et impingendo violenter eumdem. Item, et cum dictus bajulus sic impeditus per dictum militem plus facere nequivisset, ac propter hoc posuisset dictum appellantem ad manum nostram, inhibendo dicto militi, ex parte nostra, ne ipsum moveret de loco predicto, donec, per dictum judicem nostrum, ordinatum fuisset de eodem, prefatus miles, predictis non obstantibus, dictum appellantem gentibus episcopi Tholosani tradiderat, substrahendo et fraudendo juridicionem nostram, et honori nostro detrahendo, cum ad gentes dicti episcopi predicta nullatenus pertinerent, sed pocius ad nos qui esse dicebantur in saisina cognoscendi de appellacionibus, ab audiencia curie dicti loci interjectis, et ad nos, de jure communi, predicta cognicio pertinebat, dictus senescallus, vocatis partibus et auditis, visoque et examinato processu, coram se, super hoc facto, predictum militem in sexcentis libris Turonensium parvorum solvendis nobis infra mensem pro pena et emenda excessuum predictorum sentencialiter condempnasset, eundem a majori pena absolvens, prefatus miles, a dicta sentencia, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur in curia nostra dictis partibus, videlicet procuratore nostro dicte senescallie, pro nobis, ex una parte, et procuratore dicti militis, pro se, ex altera, visisque de procuratorum predictorum consensu, ac diligenter examinatis processibus dicte cause principalis ac instru-

PHILIPPE V. 1316.

PHILIPPE V, 1316.

mento sentencie, super hoc, per dictum senescallum late, per curie nostre judicium, dictum fuit dictum senescallum bene judicasse et dictum militem male appellasse, et idcirco, per idem curie nostre judicium, dictum fuit quod predicta condempnacio mandabitur execucioni.

Sabbati predicta.

M. P. Boyau reportavit.

XVIII. Discordia mota, coram ballivo Senonensi, inter Petrum dictum Lescorchie, militem, et Guiotum de Avon, ex una parte, et gentes nostras, pro nobis, ex alia, super eo quod dicebant dicti miles et Guiotus, solummodo ad finem saisine, quod ipsi et illi a quibus ipsi causam habent sunt et fuerunt, in villa de Pacy et ejusdem ville pertinenciis, in saisina justiciandi et exercendi omnimodam justiciam altam et bassam, et eciam omnes casus altam et bassam justiciam tangentes explectandi, et quod Jacobus Lamberz, serviens noster, abstulerat unum prisionarium de carcere eorumdem et posuerat dictum prisionarium penes prepositum Senonensem, impediendo et perturbando eos in saisina sua justicie predicte, petentes dicti miles et Guiotus impedimentum predictum amoveri, et se permitti dicta saisina gaudere, gentibus nostris, pro nobis, ex adverso proponentibus et dicentibus nos esse et fuisse a tanto tempore, cujus in contrarium non extat memoria, in bona saisina et pacifica habendi et exercendi omnimodam justiciam altam et bassam in dicta villa de Pacy et pertinenciis ejusdem; tandem, in curia ballivi predicti, racionibus et allegacionibus utriusque partis ac attestacionibus testium, ex utraque parte, super hoc, productorum, visis et diligenter examinatis, dictus ballivus saisinam alte et basse justicie dicte ville de Pacy et ejusdem pertinenciarum nobis, per suum judicium, adjudicavit, questione proprietatis dictis militi et Guioto, super hoc, reservata; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dicti miles et Guiotus ad nostram curiam appellarunt: Constitutis igitur in curia nostra dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et auditis hinc inde propositis, visis-

que dictis processu et racionibus, allegacionibus et judicato, per judicium curie nostre, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse ac militem et Guiotum predictos male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt. PHILIPPE V, 1316.

Sabbato post Conversionem Sancti Pauli.

M. J. de Halis reportavit.

XIX. Cum super eo quod dicebatur magistrum Raimundum Juvenis, judicem curie secularis prioris ville de Fontibus, dicto Bidoim, servienti nostre senescallie Ruthenensis, commissionem habenti de capiendo suspectos de quibusdam depredacionibus et rapinis operatoriorum ville Figiaci, et qui serviens Petrum dictum Alvi, de dictis maleficiis suspectum et diffamatum, in dicta villa de Fontibus, propter hoc, ceperat et detinebat, eidem servienti, cum armatorum multitudine et officialibus dicti prioris, dictum Petrum violenter rescussisse et eumdem servientem vileniasse, ac Gerardum de Malaguia et Bertrandum Ficaci, dictum servientem in hujusmodi juvantes, maletractando, carceri mancipasse, et alias in premissis multipliciter deliquisse, senescallus Ruthenensis, virtute commissionis sibi facte per litteras karissimi domini et genitoris nostri, vocatis partibus et lite coram ipso contestata, receptis testibus, super hoc, et super defensionibus dicti judicis, inquisiverit veritatem, et inquestam, super hoc, per ipsum factam curie nostre miserit judicandam, et, auditis partibus, curia nostra dictam inquestam receperit ad judicandam : Tandem, visa inquesta predicta et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictus judex in trecentis libris Turonensibus, nobis solvendis, pro emenda excessuum predictorum, extitit condempnatus.

Sabbato predicta.

B. de Albia reportavit.

XX. Cum Jacobus dictus Boulic, asserens se a curia ducis Britannie, contra Arnaldum Sanz, de Luco, ad parlamentum, Parisius, legittime appellasse, et se post appellacionem hujusmodi, et in ipsius

PHILIPPE V, 1316.

appellacionis prejudicium, per dictum ducem et ejus gentes, ad procuracionem dicti Arnaldi, quibusdam siccariis et aliis bonis suis de quibus erat saisitus, fuisse desaisitum, requisivisset, in nostra curia, attemptatum hujusmodi revocari, et, super ipsius revocacione, litteras, sub certa forma, ad ballivum Constanciensem, a nostra curia obtinuisset, pluribusque processibus, virtute dictarum litterarum, coram dicto ballivo et ejus commissario, super hoc habitis, dicti dux et Arnaldus, ab eorum audiencia, plures appellaciones ad parlamentum, Parisius, ex certis causis, super hoc, interposuissent, et plures littere, a nostra curia, super hiis, ad ballivos, tam Constanciensem quam Turonensem, directe fuissent; tandem super dictarum litterarum tenore et processibus per eas habitis, presentibus dictis partibus in curia nostra, relacione facta, cum dictus Arnaldus, inter cetera, proponeret se, tempore dicte prime appellacionis, et non Jacobum predictum, esse in dictarum siccariarum saisina, dicto Jacobo saisinam contrariam allegante, curia nostra certis mandavit commissariis, et sub certa forma, ut ipsi, vocatis partibus, inquirerent cum diligencia veritatem quis dictorum Jacobi et Arnaldi erat in saisina dictarum siccariarum, tempore prime appellacionis predicte, et illum quem ipsi invenirent, tempore dicte prime appellacionis, esse in earum saisina et de eis desaisitum fuisse, reponerent, ex parte nostra et de plano, in earum saisina, illa que super hoc invenirent liquida expediendo et execucioni mandando, dubia vero sufficienter inquisita, nostre curie remittendo; qui commissarii, vocatis partibus, in hujusmodi procedentes, inquisiverunt, super hoc, veritatem, et ad execucionem eorum que, super hoc, invenerunt non processerunt, sed inquestam per eos, super hoc, factam curie nostre, cum dictis partibus, remiserunt: Auditis igitur, super hoc, in curia nostra, dictis partibus, et visa dicta inquesta et diligenter examinata, cum per eam inventum fuerit sufficienter probatum predictum Arnaldum, et non dictum Jacobum, tempore dicte prioris appellacionis, esse in saisina pacifica dictarum siccariarum, per curie nostre judicium, dictum fuit quod predicti Jacobi dictam requestam, quam per modum attemp-

tati revocandi faciebat, non fiet, quodque dictus Arnaldus in saisina dictarum siccariarum, pendente causa appellacionis hujusmodi, remanebit et defendetur. PHILIPPE V, 1316.

Martis post octabas Candelose.

M. Richardus de Bosco reportavit.

XXI. Cum, super eo quod consules ville Moysiaci Guillelmo de Falgarol, servienti nostro, virtute litterarum domini genitoris nostri, in quibus eidem et Guillelmo dicto le Bavos, et eorum cuilibet, mandabatur ut ipsi Petrum dictum de Remis caperent et captum, Parisius, adducerent, necnon omnibus senescallis, ballivis, prepositis, subditis et justiciariis regni predicti, et cuilibet eorumdem, ut ad eumdem capiendum et adducendum, Parisius, prestarent auxilium et favorem, quocienscumque ab eisdem vel eorum altero, super hoc, forent requisiti, et, super hiis, parerent et intenderent, requirenti eosdem in domo communi dicte ville existentes, et precipienti eisdem ut sibi ad capiendum dictum Petrum ibidem presentem, quem idem Guillermus, virtute dictarum litterarum, arrestaverat in presencia eorumdem, et ad adducendum eum, Parisius, prestarent auxilium et favorem, in contemptum mandati dicti domini genitoris nostri, parere et obedire, auxilium et favorem prestare in hujusmodi recusasse dicebantur, et eidem Petro viam fuge et evasionis prestitisse, et alias circa premissa multipliciter deliquisse, inquesta, de mandato dicti domini genitoris nostri, contra dictos consules, nomine consulatus dicte ville, et contra quosdam alios inferius nominatos facta fuerit, vocatis partibus, et curie nostre ad judicandum remissa, et, per ipsam curiam nostram, auditis partibus, ad judicandum recepta : Tandem, visis, per curiam nostram, et diligenter examinatis, inquesta predicta et contentis in ea, per curie nostre judicium, predicti consules, nomine consulatus dicte ville, propter inobediencias et commissa predicta, in mille libris Turonensibus nobis solvendis condempnati fuerunt, et, per idem judicium, dictum fuit quod Petrus Glandera, Symon de Cormelio, Petrus de Vitraco, Poncius de Magistro, Johannes de Lan-

PHILIPPE V, 1316.

tars, Bernardus Johannis de Montpila, qui tunc erant consules dicte ville Moysiaci, quos predictis requisicioni et precepto non paruisse constat, per inquestam predictam, et contra quos, ut singulares, in hujusmodi est processum, dicte ville consulatus officium vel honorem, ex nunc in antea tenere non possint vel habere, ad illosque provehi vel assumi redditi fuerunt inhabiles et indigni; quodque Guillelmus de Furno, Hugo Andouini, Johannes Lombardi, servientes nostri dicte ville Moysiaci, quos dicto Petro, postquam se de manibus predicti Guillelmi de Falgarol, servientis nostri, ipsis scientibus se excusserat, et post publicacionem litterarum predictarum eidem Guillelmo directarum in eorumdem presencia factam, constat, per dictam inquestam, favorem et societatem prestitisse, officio dicte sergentarie sint privati, quodque ipsi sic privati, et eciam alii superius nominati, qui tunc erant consules dicte ville, inhabiles et indigni ad premissa, usque ad nostre voluntatis beneplacitum, debeant remanere.

Martis post octabas Candelose.

M. Bernardus de Albia reportavit.

XXII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Richardum dictum de Gisorcio, portitorem litterarum Chenuelli dicti Christofle, ex una parte, et Laurencium dictum Manche-Vayre, ex altera, super eo quod idem Richardus, ut portitor litterarum dicti Chenuelli, secundum tenorem dictarum litterarum, eumdem prepositum in judicio requirebat quatenus litteras predictas, sigillo prepositure Parisiensis sigillatas, in quibus, ut ipse dicebat, idem Laurencius tenebatur et erat obligatus, cum pluribus aliis, et quilibet insolidum, dicto Chenuello et ejus sociis, in centum quinquaginta sex libris Parisiensibus bone monete, ex causa justa, et de termino tunc transacto, exequeretur contra dictum Laurencium et in bonis ejusdem; et dictus Laurencius, ex adverso, ad finem quod dicta littera cujus idem Richardus erat portitor, pronunciaretur nullius esse valoris, quantum eumdem Laurencium tangebat, et quod ipse, super hoc, absolveretur a peti-

cione dicti Richardi, plures raciones proponebat; idem prepositus, auditis, super hoc, dictis partibus, judicavit dictas litteras nullas esse, quantum ad personam dicti Laurencii, eumdem Laurencium, super hoc, absolvendo; a quo judicato, tanquam falso et pravo, per dictum Richardum, ad parlamentum, Parisius, extitit appellatum : Tandem, in causa dicte appellacionis, dictis partibus in nostra curia constitutis, auditisque super hoc hinc inde propositis, et deinde visis et diligenter examinatis dicte cause processu coram dicto preposito habito, necnon litteris et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Richardum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V, 1316.

Martis post octabas Candelose.

M. Bernardus de Albia reportavit.

XXIII. Cum diceret et proponeret in jure, coram majore curie secularis prioris Sancti-Eligii Parisiensis, Guillelmus de Clerevaux, contra Laurencium de Hanget, quod idem Laurencius cum eo contraxerat, et eidem Guillelmo batellum suum et operas suas locaverat, pro certo precio inter eos convento, pro ducendo sibi, per aquam, certam quantitatem lignorum a portu de Orelleu usque ad portum Gravie, Parisius; que ligna dictus Laurencius in batello suo ad dictum portum Gravie non adduxerat, ut dicebat, immo ea aliis personis non ydoneis et in alio batello deferenda tradiderat, propter quod dicebat dictus Guillelmus quod ipse, per factum et culpam dicti Laurencii, dampna et interesse, usque ad summam triginta librarum, sustinuerat in predictis, petens dictum Laurencium sibi in dicta summa pecunie condampnari, vel saltim in eo quod probare posset de premissis; parte altera premissa negante et plures raciones e contrario proponente, per quas dicebat petita, ex parte ipsius Guillelmi, fieri non debere; tandem, certa die assignata predictis partibus ad audiendum jus super hoc, coram majore predicto, dictus major eumdem Laurencium dicto Guillelmo in tredecim libris Parisiensibus, racione dampnorum et interesse predictorum per dictum Guillelmum

PHILIPPE V, 1316.

petitorum sentencialiter condampnavit; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dictus Laurencius ad prepositum Parisiensem appellavit; qui Parisiensis prepositus, in hujusmodi causa appellacionis procedens, partibus auditis, predictam sentenciam judicis dicti prioris infirmans, per suum judicium, pronunciavit dictum majorem male judicasse et dictum Laurencium bene appellasse, eumdem Laurencium a peticione predicta dicti Guillelmi absolvens; a quo judicato dicti prepositi Parisiensis, tamquam a falso et pravo, pars dicti majoris ad Parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis diligenter omnibus dictis processibus, per judicium nostre curie, dictum fuit predictum Parisiensem prepositum bene judicasse et dictum majorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Martis post octabas Candelose.

Guoy reportavit.

XXIV. Cum dudum, mota questione, in curia nostra, inter abbatem et conventum Sancti-Medardi Suessionensis, ex una parte, et ballivum Silvanectensem, pro nobis, ex altera, super saisina justicie ripparie de Auxona, et quarumdam domuncularum in rippa dicti fluminis sitarum infra terminos inferius designatos, per nostras litteras, certis commissariis dedissemus in mandatis ut ipsi, vocatis partibus, secundum articulos super premissis a dictis partibus sibi tradendos inquirerent cum diligencia veritatem, et inquestam, super hoc, factam nostre curie remitterent judicandam, certa die, comparentibus dictis partibus, coram dictis commissariis, ex parte dictorum religiosorum, fuerunt plures articuli propositi et traditi, inter cetera principaliter continentes quod dicti religiosi erant in saisina justicie in dicta ripparia, videlicet a campo de Craon usque ad deffensam de Jaci deversus Biteri, ex una parte aque, et a dicto campo usque ad Hubert-Fosse, ex altera parte aque; necnon et in saisina justicie in quibusdam domunculis sitis prope Vy, ab opposito in rippa videlicet dicte aque, exceptis locis de quibus alias fuit contencio inter nos, ex una parte,

et religiosos Sancti-Crispini, ex altera, et quod ballivus predictus impediebat eosdem injuste in sua saisina predicta; quare petebant dictum ballivum compelli ad cessandum ab impedimento predicto, et dictum impedimentum amoveri; parte adversa premissa negante et factum contrarium proponente, ad finem ut nos absolveremur ab impeticione predicta, et quod pronunciaretur nos debere remanere in saisina justicie in locis et terminis supradictis : Tandem, auditis responsionibus super factis hinc inde propositis, testibusque productis coram dictis commissariis, factaque super hiis inquesta et remissa nostre curie judicanda, presentibus in hujusmodi dictis partibus et diligenter auditis, visaque postea et plene examinata inquesta predicta, cum, per dictam inquestam, repertum fuerit dictos religiosos sufficienter probasse se esse in saisina basse justicie in predictis domunculis, eosque esse in saisina alte et basse justicie in ripparia predicta, a Fonteneto usque ad Vy inclusive, qui termini sunt infra terminos in predictis articulis designatos, per nostre curie judicium, dictum fuit quod dictus ballivus cessabit ab impediendo dictos religiosos in saisinis predictis, et quod impedimentum, super hoc, per eum appositum, amovebit. Item, cum, per eamdem inquestam, repertum fuerit nos esse in saisina basse justicie in baco de Vy, qui locus est similiter infra terminos in dictis articulis designatos, per idem judicium, dictum fuit saisinam dicte justicie in dicto baco penes nos debere remanere, et impedimentum, ex parte dictorum religiosorum, super hoc, appositum, amoveri debere; et quamtum ad residuum dicte ripparie, infra terminos in dictis articulis designatos, quia, per confessionem procuratoris dictorum religiosorum, constitit nostre curie dictum residuum esse in et de nostra castellania Petrefontis, et dictos religiosos suam intencionem, quoad hoc, non probasse, dicta curia nostra, quoad hoc, ab impeticione dictorum religiosorum nos absolvit, per suum judicium, pronuncians nos in saisina justicie dicti residui remanere debere, salva dictis partibus, hinc inde, super predictis, questione proprietatis.

Philippe V. 1316.

Septima die marcii.

PHILIPPE V, 1316.

Guoy reportavit.

XXV. Cum, a quibusdam ordinacione, mandato et prohibicione, ac aliis, per vicarii Biterrensis seu locum ejus tenentis judicium factis, super constitucione Bauderii, in locis, terris et possessionibus domus de Pratis in territorio castri de Pedenacio, ad instanciam procuratorum domini genitoris nostri et dicte domus, consules universitatis dicti castri ad curiam senescalli Carcassonensis et Biterrensis appellassent, et in dicta appellacionis causa, libello edito, lite contestata, testibusque productis et diligenter examinatis, concluso in dicta causa, ac die assignata ad sentenciam super hoc audiendam; Johannes de Alneto, locum tenens dicti senescalli, per suum judicium pronunciavit se de dicta appellacionis causa cognoscere non posse nec debere, quia tempora fatalia in dicta appellacionis causa erant lapsa, prout sibi constabat per actitata dicte cause, propter negligenciam dicte partis appellantis; a quo judicato, tamquam iniquo, procurator dictorum consulum et universitatis in continenti apud acta ad curiam dicti domini genitoris nostri appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque earum processibus et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum locum tenentem bene judicasse et dictum appellantem male appellasse.

Septima die marcii.

M. Richardus de Bosco reportavit.

XXVI. Inquesta facta, de mandato curie nostre, et de consensu parcium infrascriptarum, per magistrum Guillelmum de la Magdelene, procuratorem nostrum, inter episcopum Parisiensem et ejus ballivum, nomine ipsius episcopi, et pro ipso, ex parte una, et abbatissam et conventum Montis-Martirum, et ballivum dicti loci, ex altera, super eo quod dictus ballivus episcopi, nomine ipsius episcopi, proponebat quod Baudetus, mesgeciarius, hospes et justiciabilis ipsius episcopi, fecerat furtum de pluribus rebus in terra ipsius epis-

copi, in qua ipse omnimodam habet justiciam et altam et bassam, videlicet in domo Odonis mesgeciarii, commorantis ante furnum episcopi Parisiensis, prosecutusque fuit sufficienter per hospites ipsius episcopi, et captus et deprehensus cum dicto furto, in terra quam dictum capitulum Sancti-Clodoaldi tenet ab ipso episcopo Parisiensi, in qua idem episcopus habet omnimodam justiciam altam et bassam, videlicet per Odonem predictum, cui dictus Baudetus fecerat furtum predictum, et Michael de la Noe, et Guillotus, ejus famulus, forestarii nemorum Sancti-Clodoaldi, ceperunt de manu dicti Odonis ipsum Baudetum malefactorem, et in justicia dicti episcopi, et tradiderunt eum de eorum voluntate majorisse Montis-Martirum, deinde, tempore debito, antequam ipse malefactor fuisset justiciatus, prepositus Sancti-Clodoaldi, nomine ipsius episcopi, requisivit ballivo Montis-Martirum dictum Baudetum, tamquam hospitem ipsius episcopi et tamquam illum qui dictum maleficium commiserat in justicia dicti episcopi, et captus fuerat in justicia ipsius episcopi alta et bassa, et obtulit eidem ballivo se paratum in continenti fidem facere de predictis; qui ballivus Montis-Martirum, requisitus sufficienter per gentes ipsius episcopi, dictum Baudetum, malefactorem, reddere recusavit et eumdem justiciavit, in grande prejudicium juridicionis ipsius episcopi, et contemptum non modicum et gravamen ipsius; quare petebat dictus ballivus, nomine ipsius episcopi, compelli abbatissam et conventum Montis-Martirum et ballivum dicti loci ad restituendum et resaisiendum ipsum episcopum, meliori modo quo poterit fieri, de dicto Baudeto justiciato, ad locum in quo captus fuit; parte adversa in contrarium proponente et dicente se non debere compelli ad hoc, sed absolvi debere ab impeticione ipsius episcopi et ballivi sui, pro eo quod dictus Baudetus traditus fuit majorisse et gentibus abbatisse et conventus Montis-Martirum, in villa de Menus, in qua ipse habent omnimodam justiciam altam et bassam, pro furto quod fecerat de pluribus rebus Odoni de Lusarchiis, et ibi captus fuit, saisitus cum furto, per gentes dictarum religiosarum, et confessus fuit sufficienter se commisisse predictum furtum et, per

PHILIPPE V, 1316.

PHILIPPE V, 1316.

confessionem suam, condempnatus et justiciatus fuit : Visa igitur inquesta predicta et diligenter examinata, attentis responsionibus dicti ballivi Montis-Martirum in dicta inquesta contentis, per judicium curie nostre, dictum fuit abbatissam et conventum Montis-Martirum, et ballivum dicti loci, debere compelli ad restituendum et resaisiendum episcopum Parisiensem et ejus ballivum, nomine ipsius episcopi, de dicto Baudeto, vel de una figura, ad locum in quo captus fuit dictus Baudetus.

Septima die marcii.

M. Rogerius de Parisiis reportavit.

XXVII. Cum, in causa mota, coram preposito Parisiensi, inter magistrum Johannem de Haspre, clericum et scholarem Parisiensem, ex parte una, et Nicholaum Descroues, armigerum, ex parte altera, super eo videlicet quod idem magister Johannes proponebat quod dictus Nicholaus, injuriandi animo, et in injuriam et contumeliam ipsius scolaris et tocius universitatis scolarium Parisiensium, vocaverat ipsum, in loco publico, ribaldum clericum; item et quod, hiis non contentus, ipse et quidam sui complices, ensibus evaginatis, fugaverant dictum scolarem usque ad secundum hostium domus in qua ipse tunc inhabitabat, ipsumque in bracchio vulneraverant usque ad magnam sanguinis effusionem, quas injurias idem scolaris ex tunc ad animum suum revocans, ut dicebat, noluisset sustinuisse pro centum libris Parisiensibus, sed maluisset, sicut proponebat, tantum de suo proprio amisisse, quare petebat idem Johannes dictum armigerum condempnari et compelli ad emendandum sibi et dicte universitati injurias supradictas, necnon et ad reddendum et solvendum eidem dictas centum libras, pro injuriis predictis, salva in hoc dicti prepositi taxacione, dicto armigero premissa negante; dictus vero prepositus, cognito plenarie de causa predicta et concluso in ea, ad diem, coram ipso, ad audiendum jus in ea dictis partibus assignatam, comparentibus eisdem partibus et auditis, ac visis processibus coram eo, super hoc, habitis, per suum judicium, condempnasset dictum armigerum

ad faciendum emendam dicto scolari et nobis, pro excessibus predictis, penes se, super hiis, dictarum emendarum taxacione legittima reservata, cumque post ea, certa die dictis assignata partibus, ad taxacionem predictam audiendam, dictus prepositus, per suum judicium, taxasset dictam emendam dicto scolari faciendam ad viginti libras Parisienses et emendam nostram ad sexaginta libras Parisienses, salvo jure universitatis predicte, si quod inde posset petere vel habere, utraque pars a dicta taxacione, videlicet dictus scolaris, tamquam a modica, et dictus armiger, tamquam a nimia, ad parlamentum Parisiensem appellarunt : Auditis igitur in parlamento nostro dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque et diligenter examinato dicto processu, et inspecta dicti negocii qualitate, consideratoque quod universitas scolarium Parisiensis et ejus magistri et scolares notorie sunt in salva garda et protectione nostra, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, in eo quod ipse dicto scolari emendam suam, ad viginti libras Parisienses, per suum judicium, taxavit, racione dicte taxacionis, in eo quod fuit nimis modica, male judicasse et dictum scolarem bene appellasse, et dictam emendam eidem scolari curia nostra ad quadraginta libras Parisienses taxavit; taxacionem vero dicte emende pro nobis per dictum prepositum factam, nostra curia approbavit, ac pronunciavit dictum armigerum, in eo quod ipse super hiis a judicato dicti prepositi appellavit, male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V, 1316.

Septima die marcii.

M. P. Boiau reportavit.

XXVIII. Lite mota, coram senescallo Tholosano, inter procuratorem nostrum senescallie supradicte, ex parte una, et Raymundum Bernardi, filium quondam Raymundi Bernardi, Ysarnum Revelli de Ruppe-Forti, Guillelmum Raymundi et Hugonem Cathalani, domicellos, ex parte altera, super eo quod dictus procurator noster dicebat quod prenominati rei, in prejudicium nostrum non modicum, indebite et injuste exercebant minorem juridicionem in villa seu castro

PHILIPPE V, 1316.

de Cuco, quod castrum seu villa de Cuco, cum suis pertinenciis, situm est, ut ipse dicebat, in Tholosano, proponens quod juridicio minor predicta dicte ville seu castri ad nos, pleno jure, pertinebat. Item asserebat idem procurator noster quod nullum jus erat dictis reis in dicto castro de Cuco seu villa exercendi minorem juridicionem predictam, quare petebat dictus procurator noster, nomine quo supra, per sentenciam dicti senescalli, dictos reos prohiberi ab exercicio supradicto, et pronunciari eos non habere jus exercendi minorem juridicionem predictam, in dicto castro seu villa, et jus exercendi eamdem juridicionem ad nos pertinere debere; dictis reis proponentibus ex adverso quod omnis juridicio bassa in dicto castro de Cuco et pertinenciis ejusdem ad eos pertinebat, et quod, tam ipsi quam eorum predecessores possederant vel quasi jus exercendi, in dicto castro et ejus pertinenciis, mistum imperium et omnem juridicionem bassam per decem, viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta et sexaginta annos novissime preteritos, et per tantum tempus de cujus contrario memoria minime existebat; qui senescallus, vocatis coram se partibus antedictis, lite, coram eo, inter dictas partes, super predictis, legittime contestata, jurato de calumpnia, testibus hinc inde productis, juratis et examinatis et eorum deposicionibus publicatis, audito insuper quicquid dicte partes proponere seu dicere voluerunt, concluso in dicta causa, dictus senescallus, super predictis, fecit veritatem inquiri; postea vero, facta, super hoc, inquesta, dictus senescallus, de consensu parcium predictarum, dictam inquestam et totum processum predictum, de mandato nostro, ad curiam nostram judicandum remisit : Visis igitur, per curiam nostram, et diligenter examinatis processu et inquesta predictis, cum, per eos, inventum sit dictum procuratorem nostrum melius, in predictis, suam intencionem probasse quam reos supradictos, per curie nostre judicium, dictum fuit minorem juridicionem dicti castri de Cuquo et pertinenciarum ejusdem, et ejus exercicium, ad nos, pleno jure, pertinere, et dictos reos nullum jus habere exercendi eamdem, et quod dicti rei, in dicto castro et ejus pertinenciis, in posterum exercere minorem juridicionem predictam non permittentur.

Septima die marcii. PHILIPPE V, 1316.
Robertus de Sancto-Benedicto reportavit.

XXIX. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Gaufridum et Dyonisiam de Savigne, fratres, cives Parisienses, draperarios, ex parte una, et Petrum de Mante, aurifabrum, civem Parisiensem, ex altera, super eo quod dicti fratres dicebant quod defunctus magister Gaufridus de Templo, ipsorum avunculus, tempore quo ipse vivebat, quamdam coronam de auro, cum lapidibus preciosis et pellis, vendendam tradiderat dicto Petro, quam idem Petrus vendiderat pro novies viginti et decem libris Parisiensibus, nec satisfecerat, super hoc, ut ipsi fratres dicebant, dicto Gaufrido nec fratribus predictis, cujus Gaufridi dicti fratres se esse heredes in solidum dicebant, quare ipsi, plures raciones, super hoc, pretendentes, petebant dictum Petrum ad sibi dictam coronam vel precium antedictum reddendum condempnari et compelli, dicto Petro, e contrario, pluribus racionibus, proponente petita fieri non debere; lite igitur, super hoc, legittime contestata, examinatisque testibus productis, super hoc, conclusoque in dicta causa, ac certa die assignata ad diffinitivam sentenciam, super hoc, audiendam, decessit Petrus, aurifaber predictus, cujus tunc heredes processum hujusmodi resumpserunt in statu; tandem idem prepositus, constitutis coram se dictis partibus ad diffinitivam, super hoc, sentenciam audiendam, viso processu predicto, per suum judicium, condempnavit dicti Petri, aurifabri, heredes predictos ad dictam reddendam coronam dictis fratribus, vel precium antedictum; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, heredes predicti ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque, per nostram curiam, processu et judicato predictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, in eo quod ipse pronunciavit dictam coronam vel novies viginti libras Parisienses, pro precio dicte corone, dictis fratribus reddi debere, bene judicasse; in eo vero quod dictus prepositus in decem libris, ultra dictas novies viginti

PHILIPPE V, 1316.

libras, dictos heredes, pro precio dicte corone, condempnavit, quia solum de novies viginti libris probatum est, in processu predicto, ipsum prepositum male judicasse et dictos heredes bene appellasse, ipsos heredes a prestacione dictarum decem librarum Parisiensium absolvendo.

Septima die marcii.

M. Yvo de Veteri-Ponte reportavit.

XXX. Cum, coram preposito Parisiensi, Petrus dictus le Grand-Esmalleur, contra Johannem dictum de Cruce et Laurenciam, ejus uxorem, proponeret Johannem dictum de Barris, Theophaniam, ejus uxorem, ac dictum Johannem de Barris, tutorio aut curatorio nomine Laurencie, sororis Theofanie predicte, uxorisque nunc Johannis de Cruce predicti, domum quamdam sitam Parisius, ante ecclesiam Sancti-Laufredi, ab opposito domus Radulphi dicti le Perrier, summa quadraginta librarum annui census seu redditus solvendi Pidonasiis quatuor terminis Parisius consuetis, tantummodo oneratam, eidem Petro l'Esmailleur et ejus uxori, certo precio, ad augmentum census seu redditus, tradidisse et concessisse, ac eidem domum predictam cum dicto onere tantummodo, adversus quoscumque et quociens opus esset, sub obligacione bonorum suorum et nomine quo supra, garendizare promisisse, et, pro garandia hujusmodi, domum quam dicti Johannes de Cruce et Laurencia, ejus uxor, inhabitare dicuntur, que tunc ad predictos Johannem de Barris, nomine quo supra, Theophaniam et Laurenciam, conjunctim et pro indiviso pertinere dicebatur, specialiter et expresse obligasse; atque postea, Alesiam dictam de Campis summam septem librarum et quindecim solidorum, ac Basiliam, uxorem quondam Girardi dicti Baylon, summam octo librarum tredecim solidorum annui census seu redditus, per spacium quinque annorum, a dicto Petro l'Esmalleur, racione domus predicte, ultra dictas quadraginta libras dictis Pidonasiis debitas, virtute quarumdam sentenciarum per dictum prepositum, pro dictis Alesia et Basilia contra dictum Johannem de Barris, ut contra garantizatorem

ejusdem Petri, nomine quo supra, latarum, et ob defectum garendizacionis predicte habuisse et recepisse, et requireret, ex causis predictis, jus ypothece in domo predicta quam dicti Johannes de Cruce et Laurencia, ejus uxor, inhabitare dicuntur, per eumdem prepositum, per suum judicium, competere declarari, et, per idem judicium, sibi adjudicari, tradi et liberari saisinam domus predicte tenendam et possidendam per eumdem Petrum, ut vadium suum seu ypothecam suam, et ad recipiendum emolumenta exinde proveniencia, pro acquitando se erga predictas Alesiam et Basiliam de summis predictis, racione dicte domus sibi vendite, ut premissum est, eisdem debitis, tam pro futuro tempore, quam eciam pro recuperandis centum libris et amplius per eumdem, ex causis predictis, mulieribus predictis, in predictis quinque annis solutis et deliberatis, virtute sentenciarum predictarum, et, super hoc, jus sibi fieri postularet, dictusque Johannes, pro se et nomine uxoris sue, predicta negaret et facta contraria proponeret, et, super predictis, fuissent testes hinc inde producti et examinati et diversa producta instrumenta, concluso in causa hujusmodi, idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum Petrum le Grant-Esmalleur sufficienter suam intencionem probasse contra dictum Johannem de Cruce, nomine suo et uxoris sue, et eumdem Johannem, nomine quo supra, in predictis per dictum Petrum petitis condempnavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ad parlamentum, Parisius, per dictum Johannem de Cruce, pro se et nomine quo supra, extitit appellatum : Tandem, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, in curia nostra auditis, visisque sentencia prepositi predicti et processibus, super hoc, coram eodem habitis, cum, per inspectionem eorumdem, nostre curie constiterit dictum Johannem de Cruce, nomine quo supra, domum predictam, quam ipse et ejus uxor inhabitare dicuntur, ad dictos Johannem de Barra, nomine quo supra, Theophaniam, ejus uxorem, et Laurenciam, uxorem dicti Johannis de Cruce, negasse pertinuisse, tempore obligacionis, de qua superius facta est mencio, et per dictum Petrum hoc probatum non fuisse, per curie nostre

PHILIPPE V, 1316.

PHILIPPE V, 1316

judicium, dictum fuit prepositum predictum male judicasse, et dictum Johannem, nomine quo supra, bene appellasse, et eumdem Johannem, nomine quo supra, ab impeticione predicta dicti Petri curia nostra absolvit.

Decima nona die marcii.

M. Bernardus de Albia reportavit.

XXXI. Cum mota esset controversia, in curia nostra, inter ballivum et procuratorem nostros Silvanectenses, ex una parte, et Bochardum de Valle, militem, ex altera, super eo quod dictus miles dicebat se esse in saisina justiciandi, in omnibus casibus, omnes nobiles in villa de Athichiaco et ejus appendenciis commorantes, sive conveniantur ad requestam partis, sive ex officio judicis, proponebatque dictus miles quod, cum ipse detineret Adam Aoustim, militem, et Robinum, ejus filium, Johannem de Castro, Symonem Chambaudum, Johannem Ballim et Perrotum Majoris, scutifferos, in prisione sua captos, eosque de quibusdam treugis fractis et quodam maleficio accusaret, prepositus noster de Petrafontis, de mandato ballivi predicti et ipso ratum habente, absque cognicione cause, turbando et impediendo dictum militem in dicta saisina sua indebite et de novo, cepit, in dicta prisione sua, dictos nobiles et eumdem militem predictis nobilibus spoliavit, quare petebat dictus miles quod ipse servaretur et defenderetur in dicta saisina sua justiciandi dictos nobiles, in dicta villa et ejus appendenciis commorantes, et quod dicti capti reponerentur in manu sua, ut posset de eis facere justiciam, prout racio suaderet; dictis ballivo et procuratore nostris e contrario proponentibus nos esse et fuisse in saisina justiciandi omnes nobiles per totam castellaniam et prepositurarn de Petrafontis, maxime in actionibus personalibus et criminalibus et specialiter per totam terram dicti militis, in dictis castellania et prepositura interclusam, et, per curiam nostram, fuisset commissum certis auditoribus ut ipsi, super articulis dictarum parcium curie nostre traditis et sigillatis, missis eisdem, vocatis evocandis, inquire-

rent cum diligencia veritatem, et inquestam quam inde facerent, sub sigillis suis clausam, curie nostre remitterent judicandam : Dicta inquesta igitur, super hoc, facta et curie nostre missa, ac auditis, in curia nostra, dictis partibus ad judicandum tradita, ea visa et diligenter examinata, quia, per eam, curie nostre constitit quod dictus miles, quantum ad saisinam predictam, melius quam pars adversa, pro nobis, suam probavit intencionem, quantum ad nobiles commorantes in villa de Athichiaco, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum militem esse et remanere debere in saisina justicie nobilium commorancium in dicta villa de Athichiaco, salva nobis in hujusmodi questione proprietatis; verum quia dictus miles non probavit dictos nobiles per dictum prepositum nostrum in dicta prisione sua fuisse captos, nec, ut dictum est, fuisse per eumdem prepositum dictis nobilibus spoliatum, per dictum judicium, dictum fuit dictos nobiles sibi restitui non debere. PHILIPPE V, 1316.

Decima nona die marcii.

P. Droconi reportavit.

XXXII. Cum, coram preposito de Monte-Letherico, homines de Castris-subtus-Montem-Lethericum, suo et dicte ville de Castris nomine, contra priorem et conventum Vallis-Scolarium Parisiensium proponerent quod, cum ipsi sint eorumque predecessores fuerint, nominibus quibus supra, tam de jure communi quam de usu ac consuetudine patrie notoriis et approbatis, a tanto tempore quod de contrario memoria non existit, in bona saisina et usu recipiendi in dicta villa quoscumque deferentes panem undecumque ad villam predictam, ad vendendum, emendique ab eis de dicto pane ac revendendi eumdem libere, diebus quibuslibet, juxta jus, consuetudinem, saisinam et usum predictos, plures pretendentes, super hoc, raciones et petentes se in dictis suis libertatibus, franchisiis et saisinis et usibus tueri, et, mediante justicia, conservar idebere, et absolvi a servitutibus quas, super hoc, ipsi religiosi, contra homines et villam predictos, requirebant habere ; dictis vero religiosis premissa negan-

PHILIPPE V, 1316.

tibus et plura, super hoc, inepte pro se proponentibus, facta fuit super hiis inquesta, per dictum prepositum, que, de consensu dictarum parcium, ad nostram curiam, extitit reportata, et, de mandato nostro ipsi curie nostre tradita, et ad judicandum recepta : Visa igitur, per nostram curiam diligenter inquesta predicta, consideratis eciam et attentis jure communi ac saisina per dictos homines, super hoc, propositis, deposicionibusque testium, super hoc, productorum, per curie nostre judicium, dictum fuit dictos homines et villam remanere debere et tueri in dictis libertatibus, franchisiis et saisinis, eosdem homines et villam ab impeticione predicta dictorum religiosorum, per idem judicium, absolvendo.

Decima nona die marcii.

M. Yvo Prepositi reportavit.

XXXIII. Lite mota coram preposito Parisiensi, inter Petrum dictum le Grant-Esmalleur, ex una parte et Johannem dictum de Cruce, ex altera, super eo quod dictus Petrus impedimentum appositum per dictum Johannem in quadam usseria et aleia ejusdem usserie quas communes dicebat idem Petrus sibi et pluribus aliis, ad eundum et veniendum per medium earumdem ad cellarium suum quod est de pertinenciis domus sue, in dicta usseria inclusum, ad ponendum et reportandum vina et alia bona sua ad suum aysamentum, per quod in saisina sua predictorum, in qua, tam ipse quam hii a quibus ipse causam habet, racione et jure domus sue predicte, esse et fuisse et a tanto tempore de cujus contrario hominis memoriam non existere asserebat, impediebatur et turbabatur indebite et de novo, petebat, per eumdem prepositum, amoveri, ac dictum Johannem ad cessandum ab impedimento hujusmodi condempnari, et dictus Johannes, ex adverso, predicta negabat et plura facta contra dictum Petrum, tam super saisina, quam super proprietate dictarum usserie et aleie, proponebat, ex quibus, concludendo, par eumdem prepositum petebat pronunciari eumdem Johannem, in aleia predicta, jus habere, et dictum Petrum jus in predictis non habere de-

clarari, ac eidem Petro perpetuum silencium de eundo et veniendo per dictam aleiam imponi, et pro eo quod idem Petrus usserias in dicta aleia existentes, in injuriam dicti Johannis fregerat, eumdem Petrum compelli petebat ad reponendum predicta in statu in quo erant tempore hujusmodi fractionis, et pro emenda injurie predicte sibi eumdem Petrum in quadraginta libris Parisiensibus condempnari, et ipsum Johannem in saisina aleie predicte tueri et defendi, prout seriosius predicta in articulis a partibus coram dicto preposito traditis continentur; prepositus predictus, concluso in dicta causa et visis deposicionibus testium hinc inde, super hoc, productorum, visoque totali processu habito, super hiis, coram ipso, dictum Johannem in predictis per dictum Petrum contra eum petitis, per suum judicium, condempnavit, et dictum Petrum a peticione predicta dicti Johannis absolvit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Johannes ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur, in causa appellacionis predicte, in curia nostra, dictis partibus, visisque processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Decima nona die marcii.

M. Bernardus de Albia reportavit.

XXXIV. Cum, coram preposito Parisiensi, magister Matheus de Caudebec, phisicus, contra magistrum Johannem de Forgetis, clericum nostrum, proponeret se et illos a quibus ipse causam habebat, fuisse et esse in saisina pacifica habendi et tenendi, tanquam suam propriam, libere et quiete, absque servitute, dangerio et contradicione alicujus, quamdam domum, cum quadam aleia juncta eidem et contigua, sitam Parisius, in vico Magdalene, prefatus magister Johannes, per se ejusque gentem et familiam de novo, injuste et sine causa, perturbando ipsum magistrum Matheum in predictis, nitebatur et nisus fuerat intrare in dictam aleiam ireque per eam et per domum predictam de domo ipsius magistri Johannis, sita prope domum

PHILIPPE V, 1316.

predictam in predicto vico, et de eodem vico redire in dictam domum suam, contra jus et consuetudinem patrie, super hoc, novitatem indebitam sibi faciendo, in dampnum et prejudicium ejusdem, et, ob hoc, requireret, idem magister Matheus, predictum magistrum Johannem condempnari et compelli ad cessandum et desistendum penitus ab impedimento et novitate predictis, et ea amoveri ac in sua saisina predicta conservari pacifice et teneri, predicto magistro Johanne contrarium proponente et dicente se esse et illos a quibus ipse causam habebat fuisse in bona saisina et pacifica habendi suum ire et redire per dictam aleyam, eundique et redeundi, per se et ejus familiam, sine dangerio et contradicione dicti magistri Mathei, vel alterius pro eodem, de domo sua predicta et curte ejusdem per aleyam supradictam, quam aleyam et ejus saisinam dictus magister Matheus impediebat eidem et contradicebat injuste et de novo, ita quod dictus magister Johannes non poterat de ipsa gaudere, quare petebat predictum magistrum Matheum condempnari et compelli ad cessandum et desistendum ab impedimento et novitate hujusmodi, et ad ea penitus amovenda, ac resaisiri et sufficienter restitui ad suas saisinam et possessionem predictas, conservarique et teneri in eis; ostensione igitur de loco predicto legittime facta, liteque in ipsa causa hinc inde contestata, juratoque, super hoc, a dictis partibus seu earum procuratoribus, certa die, ad dicendum hinc inde veritatem, dictis partibus assignata, procurator prefati magistri Johannis sufficienter comparens contra partem adversam minime comparentem licet legittime vocatam et expectatam, defectum a dicto preposito reportavit, virtute cujus, postmodum proposuit dictus magister Johannes, coram dicto preposito, quod ipse lucratus fuerat causam suam, et quod dictus magister Matheus amiserat eam de notoria et approbata consuetudine laicalis fori et specialiter Castelleti Parisiensis, quare peciit ab ipso preposito sibi jus et justiciam, super hoc, exhiberi, offerendo eidem, super consuetudine hujusmodi, si opus esset, sufficienter ejus curiam informare, memorato magistro Matheo in contrarium proponente et dicente quamplures raciones juris et

facti, quare premissa fieri non deberent, et quod, eis non obstantibus, procedi debebat ulterius in causa principali predicta; tandem premissis et aliis, hinc inde, propositis, et ad probandum admissis, quibusdam actis seu instrumentis, super hoc, exhibitis, nonnullis insuper testibus hinc inde, super hoc, productis et diligenter examinatis, conclusoque in causa predicta, demum, certa die ad jus audiendum, super hoc, dictis partibus assignata, prepositus predictus, auditis omnibus que parte ipse voluerunt, super hoc, proponere coram ipso, visoque dicto processu et attenta consuetudine predicta notoria super hoc allegata, per suum judicium, pronunciavit predictum defectum ad finem ad quem prefatus magister Johannes intendebat valere et quod, virtute dicti defectus et supradicte consuetudinis, predictus magister Johannes restitui debet et sufficienter ressaisiri ad suam saisinam predictam, pro se et suis, eundi absque dangerio, impedimento et contradicione dicti Mathei, de predicta domo sua et curti per predictam aleiam ad dictum vicum, et de supradicto vico redeundi in dictam domum suam, ac eumdem magistrum Johannem debere tueri in sua saisina predicta eundi et veniendi per dictam aleiam, non obstantibus propositis ex adverso, et absolvit eumdem magistrum Johannem ab impeticione predicta dicti magistri Mathei, questione proprietatis dictis partibus, super hiis, reservata; a quo judicato tamquam falso et pravo, per dictum magistrum Matheum ad nostram curiam extitit appellatum: Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et auditis hinc inde propositis, ac visis judicato et processu predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et prefatummagistrum Matheum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Decima nona die martii.

M. Gervasius reportavit.

XXXV. Cum, in causa, que, coram ballivo Senonensi, vertebatur, inter Petrum le Petit de Herici, et ejus uxorem, ex una parte, et

PHILIPPE V, 1316.

domicellam Lienor, relictam Petri de Brocia, ex altera, super eo quod dictus Petrus le Petit et ejus uxor, dicebant et proponebant, contra dictam domicellam, quod ipsa, injuste et sine causa racionabili, vendi fecerat, cum preconizacione et interposicione decreti, sub sigillo prepositure Meleduni, quamdam domum dictorum conjugum, sitam apud Herici, contiguam domui Johannis Chaumart, pro precio quadraginta librarum Parisiensium, cum in rei veritate, dicti conjuges non tenerentur eidem nisi in novem libris Parisiensibus dumtaxat, et non in pluri per finalem compotum habitum inter dictas partes, apud Fontembliaudi, coram magistro Richardo Tiboutet, clerico nostro; item et super eo quod inventum fuerat, ut ipsi dicebant, per dictum magistrum Richardum, quod dicta domicella computaverat dictis conjugibus viginti libras bis, et, propter hoc, dicebant dicti conjuges quod, ob hanc causam, facta fuerat dicta vendicio injuste, et idcirco dictus magister Richardus, ut ipsi dicebant, anullaverat dictum decretum, et pronunciaverat quod dicti conjuges tenebantur, omnibus deductis, dicte domicelle, in dictis novem libris dumtaxat; quare petebant dicti conjuges pronunciari dictum decretum fore nullum, et dictam vendicionem injuste factam fuisse; dicta domicella, ex adverso, negando predicta, proponente ad sui defensionem, quod, pro viginti libris in quibus dicti conjuges eidem tenebantur, ex una causa, et pro aliis viginti libris, ex alia causa, totaliter diversa, et de alio tempore, facta fuerat vendicio predicta, pro dictis quadraginta libris bene et juste cum preconizacione et interposicione decreti, secundum usum et consuetudinem dicti loci, et quod Robertus de Villa-Nova, olim ballivus Senonensis, dictum decretum in suis assisiis ratificaverat et confirmaverat per suum judicatum; tandem, cum, de consensu dictarum parcium, dictus ballivus deputasset certos commissarios ad inquirendum veritatem super premissis, inquesta per dictos commissarios facta, super hoc, et dicto ballivo ad judicandum reportata, partibus presentibus et auditis, dictus ballivus, in suis assisiis, apud Meledunum, visa dicta inquesta et diligenter examinata, visisque quibusdam instrumentis et aliis que dicte partes,

super hoc, produxerunt, per suum judicium, pronunciavit quod dicti conjuges minus sufficienter probaverant, super hoc, suam intencionem, et quod dicta domicella magis sufficienter, super hoc, intencionem suam probavit, et eamdem absolvit ab impeticione predicta dictorum conjugum, et pronunciavit dictum decretum tenere debere; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicti conjuges ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicato predictis, per nostre curie judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse, et dictos conjuges male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Decima nona die martii.

M. Richardus de Bosco reportavit.

Memoriale quod dicti conjuges simplices et pauperes sunt.

XXXVI. Mota controversia, in curia nostra, inter dilectum et fidelem nostrum episcopum Laudunensem, ex una parte, et majorem, juratos et communiam ville de Fera, ex altera, super eo quod dictus episcopus petebat quod, per curiam nostram, declararetur et pronunciaretur dictum episcopum tenuisse et tenere debere ripariam de Oyse, infra certos terminos per dictum episcopum designatos, et dictis majori, juratis et communie per eumdem episcopum sufficienter ostensos, libere, absque hoc quod debeatur dictis majori, juratis et communie aliqua servitus seu esancia piscandi, et quod pronunciaretur et declararetur predictos majorem, juratos et communiam jus piscandi in dicta riparia non habere, et quod predicti major, jurati et communia amoverentur de possessione et saisina piscarie supradicte, et, ad finem predictum, proponebat idem episcopus plura facta; dictis majore, juratis et communia, ex adverso, proponentibus quod dicta piscaria est sita infra terminos baronie de Couciaco et in castellania de Fera, et quod, per racionem et de jure communi, riparie etbaurrie que sunt in dicta castellania sunt domini de Couciaco et ad eum pertinent vel ab eo causam habentes, et quod Ingerranus, quon-

PHILIPPE V, 1316.

dam dominus de Couciaco, tanquam domus[1] dicte piscarie, dedit et transtulit in dictos majorem, juratos et communiam omne jus dicte piscarie, et quod ipsi dictam piscariam tenuerunt et possederunt pacifice et continue, bona fide et justo titulo, per tam longum tempus quod memoria in contrarium non existit, et specialiter per tantum tempus quod sufficit ad acquirendum dominium contra prelatos, ecclesias, et quascumque alias personas; quare petebant dicti major, jurati et communia, quod ipsi absolverentur ab impeticione predicta dicti episcopi, et quod pronunciaretur dictum episcopum jus non habere petendi dictam piscariam, immo quod pronunciaretur et declararetur dictam piscariam ad dictos majorem, juratos et communiam solos et insolidum pertinere, prout hec omnia in articulis dictarum parcium plenius continentur, et, cum, per curiam nostram, fuisset commissum certis auditoribus ut ipsi, super articulis dictarum parcium curie nostre traditis et missis eisdem, vocatis evocandis, inquirerent, cum diligencia, veritatem, et inquestam quam inde facerent, sub sigillis suis, clausam, curie nostre remitterent judicandam, dicta inquesta super hoc facta, et curie nostre missa fuit, super hoc, auditis, in curia nostra, dictis partibus, tradita ad judicandum: Visa igitur et diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dicti major, jurati et communia ab impeticione predicta dicti episcopi absoluti fuerunt, et, super hoc, perpetuum silencium impositum fuit episcopo supradicto.

Decima nona die martii.

M. P. Droconis reportavit.

XXXVII. Cum, coram preposito Parisiensi, magister Galtherus de Rouvrez, contra Philippum de Joy, carpentarium, proponeret se fuisse et esse in bona et sufficienti saisina tenendi et possidendi tamquam suum proprium, quemdam jardinum seu quamdam masuram, prout se comportat, sitam Parisius, in Magno Vico, contiguam domui Droconis de Caprosia, ex una parte, et domui filie Katherine dicte la Fran-

[1] Lisez *dominus*.

çoise, ex altera, colligendique et levandi fructus et exitus dicti jardini, claudendique et aperiendi hostium ejusdem; dictusque magister Galtherus, ejus bona et specialiter dictus jardinus, racione dicti debati, positi fuissent, per prepositum Parisiensem, in nostris manu et gardia, predictus Philippus, premissa sciens, ad ipsum jardinum dicti magistri tunc absentis, negociisque nostris insistentis, ut dicebat, bis accedens et violenter irruens, hostium dicti jardini fregit, martellis, securibus et armis aliis, et ipsum jardinum, contra voluntatem ipsius magistri, intravit indebite et injuste ac de novo impediendo et perturbando eumdem in suis possessione et saisina predictis, frangendo manum et gardiam nostras predictas ac injuriando, super hoc, eidem, seu injurias inferendo, quas noluisset sibi factas fuisse, ut dicebat, pro quinquaginta libris Parisiensibus, dampnificando eciam eumdem magistrum, racione violencie et fraccionis hujusmodi, in decem libris Parisiensibus, et, ex hiis causis, peteret impedimentum et novitates predictas amoveri, dictumque Philippum, ad cessandum et desistendum ab eis, et ad permittendum eumdem magistrum Galtherum uti et gaudere predicta sua saisina pacifice et quiete, necnon ad solvendum et reddendum eidem dictas quinquaginta libras, pro emenda injuriarum predictarum, et decem libras, pro dictis dampnis, comdempnari et compelli, et, super hiis, sibi justiciam exhiberi, dictusque Philippus ex adverso proponeret, ad finem contrarium, quamplures raciones juris et facti, per quas dicebat premissa fieri non debere, immo petebat se, ab impeticione predicta dicti magistri Galteri, absolvi, et in saisina dicti loci in qua fuerat et erat, ut ipse dicebat, se teneri et conservari, ac impedimentum et novitatem, per dictum magistrum, super hoc, eidem appositas, penitus amoveri; ostensione igitur de dicto loco sufficienter facta, lite, tam super premissis quam super quibusdam aliis hinc inde propositis, legittime contestata, jurato, super hiis, a dictis partibus seu earum procuratoribus, certis responsionibus, hinc inde subsecutis, pluribusque testibus hinc inde, super hiis, productis et diligenter examinatis, eorumque deposicionibus partibus publicatis, pluribus instrumentis

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

seu litteris hinc inde exhibitis, nonnullis insuper racionibus juris et facti, ex parte dicti magistri Galteri, contra dictum Philippum et testes, ex parte ipsius, productos et eorum dicta, propositis, et ex adverso replicatis, et quatenus in facto consistebant, sub certa forma, ad probandum admissis, testibus, super hiis, productis et examinatis, tandem concluso a dictis partibus in causa predicta, memoratus prepositus, visis actis dicte cause, auditis omnibus que partes ipse voluerunt proponere, coram ipso, pronunciavit, per suum judicium, prefatum Philippum melius probasse, super hiis, intencionem suam quam dictum magistrum Galterum, et absolvit eumdem Philippum ab impeticione predicta dicti magistri Galteri, adjudicans eidem Philippo peticionem suam predictam, asserendo debere fieri illud quod idem Philippus requisierat contra magistrum predictum; a quo judicato, tamquam falso et pravo, per dictum magistrum Galtherum, ad nostram curiam extitit appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit memoratum prepositum, in eo quod ipse pronunciavit predictum Philippum melius probasse intencionem suam quam dictum magistrum Galtherum, et in eo quod ipse absolvit eumdem Philippum ab impeticione predicta dicti magistri Galtheri, et adjudicavit ipsi Philippo suam peticionem predictam, et dixit debere fieri illud quod idem Philippus requisierat contra dictum magistrum Galtherum, quamtum tangit articulos super saisina loci predicti, male judicasse, et, ex hoc, predictum magistrum Galtherum bene appellasse, in quamtum autem idem prepositus absolvit dictum Philippum ab impeticione dicti magistri Galtheri, quamtum tangit alios articulos, videlicet de quinquaginta libris, pro injuriis, et decem libris pro dampnis petitis, eumdem prepositum bene judicasse, et eumdem magistrum Galtherum, quamtum ad hoc, male appellasse, per idem insuper nostre curie judicium, adjudicata fuit, predicto magistro Galthero, predicta sua peticio, quamtum tangit articulos de saisina predicta, ac pronunciatum extitit impedimentum et novitates, de quibus in dicta peticione

sua dictus magister Galtherus conqueritur, debere penitus amoveri, memoratus insuper Philippus, ad cessandum et desistendum ab impedimento et novitate predictis, et ad permittendum eumdem magistrum uti et gaudere pacifice et quiete predicta saisina sua extitit condempnatus. PHILIPPE V, 1317.

Decima nona die martii.

M. Gervasius reportavit.

Emendare non debet quia in parte bene appellavit.

XXXVIII. Cum, super querimonia quam episcopus Cathalanensis domino genitori nostro fecerat contra Johannem de Porta, Jacobum Scabini et plures alios habitatores ville de Cole, super eo videlicet quod, cum gentes dicti episcopi cepissent quosdam malefactores, in presenti delicto, in villa et territorio de Faux, in qua dictus episcopus dicebat se habere omnimodam altam et bassam justiciam, et de ea se esse in possessione pacifica, niterenturque quosdam complices dictorum malefactorum capere, in dicta justicia, predicti Johannes et Jacobus, cum quibusdam suis complicibus, turba coadunata, cum armis, more hostili, accedentes ad prisionem dicti episcopi, prisionem ipsam violenter fregerant, malefactoresque predictos ibidem existentes, ob causam predictam, violenter extraxerant, gentesque dicti episcopi, per predictam armorum potenciam, impediverunt quominus predictos malefactorum complices capere possent, in dicti episcopi magnum prejudicium, et garde regie, in qua dictus episcopus speciali existebat, contemptum; quamobrem predictus dominus et genitor noster nolens tam enormia delicta, conniventibus oculis, pertransire, mandavit et commisit, per suas patentes litteras, Christiano de Jaseignes, ejus servienti in prepositura Laudunensi, ut, super premissis, summarie et de plano, vocatis evocandis, diligenter inquireret veritatem, et quos, per ipsam inquestam, premissa perpetrasse novisset, ad reponendum dictos prisionarios in prisione dicti episcopi, a qua ipsos violenter extraxerant, et ad prestandum, dicto domino et genitori nostro, pro dicta armo-

PHILIPPE V, 1317.

rum portacione, et eidem episcopo, pro tantis excessibus, condignam emendam, necnon et ad satisfaciendum dictis lesis, de dampnis et interesse de quibus sibi liqueret, compelleret per capcionem et detencionem corporum et bonorum suorum, dictusque Christianus, virtute commissionis predicte, vocari fecisset, coram se, Johannem et Jacobum predictos et quosdam alios habitatores ville de Cole, propositoque contra eos facto predicto, ex parte procuratoris dicti episcopi, recepisset, ac jurare fecisset, in eorum presencia, plures testes, ex parte procuratoris episcopi predicti, ad probandum premissa, productos; quibus receptis et examinatis, assignataque certa die, coram dicto serviente, dictis Johanni et Jacobo, et aliis suis complicibus, ad audiendum jus, super inquesta predicta, idem episcopus obtinuit litteras a dicto domino et genitore nostro, per quas mandabatur dicto Christiano quod, si dicta inquesta perfecta non esset, eam celeriter perficeret et perfectam remitteret ad parlamentum, Parisius, sub sigillo suo fideliter interclusam, ad diem ballivie Viromandie futuri tunc proximo parlamenti, adjornando illos quos dictum tangebat negocium, ad diem predictam, visuros inquestam judicari predictam : Auditis igitur in parlamento predicto, partibus antedictis, visaque et diligenter examinata inquesta predicta, quia per eam repertum fuit, dictos Johannem et Jacobum, cum quibusdam aliis suis complicibus, culpabiles fuisse de predictis excessibus, curia nostra, ut quemlibet eorum, secundum qualitatem dicti excessus et quantitatem facultatum suarum, punire posset, mandavit informacionem fieri de facultatibus eorumdem, qua informacione facta, et ad nostram curiam reportata, visaque ea et examinata diligenter, una cum inquesta predicta, quia repertum est quod Johannes de Porta, Lambertus li Lubras, Ancherus filius Ancheri, Clemens li Martras, Reginaldus Chant-Tourtel, Odinus Lumbardi, Johannes Mangobauz, Jançons dictus Perretons, dictus Coles, frater prepositi, Johannes li Martras, Johannes de Fere-Champenoise, Adelina, uxor Marqueti de Lingonis et Clemens Lofriers, per violenciam fregerunt prisionem dicti episcopi, in qua ipse tenebat captos Lambertum Rovay et Johannem

Mangobaut, curia nostra condempnavit eos ad resaisiendum prisionem dicti episcopi de predictis Lamberto et Johanne. Item et quia repertum est quod predicti Johannes de Porta, Lambertus li Lubras, Ancherus filius Ancheri, Clemens li Martras, Reginaldus Chant-Tortel, Johannes Mangobauz, Jançons dictus Perretons, Johannes li Martras, Johannes de Fere-Champenoise, et Clemens Lorfriers, una cum Perroto, filio a la Bestete, et Johanne le Forchas rescusserunt, gentibus ipsius episcopi, Jançon Gallart, quem in loco de Faux, ex certa causa, ceperant et captum ducebant, curia nostra condempnavit eos ad faciendum restitucionem gentibus dicti episcopi de dicto Jançon. Item, et quia per informacionem predictam factam super eorum facultatibus, repertum est quod aliqui ex predictis, minus sunt sufficientes in facultatibus, ita quod ad aliquam condignam emendam pecuniariam solvendam nobis et dicto episcopo non sunt in aliquo sufficientes, curia nostra condempnavit eos ad penam corporalem sustinendam, secundum qualitatem excessuum predictorum, videlicet Reginaldum et Clementem Lofriers ad remanendum in prisione nostra clausa per quinquaginta dies, Ancherum filium Ancheri, Johannem Mangobaut et Johannem de Fere-Champenoise, quemlibet per quadraginta dies, Oudinum le Lumbart, per triginta dies, Adelinam, uxorem Marqueti de Lingonis, per quindecim dies, Johannem le Forchas per octo dies, ceteros vero condempnavit curia nostra predicta, in quindecim libris Turonensibus ipsi episcopo, et nobis in quinquaginta libris Turonensibus, pro emenda, videlicet Johannem de Porta in undecim libris Turonensibus nobis, et ipsi episcopo in quatuor libris, Lambertum le Lubras in undecim libris Turonensibus nobis, et ipsi episcopo in quatuor libris, Clementem le Martras in quadraginta solidis, et ipsi episcopo in viginti solidis, Perrotum, filium a la Bestete, in viginti solidis nobis, et ipsi episcopo in decem solidis, Jançon dictum Pereton, in decem libris et decem solidis nobis, ac ipsi episcopo in quinquaginta solidis, dictum Cole, fratrem prepositi, in decem libris et decem solidis nobis, et ipsi episcopo in quadraginta solidis, Johannem le Martras in quatuor libris nobis, et ipsi episcopo in viginti solidis,

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

ceteri vero, videlicet Lambertus Rovay, — Johannes le Pautonant, — Johanna, uxor defuncti Johannis le Gros, racione Remigii, filii sui, — Clemens la Poire, pro se, Jaqueton et Hueto, filiis suis, — Jançon, filius Roberti le Duc, — Lambertus la Mormarande, — Emelina, uxor defuncti Constancii le Pele, — Henricus, ejus filius, — Henricus, filius le Josse, — Johannetus de la Porte, uxor sua, et Jançons Coillons, eorum filius, — Adenetus le Brocart, — Hymbertus, filius le Cordie, — Rodon la Bestete, — Miletus, ejus filius, — Jaqueton le Bolengier, — Miletus le Cordier, — Coleton, ejus filius, — Marquetus de Lingonis, — Huetus, filius Clerici, — Adelina, uxor quondam Clementis le Cortois, — Jaqueton, ejus filius, — et Guiotus de la Nasse, tabernarius de Cathalano, contra quos eciam, ad inquirendum, super premissis, fuerat processum, quia, per dictam inquestam minime repertum est ipsos fore culpabiles de premissis, fuerunt, per idem curie nostre judicium, super hoc, absoluti.

Mercurii ante Pascha.

P. Boelli reportavit.

XXXIX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Reginaldum, appothecarium, civem Parisiensem, tamquam executorem defuncte Marguarete de Senonis, seu portatorem litterarum ejusdem sigillatarum sigillo prepositure Parisiensis, et Johannam dictam la Feutriere, civem Parisiensem, tutricem seu curatricem Raoleti, filii et heredis defuncti Johannis de Campis, quondam civis Parisiensis, ex parte una, ac Johannam dictam la Cochetiere, ex parte altera, super eo videlicet quod idem Reginaldus et Johanna la Feutriere, nomine quo supra, asserebant quamdam summam peccunie, redactam ex quibusdam bonis Mathei de Atrabato, arrestatam esse in manu dicti prepositi seu in manu Thome Nevonin, de mandato ejusdem prepositi, unde, cum dictus Matheus, tempore arresti positi in bonis ejus, esset obligatus efficaciter predictis Reginaldo et Johanne, nomine quo supra, videlicet ipsi Reginaldo nomine quo supra, in quinquaginta et una libris quatuordecim solidis et sex denariis Parisiensibus, ex

certa causa, contenta in quadam littera sigillata sigillo Castelleti Parisiensis, et in ducentis et sexdecim libris et tredecim solidis Parisiensibus defuncto Johanni de Campis, patri quondam dicti Raouleti, cujus nomine, ut tutorio seu curatorio, agebat dicta Johanna la Feutriere, assererentque dicti Reginaldus et Johanna, nomine quo supra, quod, licet dicta bona essent arrestata, ad instantiam dicte Johanne la Cochetiere solum, licebat tamen ipsis Reginaldo et Johanne la Feutriere venire et petere quod venirent ad distribucionem peccunie redacte ex bonis predictis arrestatis, ad instanciam dicte Johanne la Cochetiere, antequam dicta peccunia traderetur dicte Johanne la Cochetiere in solutum, maxime in casu de desconfiture, secundum usum et consuetudinem notorios in civitate Parisiensi diucius observatos, et idcirco, cum dicta peccunia nondum fuerit in solutum tradita dicte Johanne la Cochetiere, et dictus Matheus de Atrabato, propter oppressionem debitorum, fugiisset, et ita esset in casu de desconfiture, petebant predicti Reginaldus et Johanna la Feutriere, nomine quo supra, suam legittimam porcionem, in peccunia predicta, ad solidum et libram, et, super hoc, petebant sibi jus fieri per dictum prepositum, dicta Johanna la Cochetiere in contrarium asserente et dicente quod, cum pro quinque et septuaginta libris Parisiensibus vel circa, in quibus dictus Matheus erat efficaciter obligatus eidem, per litteras Castelleti Parisiensis, certa bona dicti Mathei fuissent posita ad manum ipsius prepositi, ad instanciam ipsius Johanne la Cochetiere solum, que bona fuerant tradita Thome Nevonin, qui Thomas promiserat reddere et solvere eidem Johanne dictas quinque et septuaginta libras pro dicto Matheo, si contingeret dictum Matheum condempnari ad reddendum eidem Johanne summam peccunie predictam, unde, cum dictus Matheus fuisset condempnatus, per sentenciam dicti prepositi, ad reddendum et solvendum eidem Johanne dictam peccunie summam, dictusque Thomas dictam peccunie summam posuisset in manu dicti prepositi, hac sola de causa ut ipsam traderet dicte Johanne la Cochetiere, dicebat dicta Johanna la Cochetiere quod dicta peccunie summa sibi soli debebat tradi et liberari, vel si contin-

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

geret quod pars adversa deberet habere aliquam porcionem in dicta peccunia, dicebat dicta Johanna la Cochetiere quod saltem ante omnia deberet solvere eidem Johanne porcionem suam legittimam de hiis que ipsa expenderat in procuranda dicta peccunia erga dictum Matheum, que tantumdem expenderat, ut dicebat, quantum ipsa petebat; super quibus omnibus petebat sibi jus fieri per prepositum predictum; lite igitur, coram dicto preposito, super premissis, contestata, testibus hinc inde productis, juratis et examinatis, eorum attestacionibus publicatis, concluso in dicta causa, assignata certa die ad jus, super hoc, audiendum, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod dicti Reginaldus et Johanna la Feutriere, nomine quo supra, venient, virtute consuetudinis, ad distribucionem, ad solidum et libram, cum dicta Johanna la Cochetiere, in summa peccunie predicta, de qua est contencio, super qua summa, quia inveniebat, cum per confessionem dictorum Reginaldi et Johanne la Feutriere, tum quia racio hoc dictabat, quod dicti Reginaldus et Johanna la Feutriere tenebantur solvere suam legittimam porcionem expensarum racionabilium quas dicta Johanna la Cochetiere fecerat in procuranda dicta summa peccunie, dicta Johanna la Cochetiere, ante omnia, capiet expensas quas ipsa fecerat contra Johannem de Pontisara quem ipsa expulerat a distribucione dicte summe; item expensas eciam quas ipsa fecerat contra dictum Thomam Nevonin, in defendendo quod dictus Thomas non veniret, super hoc, ad distribucionem; sed, racione aliarum expensarum quas ipsa fecerat contra dictum Thomam, nichil capiet; item, racione expensarum quas ipsa fecit, contra dictum Matheum de Attrabato, de debito principali, ipsa veniet ad distribucionem, una cum predictis Reginaldo et Johanna, ad solidum et libram, in residuo dicte summe, sicut superius est dictum, taxacione dictarum expensarum penes eumdem prepositum reservata; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicta Johanna la Cochetiere ad parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur, in parlamento predicto, partibus antedictis, in causa appellacionis predicte, visisque et diligenter examinatis, tam processu dicte cause principalis quam quibus-

dam aliis processibus et sentenciis, in modum probacionis productis, quia non fuit repertum quod predicti Reginaldus et Johanna la Feutriere fecerint aliquam fidem de debitis, pro quibus ipsi petunt se admitti ad habendum porcionem in peccunia predicta; item quia ipsi nullam fidem fecerunt de nomine quo agunt, videlicet dictus Reginaldus quod sit executor seu portator litterarum dicte defuncte Margarete de Senonis, et dicta Johanna la Feutriere quod sit tutrix vel curatrix dicti Raoleti, filii et heredis defuncti Johannis de Campis; item et quia dictus prepositus plus et super aliis pronunciavit quam esset petitum, hiis et aliis racionibus, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictam Johannam bene appellasse. PHILIPPE V, 1317.

Mercurii ante Pascha.

P. Boelli [reportavit].

XL. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter Guidonem de Ruppe-Forti, militem, ex una parte, et Percevallum de Varenis, scutiferum, ex altera, super eo quod dictus miles requirebat dictum prepositum quod ipse demandaret execucioni quasdam litteras, sigillo Castelleti Parisiensis sigillatas, contra dictum Percevallum et in bonis ejusdem, usque ad summam sexaginta librarum Parisiensium, pro termino Epiphanie preterito, de anno Domini millesimo trecentesimo tercio decimo debitas, ut dicebat dictus miles, a dicto Percevallo dicto militi et Ysabelli, quondam uxori dicti militis, quamdiu viveret dicta uxor, videlicet sexaginta libras, ad festum Epiphanie et alias sexaginta libras, ad festum Penthecostes, racione et occasione dotalicii quod habebat dicta uxor, tam in terris quam vineis ac aliis redditibus, in bonis defuncti Symonis de Varenis, militis, quondam mariti primi dicte Ysabellis, dicebatque dictus Guido quod dictus Percevallus collegerat et levaverat omnes fructus, exitus et emolumenta terrarum, vinearum et aliorum redditiuum dicti dotalicii, ante mortem dicte Ysabellis, dicto Percevallo, ex adverso, proponente quod dictus Guido non potuerat petere dictas sexaginta libras,

PHILIPPE V, 1317.

quas ipse petebat, racione dotalicii dicte Ysabellis, de predicto termino Epiphanie, cum dicta Ysabellis mortua fuisset, per lungum tempus ante terminum supradictum, et ita cessabat causa dicti dotalicii, et, licet plura recepisset idem Percevallus, ut ipse dicebat, de fructibus predictorum bonorum, ante mortem dicte Ysabellis, hoc fecisse de jure potuerat, ut dicebat, cum, pro omnibus terminis preteritis, ipse solvisset dictam pensionem dicto militi debitam, racione dicti dotalicii, licet, tempore mortis dicte Ysabellis, vinee dicte firme essent adhuc vindemiande, et major pars redditus dicti dotalicii recipienda; quare petebat dictus Percevallus ab impeticione dicti militis se absolvi, prout hec omnia inventa fuerunt per nostram curiam in articulis dictarum parcium contineri; auditis dictis partibus visisque earum processibus a dicto preposito, dictus prepositus, super eisdem, judicatum suum protulit, condempnando dictum Percevallum ad solvendum eidem militi predictas sexaginta libras per eum petitas; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Percevallus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur in curia, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus predictis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, in eo quod ipse in dicto judicato suo non expressit dicto Percevallo de summa predicta deduci debere valorem fructuum dictarum vinearum, quos fructus non probavit dictus miles eumdem Percevallum, ante obitum dicte Ysabellis, levasse, male judicasse, ipsum vero in residuo bene judicasse.

Mercurii ante Pascha.

P. Droconis reportavit.

XLI. Cum, super eo quod Adam Anglici, procurator Jacobi de Peroy, presbiteri, et Roberti de Perey, clerici, fratrum, nomine procuratorio eorum, proponebat, coram preposito Parisiensi, contra magistrum Johannem le Neveu, executorem et nomine executorio testamenti defuncti magistri Richardi le Neveu, quondam episcopi Biterrensis, pro se et aliis dicti testamenti executoribus comparen-

tem, ut dicebat, videlicet quod processus habitus coram dicto preposito, super execucione cujusdam littere, sigillate sigillo Castelleti Parisiensis, de summa mille et centum libris in quibus magister Johannes dicebat dictos fratres efficaciter obligatos dicto episcopo, tempore quo ipse vivebat, dicebat retardari, occasione cujusdam littere a domino genitore nostro impetrate, ex parte dictorum fratrum, super quibusdam erroribus procuratoris ipsorum, dicto magistro Johanne plures raciones e contrario proponente; die assignata, coram dicto preposito, ad audiendum jus super premissis, videlicet utrum pretextu errorum predictorum propositorum, ex parte dictorum fratrum, et littere predicte impetrate, super hoc, quod de erroribus predictis cognosceretur, processus jam habitus, super execucione predicta, retardari deberet; dictus prepositus, viso processu, super hoc, habito inter partes predictas, considerato insuper quod procurator dictorum fratrum negligens fuerat in ostendendo, in judicio, litteram predictam, de qua nolebat se juvare ad finem predictum, pronunciavit, per suum judicium, fore procedendum super premissis cause hujusmodi arramentis, non obstantibus erroribus, ex parte dictorum fratrum, super hoc, allegatis, salvis utrique parti racionibus juris; a quo judicato, tanquam falso et pravo, procurator dictorum fratrum, nomine procuratorio ipsorum, ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur, in parlamento nostro, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visoque et diligenter examinato processu, super hoc, inter partes habito, coram dicto preposito, cum, per processum predictum, non appareat propositum nec probatum si et in quibus, super hiis, per dictum procuratorem fuerit erratum, per curie nostre judicium, dictum fuit bene judicatum fuisse, super hoc, per dictum prepositum, et procuratorem predictum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V. 1317.

Mercurii ante Pascha.

M. P. Boelli [reportavit].

XLII. Cum proponerent, coram preposito Parisiensi, contra Mar-

PHILIPPE V, 1317.

garitam dictam la Orsa, Johannetus dictus de Sain-Cuir et Johannes dictus Brichet, nomine Agnetis, uxoris sue, dicti Johanneti sororis, defunctum Girardum de Sancto-Cuir, fratrem quondam Johanneti et Agnetis predictorum, post obitum Guillelmi dicti de Sancto-Cuir, patris eorumdem, mamburniam et gardam predictorum Johanneti et Agnetis et bonorum eorumdem recepisse, et, inter alia, de bonis predictis, triginta sex libras Parisienses dicto eorum patri debitas, de quibus, ut ipsi dicebant, pro rata hereditatis et successionis dicti eorum patris eosdem contingente, novem libre spectabant ad dictum Johannem, nomine dicte Agnetis, ejus uxoris, novem ad dictum Johannetum et novem ad Symonetum, fratrem eorumdem, a quo eamdem peccuniam petendi causam se habere dicebant; ac eumdem Girardum, pro eo quod ipse quamdam domum, de qua ipsi motam contencionem et factam vendam esse dicebant, et quam dictam Margaritam, sine titulo et causa racionabili, possidere dicebant, tenebat et possidebat, decessisse non satisfacto eisdem de predictis, bonaque Girardi predicti, a tempore obitus ejusdem, pro predictis remansissent obligata eisdem, et propter ea et alia, in eorum articulis, coram dicto preposito, traditis, seriosius contenta, peterent dictam Margaritam, per eumdem prepositum, condempnari et compelli ad dimittendum domum predictam, aut reddendum et solvendum eisdem summas predictas, vel dictam domum eis tradi et adjudicari, pro tenendo et possidendo, sicut vadium suum, dicta Margarita certam partem propositorum, super hoc, articulorum contra eamdem negante, et plura facta, ad ejus defensionem, in hujusmodi proponente, prepositus predictus, productis in dicta causa testibus examinatis et eorum deposicionibus visis, una cum instrumentis et litteris, super hoc, productis, predictam Margaretam, in predicta peticione dictorum Johannis Bricheti et Agnetis, ejus uxoris, ac dicti Johanneti, per suum judicium, condempnavit; a quo judicato, tanquam falso et pravo, ad parlamentum, Parisius, per dictam Margaretam extitit appellatum: Auditis igitur, in parlamento nostro, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus coram dicto preposito factis super hoc,

et judicato predicto, cum manifeste, ex eorumdem tenoribus, curie nostre constiterit obligacionem in articulis, ex parte dictorum petencium propositam, non fuisse sufficienter probatam, nec in eisdem articulis, per eosdem petentes, propositum fuisse dictum Girardum domum predictam, tempore obitus sui, ut suam tenere, licet in judicato predicti prepositi hoc inseratur propositum fuisse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictam Margaretam bene appellasse, et ab impeticione predictorum fuit dicta Margareta, per idem judicium, absoluta. PHILIPPE V, 1317.

Mercurii ante Pascha.

M. Bernardus de Albia reportavit.

XLIII. Cum, inter portitorem cujusdam gagiamenti, sigillo Castelleti Parisiensis sigillati, in quo Petrus dictus Mau-Clerc de Junhiaco, miles, in centum et viginti libris Johanni dicto Dols-Champs obligatus esse dicebatur, super eo quod idem portitor dictum gagiamentum, per prepositum Parisiensem, contra dictum militem et in bonis ejusdem, petebat execucioni usque ad summam predictam mandari; et dictus miles, ex adverso, ad finem quod gagiamentum predictum nullius esse valoris pronunciaretur, et bona ejusdem, arrestata ob causam predictam, dearrestarentur, et a peticione predicta absolveretur, plures raciones proponebat et facta, orta fuisset, coram dicto preposito, materia questionis; lite super predictis legittime contestata, productisque, super hoc, testibus, et in dicta causa concluso, visoque gagiamento predicto, prepositus predictus judicavit gagiamentum predictum, usque ad summam sex librarum tantummodo, contra dictum militem et in bonis ejusdem, debere execucioni mandari, et eis solutis, bona dicti militis, propter hoc capta, debere dearrestari et gagiamentum predictum sibi reddi; a quo judicato, tanquam falso et pravo, fuit ad parlamentum, Parisius, per partem dicti portitoris appellatum: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus, coram dicto preposito, super hoc, habitis, et judicato ejusdem, ex quibus

PHILIPPE V, 1317.

manifeste curie nostre constitit novem et quadraginta libras Turonenses et quinquaginta solidos de Pillesvielhes tantummodo, de summa dictarum centum et viginti librarum, solutos fuisse per dictum militem predicto Johanni, per ejusdem curie judicium, dictum fuit prepositum predictum, in eo maxime quod ipse execucionem faciendam in predictis sex libris tantummodo judicavit, male judicasse et dictum appellantem bene appellasse, et fiet execucio, pro residuo summe in gagiamento expresse, de qua non constat satisfactum fuisse dicto Johanni per militem predictum.

Mercurii ante Pascha.

M. Bernardus de Albia reportavit.

XLIV. Cum, coram preposito Parisiensi, proponeret Johannes dictus Dou-Perche, civis Parisiensis, suo et Petronille, uxoris sue, nomine, contra Guillelmum dictum le Marichal, civem Parisiensem, quod, cum plura bona mobilia et immobilia, in eorum articulis designata, dicte Petronille obvenissent ex successione Johannis le Mareschal, patris ipsius Petronille, et Heloys, ejus matris, defunctorum, tanquam eorum filie et heredi, soli et in solidum, dictus Guillelmus dicta bona, sic, ut dictum est, ad dictam Petronillam pertinencia, cepit, tenuit, levavit et administravit, per spacium quindecim annorum vel circa, videlicet a tempore mortis dictorum patris et matris ipsius Petronille, usque ad tempus quo dicti Johannes et Petronilla invicem matrimonium contraxerunt; quare petebat dictus Johannes, nomine quo supra, dictum Guillelmum condempnari et compelli ad reddendum sibi bonum compotum et legittimum administracionis sue, super bonis predictis, necnon ad solvendum et reddendum sibi quicquid repertum esset, per bonum et legittimum compotum, illud, in quo dictus Guillelmus dicto Johanni, nomine quo supra, teneretur, racione sue administracionis predicte, ex adverso, dicto Guillelmo, ad sui defensionem, plures raciones proponente et dicente specialiter quod ipse Guillelmus, antequam dicti Johannes et Petronilla ad invicem matrimonium contraxissent, cum ipsa Petronilla, in etate

legittima constituta, secundum usum et consuetudinem Parisienses computavit, et compotum et racionem eidem legittime reddidit, super omnibus captis, receptis et administratis per ipsum, de bonis predictis, presentibus pluribus amicis ipsius Petronille, et quod ipsa Petronilla dictum Johannem, super omnibus hujusmodi bonis receptis et administratis, presentibus ejus amicis, dictum compotum laudantibus et approbantibus, quitavit sic, ut dictum est, in etate legittima constituta, et quitum, super hoc, tenuit coram judice competenti; tandem, auditis, super hoc, dictis partibus et visis earum processibus, dictus prepositus, per suum judicium, condempnavit dictum Guillelmum ad reddendum dicto Johanni, nomine quo supra, compotum de omni eo quod reperiri posset, per bonum compotum, ipsum recepisse de bonis predictis, a die sabbati, post festum Sancti-Nicholai hiemalis, quod fuit anno Domini millesimo trecentesimo sexto, eumdemque absolvit de omni eo quod ipse receperat de bonis predictis ante diem sabbati predictam; a quo judicato, tanquam falso et pravo, ambe partes, in quantum faciebat contra quemlibet earum, ad curiam nostram appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque earum processibus et diligenter examinatis, per judicium nostre curie, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse dictosque appellantes, in quantum tangit eorum quemlibet, male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Philippe V, 1317.

Mercurii ante Pascha.

M. Radulphus de Bosco reportavit.

XLV. Lite mota, in curia nostra, inter prepositum Parisiensem, pro nobis, ex parte una, et dominum de Montainvilla, ex altera, super eo quod dictus dominus dicebat quod ipse erat et predecessores sui fuerant in saisina pacifica justiciandi, cognoscendi et explectandi, in omnibus casibus alte et basse justicie, in villa de Montainvilla et pertinenciis ejusdem, quando casus se offerebant et ad eorum noticiam veniebant, et levandi emendas omnimodas in utilitatem eorum convertendas, ex causis alte et basse justicie provenientes, a

PHILIPPE V. 1317.

tanto tempore de cujus contrario memoria minime existebat, usque ad tempus impedimenti presentis, quare petebat dictus dominus impedimentum in predictis alta et bassa justicia sibi appositum et de novo, per Parisiensem prepositum, amoveri, procuratore nostro predicta negante et ex adverso proponente, ad defensionem nostram, et dicente, pro nobis, quod nos sumus et predecessores nostri fuerunt, per nos et per gentes nostras, in saisina justiciandi de omnibus casibus alte et basse justicie in supradicta villa de Montainvilla, cum pertinenciis ejusdem, et in locis circumvicinis similis condicionis, de quibus contenditur in presenti, quociens casus se, super hoc, obtulerunt et ad gencium nostrarum noticiam devenerunt, ac recipiendi omnia emolumenta proveniencia ex inde, per tantum tempus quod sufficiebat et sufficere debebat ad acquirendum saisinam; quare petebat idem procurator noster se absolvi a predicta peticione domini antedicti; super quibus omnibus inquiri mandavimus veritatem: Inquesta igitur super hiis facta et nostre curie reportata, visa ac diligenter examinata, quia per eam repertum est quod dictus dominus de Montainvilla melius et per plura et ultima expleta suam intencionem, super dicta saisina, probavit, quam procurator noster predictus, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus dominus de Montainvilla in saisina alte et basse justicie de Montainvilla et ejus pertinenciis remanebit, amoto sibi inde gencium nostrarum impedimento quocumque, questione proprietatis nobis, super hoc, reservata.

Mercurii ante Pascha.

M. Robertus de Sancto-Benedicto reportavit.

XLVI. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter Guidonem de Ruppe-Forti, militem, ex una parte, et Parcevallum de Varenis, scutiferum, ex altera, super eo quod dictus miles requirebat dictum prepositum quod demandaret execucioni quasdam litteras sigillo Castelleti Parisiensis sigillatas, contra dictum Parcevallum et in bonis ejusdem, usque ad summam sexaginta librarum Parisiensium, pro termino Penthecostes ultimo preterito debitarum a dicto Parce-

vallo dicto militi, ex certis causis contentis in dictis litteris, dicebatque dictus miles quod dictus Parcevallus levaverat et levari fecerat omnes fructus et redditus terrarum, et vinearum et aliarum rerum, de quibus fit mencio in dictis litteris, vel per fraudem hoc omiserat, quia tempora vindemiarum et messium erant transacta ante mortem Ysabellis, quondam uxoris dicti militis, de cujus dotalicio erant res predicte, qui quidem fructus et redditus erant jam acquisiti dictis militi et Ysabelli, dicto Parcevallo ex adverso proponente quod predictus miles non poterat petere dictas sexaginta libras, pro dicto termino Penthecostes, quas petebat, racione dotalicii Ysabellis predicte, cum dicta Ysabellis mortua fuisset, per longum tempus, ante terminum supradictum, et ita cessabat causa dicti dotalicii, et, licet plures fructus ex dictis rebus percepisset, ante mortem dicte Ysabellis, hoc fecisse de jure potuerat, cum, pro omnibus terminis preteritis, solvisset dicto militi pensionem de qua fit mencio in dictis litteris, licet, tempore mortis dicte Ysabellis, vinee predicte essent adhuc vindemiande, et major pars redditus dicti dotalicii, de quo fit mencio in dictis litteris, recipienda, quare petebat dictus Parcevallus se, ab impeticione predicta dicti militis, absolvi, prout hec omnia in articulis dictarum parcium continebantur; lite super hoc contestata, coram dicto preposito, testibus productis et examinatis super dictis articulis, et attestacionibus eorum pro publicatis habitis, et concluso in dicta causa, concordatum fuit, de voluntate curie nostre, inter dictas partes, quod ipsa curia nostra judicaret predictos processus: Quibus curie nostre traditis ad judicandum, auditisque, in curia nostra, dictis partibus, ac dictis processibus visis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit dictam execucionem debere fieri, contra dictum Parcevallum, in predictis sexaginta libris, per dictum militem petitis, salvis dicto Parcevallo fructibus dictarum vinearum, prout in quodam alio judicato curie nostre continetur.

PHILIPPE V, 1317.

Mercurii ante Pascha.

M. P. Droconis reportavit.

PHILIPPE V, 1317.

XLVII. Cum, super debato moto inter karissimum patruum et fidelem nostrum Ludovicum, comitem Ebroicensem, ex una parte, et dilectum et fidelem nostrum episcopum Ebroicensem, ex altera, racione justicie alte et basse quorumdam cheminorum ville Ebroicensis, inter feoda dicti episcopi existencium, dictus genitor noster, debato predicto ad manum suam tanquam superioris posito, super dicto debato et qualiter utraque pars dicta justicia usa fuerat, specialiter postquam dictus comitatus eidem comiti, per dictum dominum genitorem nostrum, fuerat assignatus, mandasset veritatem diligenter inquiri, procuratoresque dictarum parcium, coram commissariis, super hoc, deputatis, suos articulos, super dicta justicia, tradidissent, videlicet procurator dicti episcopi, ad finem proprietatis et saisine dicte justicie, et procurator dicti comitis, ad finem saisine solummodo tendentes, nisi per dictum dominum genitorem nostrum, seu ejus curiam interpretatum foret quod, virtute dicte commissionis, dicti commissarii deberent inquirere, tam super saisina quam super proprietate debati predicti in quo casu dictos articulos idem procurator dicti comitis, eciam ad finem proprietatis, scita primitus interpretacione predicta, se tradere dicebat, posteaque dictus comes litteras obtinuisset a dicto domino genitore nostro, in quibus mandabatur dictis commissariis ut, in premissis, super saisina predicta, inquirerent, primitus veritatem, et inquestam per eos, super hujusmodi saisina, factam, curie nostre remitterent, ut curia nostra, super hoc, ulterius, secundum juris ordinem, quod foret racionabile ordinaret, virtute quarum commissionis et litterarum, predicti commissarii, in dicto negocio procedentes, inquestam, super hoc, perfectam ad nostram curiam remiserunt, qua inquesta, partibus auditis, curie nostre tradita, et per eam recepta, ad judicandum, ad illum finem ad quem judicari deberet, dicto episcopo requirente predictam inquestam, tam super saisina quam super proprietate dicte justicie, judicari, predicti comitis procuratore ex adverso dicente inquestam hujusmodi, ad finem saisine tantummodo debere judicari, curia nostra dictam inquestam fecit apperiri et videri, ad illum finem quod, per ejus processum, videretur, ad quem

finem ipsa inquesta judicari deberet, qua visa, ad finem predictum, ipsa curia nostra, dictam inquestam ad finem saisine solummodo videri precepit : Visa igitur dicta inquesta et diligenter examinata, ad finem saisine dicte justicie, ut premissum est, quia per eam repertum est, quod dictus comes, super saisina justicie dictorum cheminorum, de quibus est contencio, et quorum justicia ad manum regiam tamquam superiorem fuit posita, propter debatum predictum, melius et plenius, et per plura et meliora expleta, intencionem suam quam dictus episcopus probavit, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum comitem esse et, tempore debati predicti, fuisse ac debere remanere in saisina predicte justicie dictorum cheminorum, et eum, per nos, defendi debere in saisina predicta, et quod impedimentum, per dictum episcopum et ejus gentes, appositum in predictis, necnon et manus nostra ibidem, propter debatum predictum, apposita, amovebuntur, et quod quidam prisionarius, per gentes dicti comitis captus, in dicto loco contencioso, qui prisionarius rescussus fuit gentibus ipsius comitis per gentes dicti episcopi, occasione cujus rescusse, ortum fuit predictum debatum, et qui prisionarius, propter debatum parcium, fuit ad manum nostram positus, ad manum dicti comitis reponetur, dictamque rescussam idem episcopus predicto comiti emendabit, salva eciam, super hoc, eidem episcopo questione proprietatis.

Philippe V, 1317.

Mercurii ante Pascha.

Bernardus de Albia et P. Boelli reportaverunt.

XLVIII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter magistrum Hugonem Rectore, ex una parte, et Adenetum Fourre, ex altera, super eo videlicet quod, cum lis penderet, coram dicto preposito, inter partes predictas, super quadraginta libris Parisiensibus annui census, quem censum quadraginta librarum, dictus magister Hugo asserebat se emisse a dicto preposito, ex certis causis, loco et tempore declarandis, de quo censu dicebat se esse in saisina dictus magister Hugo, tempore litis mote predicte, et idcirco petebat dictum censum ad

Philippe V, 1317.

manum nostram, ex certa causa, positum, sibi tradi per recredenciam, dicta causa pendente, parte dicti Adeneti in contrarium proponente, et asserente, virtute consuetudinis Parisiensis notorie, qua dicitur quod mortuus saisit vivum, se esse in saisina dicti census, ex successione defuncti Johannis Fourre, patris sui, cujus ipse dicebat se esse heredem, qui defunctus Johannes erat in saisina percipiendi dictum censum, tempore quo ipse decessit, quare eciam petebat idem Adenetus dictum censum, pendente causa hujusmodi, sibi tradi per recredenciam et non dicto magistro Hugoni: Lite, igitur, coram dicto preposito, super premissis, contestata, testibus hinc inde productis, conclusoque in dicta causa, visoque et examinato processu, super hoc, habito, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit, dictam recredenciam dicto magistro Hugoni, pendente, super hoc, lite, coram eodem preposito, fieri debere, salvo, in premissis, utrique parti, jure, tam in possessione quam in proprietate; a quo quidem judicato, tanquam falso et pravo, dictus Adenetus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in parlamento nostro, partibus antedictis, in causa appellacionis predicte, visisque et diligenter examinatis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse, in eo quod ipse judicavit dictam recredenciam debere fieri dicto magistro Hugoni, dicta lite pendente, et dictum Adenetum bene appellasse, et quod dictus census quadraginta librarum tenebitur ad manum nostram tanquam superioris, pendente lite super principali causa predicta, ad utilitatem illius partis que obtinebit in dicta principali causa.

Sabbato post octabas Pasche que fuit sex decem dies aprilis.

M. P. Droconis reportavit.

XLIX. Cum, coram magistro Remundo Coste, per senescallum Tholose, ad ea que secuntur commissario deputato, proposuisset Girardus de Aura, domicellus, quod, cum inclite recordacionis karissimus dominus et genitor noster, Philippus, Dei gracia, Francorum rex, ad partes illustris regis Anglie, omnem penam et bannum que dictus

Girardus incurrerat, et quod Othoni de Aura, militi, patri suum[1], adheserat in rebellione quam dictus pater suus fecerat contra predictum genitorem nostrum, eidem Girardo remisisset, eumque ad famam, statum et bona sua integre restituisset, et cum hoc mandasset idem progenitor noster, senescallo Tholose predicto, per suas patentes litteras, ut eidem Girardo reddi et restitui faceret bona, res et jura que ad ipsum Girardum pertinebant, antequam ipse dicto patri suo adhereret, idemque Girardus proponens quod, antequam ipse patri suo, in hujusmodi rebellione, adhesisset, et eciam ante bannicionem eorum necnon et antequam dictus pater suus fuisset vocatus per dictum senescallum, super falsificacione monetarum nostrarum, ad eumdem Girardum pertinebant jura, res et bona que inferius nominantur, videlicet villa et castrum de Sancto-Beato cum suis juribus et pertinenciis et dominacionibus, et totum hoc quod habet vel habere debet in Barnathesio, videlicet a Fossac usque ad Scalas de Aranno et de Nogonanto usque ad terminum nemorum de Guer, ad terminos domini de Aspello; item quod eciam ad eum tunc pertinebant, tam in possessione quam in proprietate, bona et res que secuntur, videlicet castrum de Sancto-Aventino et de Albespino, cum eorum pertinenciis, villa de Hon cum suis pertinenciis, et omnia alia que habet vel habere debet in toto valle de Arbusto, castrum de Monte-Albano, de Sancta-Christina, castrum seu villa de Salis, et omnia alia que habet vel habere debet in valle de Luyshone, cum eorum pertinenciis, castrum de Narinhaco, castrum de Bayossio, castrum de Binosio seu Ville, castrum de Burgalois, castrum de Gonso in Larinsa, cum eorum pertinenciis, castrum de Blanaco, castrum de Sancto-Paulo, in valle de Ecclesie, cum eorum pertinenciis, castrum de Genos et ville Dumvilla, et de Aranno, et de Casili superiori et inferiori, et de Frexeneto et de Aneyeranno in valle de Lotonno, cum eorum pertinenciis, prout predicta bona, jura et res et dominaciones ad predictum Othonem de Aura, patrem suum, tempore donaciones[2] predictorum pertinebant; quodque ipse dicta bona, res et jura omnia, vel pro magna parte,

PHILIPPE V, 1317.

[1] Lisez *suo*. — [2] Lisez *donationis*.

PHILIPPE V, 1317.

juste et ex cessione et dono sibi factis, a dicto patre suo, possidebat, tempore adhesionis predicte, prout hec omnia dictus Girardus asserebat, dicens quod nos dicta bona in manu nostra tenebamus, et requireret manum nostram de predictis amoveri, et dicta bona, res et jura, possessionemque eorum sibi reddi et deliberari, et ex adverso, coram dicto commissario, magister Petrus de Ganderiis, procurator substitutus a magistro Remundo de Ganderiis, procuratore dicti genitoris nostri, comparuit, ad predictorum defensionem, proponens quod dictus Otho, pater dicti domicelli, tempore rebellionis predicte, bona, jura et res de quibus agitur, tenebat et possidebat, ut sua propria, et fructus ex eis provenientes suos faciebat, et in dictis bonis et locis ut dominus se habebat et habebatur: Lite igitur, super premissis, coram dicto commissario, legittime contestata, testibusque productis, super factis hinc inde propositis, productis eciam, ex parte dicti Girardi, quibusdam instrumentis, ad suam intencionem fundendam, et tamdem inquesta, super hoc, facta, nostre curie per dictum senescallum ad judicandum remissa, visa dicta inquesta, et totali processu super hoc habito, viso et diligenter examinato, quia curie nostre constitit evidenter dictum procuratorem nostrum suam intencionem, super premissis, probasse, et dictum Girardum intencionem suam super predictis ab eo petitis non probasse, dicta curia nostra, a predictis per eumdem Girardum contra nos petitis, per suum judicium, procuratorem nostrum absolvit.

Martis post festum apostolorum Philippi et Jacobi.

M. J. de Goy reportavit.

L. Lite mota, coram magistro Guillelmo Moisseti, judice curie senescalli Ruthenensis, inter procuratorem Remundi, tunc episcopi Ruthenensis, ex una parte, et magistrum Bernardum Galteri, gerentem se pro defensore regio, ex altera, super eo quod dicebat procurator dicti episcopi quod, cum Vivianus, quondam Ruthenensis episcopus, immediatus ejus predecessor, teneret et possideret, nomine episcopatus predicti, villas et loca infrascriptas, videlicet villam Sancti-

Vinciani, cum suis juribus et pertinenciis; item, villam Sancti-Salvatoris, cum suis juribus et pertinenciis; item, medietatem et terciam partem pro indiviso ville et affarii de Marinon, cum suis juribus et pertinenciis; item, affarium ripparie de Tozac, cum suis pertinenciis; item, affarium de Bloychos, cum suis juribus et pertinenciis; item, medietatem, pro indiviso, pedagii de Marlho; item, senhorium et tenementum ville Sancti-Memorii, quod appellatur et consuevit appellari senhorinum et tenementum dictum Ofilii de Marlho, jam defuncti, cum suis juribus et pertinenciis; item, affarium Minerii de la Balma, cum suis juribus et pertinenciis; item, senhorinum et tenementum ville Sancti-Ejecii, quod appellatur et ibi appellari consuevit senhorium et tenementum domini Hugonis de Ruppe, jam defuncti, cum suis juribus et pertinenciis; et esset in possessione vel quasi rerum et bonorum predictorum, curiales et gentes Alfonsi, quondam comitis Tholose, injuste et sine causa racionabili, ceperunt et occupaverunt possessiones predictas, dictum episcopum Vivianum sua possessione predictorum indebite spoliando; que possessiones sic per dictum comitem detente, per ejusdem comitis obitum, ad regem Francie, qui eidem successit in comitatu predicto, devenerunt; quare petebat dictus procurator premissa in statum pristinum reduci, et dictum episcopum, nomine sui episcopatus, de rebus et bonis predictis resaisiri, et sibi reddi fructus et exitus ex eis perceptos per quatuordecim annos, et qui inde percipi potuerunt, necnon dampna et interesse cum sumptibus et expensis que ipse sustinuerat in predictis dictusque gerens se pro defensore regio, licet nullum mandatum, super hoc, exhiberet, premissa negasset esse vera; postmodum, coram eodem judice, comparuerunt procurator dicti episcopi, ex una parte, et magister Petrus Galteri, tanquam procurator seu defensor regius, ex altera, exhibens quoddam mandatum quod ipse dicebat a senescallo Ruthenensi sibi datum, et protestans quod processum, antea habitum cum dicto Bernardo, ratificare nullatenus intendebat, si alias de jure non valebat, ad dicte cause defensionem, proponens quod bona de quibus agebatur ad jus nostrum regium pertinebant, jure

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

nobis acquisito in bonis illorum qui sunt de heresi condempnati in comitatu Tholosano, presertim cum bona predicta sunt in et de nostra bajulia de Naiaco, que ad nos pertinet, et ad antecessores nostros pertinuit, a tempore a quo memoria de contrario non existit. Factis itaque responsionibus super articulis in causa hujusmodi hinc inde propositis, testibusque super eis productis, cum dicta causa, propter varias mutaciones, tam judicum quam defensorum, ex utraque parte, interveniencium, fuisset diutissime prorelata, videlicet per viginti annos et amplius, tandem, anno Domini millesimo trecentesimo sexto, die sabbati post festum beati Nicholai, comparentibus in judicio, coram senescallo tunc Ruthenensi, procuratore dicti episcopi, ex una parte, et magistro Eduardo Garriga, gerente se pro procuratore regio, ex altera, licet fidem aliquam, super hoc, non faceret de mandato, dictus procurator episcopi renunciavit allegacionibus in dicta causa de cetero proponendis, et conclusit in causa predicta, petens et supplicans inquestam, super hoc, factam et dictum processum remitti nostre curie judicandum, presertim cum, ut ipse dicebat, inclite recordacionis karissimus progenitor noster, per suas patentes litteras, dicto senescallo mandasset dictam remissionem fieri, si inveniret in dicta causa esse conclusum; postmodum autem, anno Domini millesimo trecentesimo decimo quarto, die Jovis post Epiphaniam Domini, comparentibus, coram prefato senescallo, vicario dicti episcopi, ex una parte, et magistro Remundo Medici, procuratore, ut ipse dicebat, dicti karissimi genitoris nostri, ex altera, qui tamen alias in dicta causa nullatenus invenitur processisse, dictus Remundus Medici recognovit omnes illos defensores qui in dicta causa, ante ipsum, nomine regio, processerant, esse et fuisse regios procuratores seu legittimos defensores, et incontinenti postea fuit, ab eisdem vicario et Remundo, in dicta causa, renunciatum allegacionibus et conclusum in causa predicta, et ab eisdem concordatum quod dicta inquesta et processus predictus remitterentur nostre curie judicandi: Facta igitur dicta remissione, et visis ac diligenter examinatis processu et inquesta predictis, cum per eos non fuerit inventum quod

predicti qui se defensioni seu prosecucioni dicte cause, tanquam procuratores seu defensores regii, ingesserunt, ante adventum dicti Remundi Medici, et precipue dictus Bernardus Galteri, qui de facto litem in causa hujusmodi fuerat contestatus, sufficienter essent fundati, quoad hoc, ut nobis seu juri regio possent prejudicium aliquod generare, ac, per eosdem processus et inquestam, curie nostre constiterit quod dictus magister Remundus Medici, licet ipse a dicto progenitore nostro, dum viveret, procurator ejus factus fuisset, ipso tamen vivente, nunquam se immiscuerat dicte cause prosecucioni, et sic, post ipsius genitoris nostri obitum, qui tunc erat notorius et per regnum Francie manifestus, dicte cause prosecucioni se non potuit ingerere, nec ratificare quod a dictis defensoribus actum de facto fuerat in predictis, cum mandatum procuratorium sibi factum re integra expirasset, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos processum et inquestam non valere, et eosdem, quatenus de facto processerunt, dicta nostra curia totaliter anullavit. PHILIPPE V, 1317.

Martis post festum apostolorum Philippi et Jacobi.

M. J. de Goy reportavit.

LI. Mota controversia, coram senescallo Agennensi, in appellacionis causa ad eum interposite, inter Pittavinum de Causaco, militem, et Galhardum, ejus fratrem, Guillelmum Aymerici, Regillaldum de Monte-Jetone et Garsiam de Castello, domicellos, consortes, actores, ex parte una, et Johannem de Blogonio, domicellum, et Arnaldum Garsie-Ferrandi, domicellum, ejus curatorem, nomine curatorio ipsius Johannis, reos, ex altera, super eo quod, cum dictus Johannes niteretur submittere omnimode juridicioni sue dictos actores et eorum familiam et homines ligios et eorum bona indebite et injuste, atque in dictos actores et eorum familiam et homines ligios et eorum bona juridicionem omnimodam exercere, licet dicti actores et eorum familia, et homines ligii et eorum bona essent exempti ab omni juridicione atque cognicione dicti Johannis, prout ipsi asserebant, quare petebant dicti actores pronunciari et declarari sentencialiter se et

PHILIPPE V, 1317.

eorum familiam et homines ligios et eorum bona fore liberos et immunes ab omni juridicione atque cognicione dicti Johannis, et super predictis dicto Johanni silencium imponi, et eidem Johanni inhiberi ne ipse, super predictis vel aliquo predictorum, ipsos actores et eorum familiam atque homines ligios et eorum bona inquietaret vel molestaret, et ipsum Johannem et ejus curatorem predictum, curatorio nomine ejusdem, condempnari in predictis, parte adversa in contrarium proponente, et dicente quod dictus Johannes est dominus castri de Monte-Jetone, et ibi habet merum et mixtum imperium et juridicionem, in districtu et honore et pertinenciis et justiciatu dicti castri, et quod, tam dictus Johannes erat, quam sui predecessores fuerant in possessione vel quasi exercendi juridicionem altam et bassam, in predictis castro, districtu, honore et pertinenciis, et quod dicti consortes habent domicilium in dicto castro et pertinenciis et in districtu dicti castri, et ibi fovent larem et foverunt longo tempore preterito, ipsosque esse justiciabiles Johannis predicti; tandem, lite contestata in dicta causa, jurato de calumpnia, testibus hinc inde productis et diligenter examinatis, deposicionibus eorum publicatis, concluso in dicta causa, die eciam assignata ad jus, super hoc, audiendum, attendens et considerans senescallus predictus, lapsum diu est fuisse triannium, a tempore litis contestate, in causa predicta, pronunciavit, per suam sentenciam, judicii dicte cause lapsu dicti triannii, periisse et, per consequens, se non posse de ipsa cognoscere nec eciam diffinire; a qua sentencia seu pronunciacione, tanquam iniqua, dictus Pittavinus et ejus consortes predicti ad parlamentum, Parisius, appellaverunt; in qua quidem causa appellacionis, auditis partibus, per curiam nostram dictum fuit predictum senescallum male judicasse et dictos appellantes bene appellasse, prout in judicato, super hoc, confecto plenius continetur, et injunxit curia nostra quod processus dicte cause principalis et appellacionis asportarentur ad parlamentum, Parisius, ad videndum et judicandum; postea vero predicti processus, de consensu procuratorum parcium predictarum, asportati et traditi fuerunt curie nostre, ad videndum et judicandum:

Visis igitur, per curiam nostram, dictis processibus et diligenter examinatis, visis eciam deposicionibus testium hinc inde super hoc, productorum, dictus Johannes de Blogonio et ejus curator, curatorio nomine ejusdem, ab impeticione predicta dictorum actorum, per curie nostre judicium, absoluti fuerunt. PHILIPPE V. 1317.

Quarta die junii.

M. Rogerius de Curia reportavit.

LII. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter magistrum et fratres Domus-Dei Parisiensis, ex una parte, et priorem et conventum de Longo-Ponte, ex altera, super saisina bannerie duorum molendinorum dictorum de Bocheto, et percepcionis decime quarumdam hereditatum sitarum in parrochia de Vario-Parvo, propositisque pluribus racionibus, per procuratorem dictorum magistri et fratrum, ad finem quod amoveretur impedimentum injuste appositum, ut dicebat, in dictis bannerio et decima, per dictos priorem et conventum, procuratore dictorum prioris et conventus, ex adverso proponente plures raciones declinatorias, contra dictum prepositum, et dilatorias, contra partem adversam, super quibus ipse petebat, ante omnia, jus sibi reddi; tandem, per eumdem prepositum, dictis partibus die assignata, ad audiendum jus, ubi cadebat super predictis, procurator dictorum magistri et fratrum peciit et requisivit quod, hoc pendente, dictus prepositus fructus et exitus dictarum bannerie et decime levari faceret, per manum nostram, tanquam superioris, procuratore dictorum prioris et conventus, ex adverso, proponente quod, consideratis statu cause et racionibus per eum propositis, dicta manus nostra in dictis bonis apponi non debebat; visis igitur predictis processibus utriusque partis, dictus prepositus, per suam interlocutoriam, pronunciavit dictam manum nostram debere ibidem apponi; a quo judicato, tanquam falso et pravo, procurator dictorum prioris et conventus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus earumdem, per curie nostre judicium, dictum fuit pre-

PHILIPPE V, 1317.

dictum prepositum male judicasse et procuratorem dictorum prioris et conventus bene appellasse, et quod idem prepositus ulterius procedet, prout racionabile fuerit, in causa predicta.

Quarta die junii.

M. P. Droconis reportavit.

LIII. Cum Radulphus le patrenostier, tempore quo ipse vivebat, coram preposito Parisiensi, proposuisset contra Stephanum dictum Le Cordier, civem Parisiensem, quod cum ipse Radulphus esset et fuisset, et illi, a quibus ipse causam habebat, in saisina bona et pacifica et cum titulo sufficienti, cujusdam domus site Parisius, de qua facta fuerat ostensio, inter partes predictas, per unum, duos, tres, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem et duodecim annos continuos, solvendo, pro dicta domo, certos census seu certos redditus, certis censuariis aliis a dicto Stephano, et absque eo quod dictus Stephanus super dicta domo aliquid caperet vel levaret, dictus Stephanus, vel alter ejus nomine, ipso hoc mandante seu ratum habente, de novo venerat ad dictam domum et in ea pignora ceperat injuste et sine causa, et contra voluntatem dicti Radulphi, impediendo et perturbando ipsum Radulphum in sua saisina predicta, quare petebat dictus Radulphus se teneri et servari in sua saisina predicta, necnon et impedimentum, per dictum Stephanum ibidem appositum, amoveri; ex adverso, dicto Stephano predicta negante, et, ad sui defensionem, proponente quod ipse erat et fuerat, et illi, a quibus ipse causam habebat, in bona saisina et cum titulo sufficienti, per unum annum, per duos, per tres et plus, scilicet per tempus sufficiens ad bonam saisinam acquirendam, capiendi et levandi, super dicta domo, quolibet anno, quatuor libras Parisienses, quatuor terminis Parisius consuetis, de augmentacione census seu redditus, necnon et ibidem pignorandi quocienscumque habitantes in ipsa domo cessabant vel deficiebant de solvendo dicto Stephano, seu illis a quibus ipse causam habebat, dictas quatuor libras, vel partem earum dictis quatuor terminis. Item, quod dictus Stephanus, pro de-

fectu solucionis termini Nativitatis Domini ultimo tunc elapsi, seu alius, de mandato suo, pignoraverat, pro dicto censu, in domo predicta, utendo, super hoc, jure suo, et continuando suam saisinam predictam, quare petebat se absolvi ab impeticione dicti Radulphi et, super hoc, jus sibi reddi; processu igitur inter dictas partes, legittime, super hoc, facto, et certa die assignata dictis partibus, ad audiendum jus, in dicta causa, presentibus in judicio videlicet Richardo le Picart, tunc marito Aelicie, uxoris quondam dicti Radulphi, tunc defuncti, nomine dicte uxoris sue et ejus liberorum, ratificando et approbando dictum processum factum et habitum in dicta causa, nomine dicte uxoris sue et ejus liberorum, ex una parte, et dicto Stephano, ex altera, dictus prepositus, visis processibus in dicta causa habitis, coram ipso, inter partes predictas, et diligenter examinatis, quia non invenerat, ut ipse dicebat, per processum dicti Stephani, quod ipse fuisset in saisina capiendi seu levandi, super dicta domo, dictas quatuor libras, postquam quedam sentencia diffinitiva, per prepositum Sancti-Maglorii, super proprietate dicte domus, fuerat lata pro dicto Radulpho contra magistrum P. de Pontibus, a quo dictus Stephanus dicebat se causam habere, per suum judicium, pronunciavit quod dicta Aelicia, quondam uxor dicti Radulphi, et tunc uxor dicti Richardi le Picart, que onus dicte litis in se susceperat, cum auctoritate dicti Richardi, mariti sui, remanebit in saisina tenendi dictam domum liberam a dictis quatuor libris, salva dicto Stephano questione proprietatis, super quatuor libris predictis, si super hoc voluerit experiri; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Stephanus, seu procurator ejusdem, ad parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur in parlamento nostro dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis dictis processibus ac diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum appellantem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Philippe V, 1317.

Quarta die junii.

M. Richardus de Bosco reportavit.

PHILIPPE V, 1317.

LIV. Cum carissimus dominus et germanus noster Ludovicus, quondam Francie et Navarre rex, diu est mandasset et commisisset Johanni de Macherino, militi, tunc senescallo Lugdunensi, et Bartholomeo Caprarii, panetario suo, confidens ad plenum de ipsorum fidelitate et diligencia, prout ejus commissio continebat, quod ipsi, vocatis partibus, contra manifestos usurarios, subditos suos, procederent et inquirerent, sub certa forma in dicta commissione contenta, dictusque Bartholomeus mandasset et commisisset Johanni de Bosco-Veteri quod ipse, loco sui, una cum dicto senescallo, super hoc, inquireret contra Dalmacium Roselli, civem Aniciensem, qui dicebatur de pravitate usuraria publice diffamatus, dictique senescallus et Johannes proposuissent, contra dictum Dalmacium, coram eis, super hoc, vocatum, quod ipse erat publice diffamatus, super pravitate predicta, et quod ipse eciam erat usurarius manifestus, dicto Dalmacio e contrario proponente se esse bone fame et bone opinionis, et se non commisisse crimen predictum; pluribus igitur testibus productis coram eis, tam ex parte ipsorum quam ex parte dicti Dalmacii, tam super fama quam super facto predictis, quam eciam super reprobacionibus, ex parte dicti Dalmacii propositis, contra testes, contra ipsum productos, pluribusque processibus super hiis factis, tam coram dictis senescallo et Johanne de Bosco-Veteri, insimul procedentibus, quam eciam coram eodem Johanne, solo in hujusmodi procedente, virtute cujusdam alterius commissionis a dictis senescallo et Bartholomeo, super hoc, sibi facte, dictisque processibus nundum completis, dictus Johannes eos remisit ad senescallum et Bartholomeum predictos, qui senescallus et Bartholomeus magistris Petro de Masso et Guillelmo Rocheta commiserunt ut ipsi, vocato dicto Dalmacio, processus complerent predictos; qui, vocato coram se dicto Dalmacio, et eorum cognicionem, pluribus racionibus, declinante, pro eo maxime quod, ut ipse dicebat, dicti senescallus et Bartholomeus, quorum fidelitas in hujusmodi fuerat specialiter electa, non potuerunt alii committere vices suas, nichilominus, ejus racionibus non admissis, plures testes contra ipsum receperunt, et tandem omnes predictos

processus dictis senescallo et Bartholomeo remiserunt; predicti vero senescallus et Bartholomeus processus predictos, de mandato nostro, miserunt ad nostram curiam judicandos : Dictis itaque processibus per curiam nostram receptis, predictoque Dalmacio, super hoc, audito, et instanter fieri sibi, super hoc, justiciam requirente, visis dictis processibus, et diligenter predictarum commissionum tenoribus examinatis, per curie nostre judicium, omnes processus predicti fuerunt totaliter anullati, salva procuratori nostro ac partibus aliis quorum interest, eorum prosecucione contra Dalmacium predictum. PHILIPPE V, 1317.

Quarta die junii.

M. P. Droconis reportavit.

LV. Ex parte abbatisse et conventus monasterii de Vinovolo, karissimo domino genitori nostro fuit expositum quod, cum mansus de Podio-Clavelli et pertinencie ejusdem, jure domini, pertinerent ad eas, essentque et longo tempore fuissent, auctoritate rei judicate, que in rem transiit judicatum, in possessione pacifica de premissis, nichilominus Robertus de Ocrea, miles, tunc senescallus Belli-Cadri, auctoritate cujusdam arbitralis sentencie, per ipsum, contra justiciam prolate, que, ut asserebant, noscebatur esse nulla, religiosas predictas, familiam et animalia earumdem ibidem existencia, expellere injuste presumpsit, et ipsas religiosas sua possessione premissa, sine cause cognicione, indebite spoliari, dictamque possessionem Petro de Podio-Clavelli, ac Jacobe, filie defuncti Petri de Podio-Clavelli, uxori quondam Jacobi de Gardiolis, adversario ipsarum religiosarum, tradi et liberari fecit minus juste, in ipsarum religiosarum non modicum prejudicium et gravamen; a quo quidem gravamine sic illato et quibusdam aliis, ad dictum genitorem nostrum se dicebant legittime appellasse; quam appellacionis causam idem genitor noster magistro Fulconi de Tornaco, tunc majori judici Carcassone, commisit sine debito terminandam, cumque, tam per dictum commissarium quam per magistrum Gerardum de Coganno, tunc judicem Minerbesii, commissarium subdelegatum a Fulcone predicto, de

PHILIPPE V, 1317.

causa appellacionis hujusmodi fuisset cognitum, et coram ipsis vel eorum altero, inter dictas religiosas, seu earum procuratore, ex una parte, et dictos Petrum et Jacobam, ex altera, diucius processum, et in ea conclusum, tandem memoratus Gerardus, quia sibi constiterat, ut dicebat, predictam abbatissam de manso predicto et ejus pertinenciis, in quorum possessione pacifica existebat, solam et sine sui conventus assensu et absque abbatis Vallis-Magne, superioris sui, auctoritate et licencia, compromisisse in predictum Robertum, senescallum, et alias suam intencionem in dicta causa sufficienter fundasse, dictum compromissum et ordinacionem seu pronunciacionem dicti Roberti, et quicquid ex eis sequtum extitit sive gestum, ipso jure non valere nec tenere, tanquam nulla de jure et invalida, per suam diffinitivam sentenciam, pronunciavit et declaravit, dictosque abbatissam et conventum reduci debere, et reducendos ac observandos fore, in possessionem et statum suum pristinum dicti mansi et pertinenciarum ejusdem; a qua quidem sentencia, ex parte dictorum Petri et Jacobe, ad karissimum dominum et germanum nostrum Ludovicum, quondam Francorum et Navarre regem, extitit appellatum; quam appellacionis causam idem predecessor noster, magistro Guillelmo de Codolio, legum doctori, quantum ad audiendum et recipiendum raciones, probaciones et defensiones parcium predictarum, usque ad diffinitivam sentenciam, sub certa forma commisit; libello igitur, ex parte dictorum appellancium, coram dicto magistro, contra dictos abbatissam et conventum edito in hac causa, lite, super hoc, legittime contestata, pluribus racionibus juris et facti ac instrumentis et articulis hinc inde propositis, exhibitis et traditis, testibus insuper hinc inde productis, receptis, juratis et diligenter examinatis, et eorum deposicionibus publicatis, conclusoque a partibus in dicta causa, tandem predictus magister Guillelmus causam hujusmodi sufficienter instructam et totum processum clausum, sub sigillo suo, gentibus nostris parlamentum nostrum tenentibus, Parisius, ad judicandum remisit, juxta traditam sibi formam; quem processum, presentibus partibus et auditis, curia nostra recepit: Visis igitur actis et pro-

cessibus dicte cause, et auditis omnibus racionibus quas, in nostra curia, partes ipse voluerunt proponere, in causa predicta, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit memoratum Gerardum, subdelegatum, bene judicasse, et predictos Petrum et Jacobam male appellasse, et quod predictum judicatum dicti magistri Gerardi mandabitur execucioni. PHILIPPE V, 1317.

Quarta die junii.

Reportatum per Gervasium.

LVI. Lite mota, in parlamento, Parisius, tempore karissimi domini et genitoris nostri, inter procuratorem regium ballivie Turonensis, ex una parte, et Hardoinum de Haya, militem, ex altera, super eo quod dicebat dictus miles quod, cum ipse teneret, a dicto genitore nostro, terram des Escluses, cum pertinenciis ejusdem, et quod ipse de dicta terra erat in fidelitate et homagio ipsius, et quod, cum dictus miles domanium dicte terre tradidisset Petro Doree, pro centum et quinque libris annui et perpetui redditus, a dicto Petro Doree et suis heredibus solvendis, singulis annis, predicto militi et suis heredibus imperpetuum, retinendo in dicta terra des Escluses, per dictum militem, cum dictis redditibus, feoda, retrofeoda, homagia, obedienciam, justiciam et vendas, et quod ipse dictam tradicionem ad censam annui redditus facere potuerat, dicto genitore nostro irrequisito, de usu et consuetudine notoriis et approbatis patrie, in qua dicta terra sita est, sine forefactura et emenda, dum tamen duas partes valoris dicte terre ipse sibi retineret, et quas duas partes et plus dictus miles se, in dicta terra, sibi retinuisse asserebat; dicebat eciam quod Robertus Maugier, ballivus quondam Turonensis, dictam terram des Escluses, quam ipse miles pacifice possidebat, ut dictum est, ad manum dicti genitoris nostri posuit, et dictum militem de eadem disaisivit, sine cause cognicione et ipso non vocato, asserendo quod dictus miles predictam tradicionem, contra consuetudinem patrie, fecerat, quare petebat dictus miles manum regiam, in dicta terra des Escluses et pertinenciis ejusdem appositam, amoveri, procuratore dicte baillivie

PHILIPPE V, 1317.

contrarium asserente et dicente quod dictus miles, in tradendo dictam terram predicto Petro Doree, pro centum et quinque libris annui redditus, duas partes sibi non retinuit, quod facere debebat, de usu et consuetudine patrie, quapropter dicta terra, cum pertinenciis ejusdem, ipsi genitori nostro erat acquisita, ut ipse dicebat; facta igitur, super predictis, per commissarios, super hoc, deputatos, inquesta et ad parlamentum, Parisius, ad judicandum, remissa, visa et diligenter examinata, per ipsius parlamenti judicium, dictum fuit, et ex causa, quod dicta inquesta dormiret usque ad diem ballivie Turonensis parlamenti presentis, et quod interim amovebitur de dictis rebus manus predicta, salvo jure regio et militis antedicti : Constitutis igitur, in parlamento presenti, dicto milite, pro se, ex una parte, et procuratore nostro ballivie Turonensis, ex alia, eodemque milite instanter requirente judicari inquestam predictam, dictoque procuratore nostro, super hoc, diligenter audito, predicte cause meritis diligenter examinatis, cum, per eamdem inquestam, curie nostre constiterit dictum militem intencionem suam, super hiis, sufficienter probasse, dictumque procuratorem nostrum suam non probasse, super hoc, intencionem, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta manus nostra de rebus predictis totaliter amovebitur, et quod dictus miles gaudebit et utetur saisina sua rerum predictarum, sicut ipse faciebat eo tempore quo, per ballivum Turonensem, dicta manus regia fuit apposita in predictis.

Quarta die junii.

LVII. In causa mota, in curia nostra, inter procuratorem nostrum, pro nobis, magistrum Theobaldum de Sancero, archidiaconum Bituricensem, et Ludovicum, ejus fratrem, militem, ex una parte, et procuratorem Ludovici de Flandria, qui se dicit comitem Nivernensem, ex altera, racione quorumdam bonorum mobilium que habebant dicti fratres, ut dicebant, in domo sua de Codreto, et que posita erant ad manum nostram, per dictum Ludovicum de Flandria seu ejus gentes et servientes, per violenciam asportatorum, con-

tra expressam prohibicionem servientum nostrorum, ad custodiam domus et bonorum predictorum specialiter deputatorum, necnon racione fructuum, exituum et emolumentorum dicte terre de Codreto et pertinenciarum ejusdem, per dictum Ludovicum de Flandria seu ejus gentes et servientes, de mandato suo, ut dicebatur, violenter levatorum, in prejudicium dictorum fratrum et nostre regie magestatis contemptum, in cujus manu et gardia speciali tenebatur dicta terra, cum ejus pertinenciis, certis ministris ibidem, ex parte nostra ad ejus custodiam notorie deputatis, qui per gentes ipsius Ludovici de Flandria capti et incarcerati fuerunt, dicto Ludovico de Flandria premissa sciente et non prohibente, et nichilominus predictam violenciam et infracturam nostre manus regie presumptuose, ut premissum est, per se et suos, committente : Inquesta, de mandato nostro, vocatis partibus, super premissis facta et ad nostram curiam reportata, ac dicto Ludovico de Flandria et ejus procuratore sufficienter vocatis, ad videndum eam judicari, et, per contumaciam, absentibus, visa igitur ac diligenter examinata, de mandato curie nostre, inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta manus nostra, que erat in dicta terra de Codreto et ejus pertinenciis apposita, pro custodia et salva-gardia predictorum, et que, per dictum Ludovicum de Flandria, seu gentes ipsius, fuit, ut premissum est, violata et fracta, ex integro resaisietur, et predicta omnia in statum pristinum reponentur; item quod, pro estimacione bonorum mobilium dictorum fratrum de dicta domo de Codreto asportatorum, ut premissum est, violenter, dictus Ludovicus de Flandria solvet dictis fratribus centum et quadraginta libras Parisienses; item, quantum ad dictos fructus et exitus dicte terre de Codreto et pertinenciarum ejus, violenter, ut premissum est, levatos, dictum fuit quod predictus Ludovicus de Flandria fructuum et exituum eorumdem valorem, de quorum quantitate seu valore, curie nostre sufficienter constitit, tam per testes, super hoc, productos, quam per dictorum conquerencium juramentum, per curiam nostram delatum et prestitum ab eis, nonagentas libras Turonenses reddet fratribus ante-

PHILIPPE V, 1317.

Philippe V, 1317.

dictis; item dictum fuit quod, racione infracture et violencie predictarum, per dictum Ludovicum de Flandria seu gentes et servientes suos, in predictis domo, terra et pertinenciis, ut premissum est, factarum, dicta domus, cum suis pertinenciis et juribus universis, perpetuo a feodo et omnimoda subjectione dicti Ludovici de Flandria remanebit exempta, eamdemque domum, cum suis pertinenciis et juribus universis, dicta curia nostra, per idem judicium, a feodo et subjectione dicti Ludovici de Flandria perpetuo exemit, et pronunciavit quod ipsa ex nunc erit de feodo et obediencia nostris immediate; item dictum fuit quod locus in quo dicti servientes nostri, ad predictam custodiam deputati, incarcerati fuerunt per dictum Ludovicum de Flandria, seu ejus gentes, funditus destruetur et remanebit destructus, nec erit alicui licitum imperpetuum ibidem edificium aliquod erigere, vel edificare, quodque, racione predictarum violenciarum, supra manum nostram factarum in premissis, dictus Ludovicus de Flandria decem millia librarum Parisiensium, pro emenda, nobis persolvet.

Sabbato, in festo beati Barnabe apostoli que fuit undecima dies junii.

M. Silvester Viviani reportavit.

LVIII. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter magistrum Aldericum Ermanges, ex parte una, et Johannem de Padua, militem, ex altera, super eo quod dictus Aldericus dicebat et proponebat, contra dictum Johannem, quod, cum ipse Aldericus et illi a quibus ipse dicebat se causam habere, esset et fuisset in possessione et saisina, per unum annum, per duos et per tantum tempus quod sufficit ad acquirendum bonam saisinam, tenendi pacifice quamdam domum, tanquam suam, sitam in civitate Parisiensi facientem cuneum vici qui dicitur Nebulariorum et contiguam, ex utraque parte, quibusdam aliis domibus dicti Alderici, solvendo pro dicta domo certas censivas, videlicet tam nobis quam aliis personis quinquaginta et octo solidos vel circa, absque eo quod dictus Johannes, vel alius pro

ipso, sit vel fuerit in possessione vel saisina, aut habeat jus percipiendi censivam vel aliud super dicta domo, dictus Johannes, vel alius pro ipso, ipso ratum et gratum habente, indebite et de novo turbando et impediendo saisinam predictam dicti Alderici, venit ad dictam domum et violenter ibidem cepit gagia, videlicet archas plenas pannis lineis et laneis et pecuniam, potos et patellas et, contra voluntatem dicti Alderici et hospitum ipsius, predictaque gagia portavit seu portari fecit, in domo sua propria, pro quatuor libris annui census seu redditus, quas dicebat se habere supra dictam domum, et quod dictus Johannes portavit seu portari fecit dicta gagia de dicta domo, propter hoc, usque ad valorem quater viginti librarum Parisiensium vel circa, et quod predicta fecit seu fieri procuravit dictus Johannes, seu alius pro ipso, ipso ratum et gratum habente, turbando et impediendo dictum Aldericum injuste in sua saisina predicta; quare petebat dictus Aldericus condempnari et compelli dictum Johannem de Padua ad resaisiendum sufficienter dictam domum de gagiis seu pignoribus predictis, et ad cessandum seu desistendum a turbacione et impedimento predictis, necnon et quod dictus Aldericus teneretur et conservaretur in sua saisina predicta et quod predictum impedimentum amoveretur exinde, dicto Johanne in contrarium proponente et dicente quod ipse erat et fuerat in bona saisina, per unum annum, per duos et per tantum tempus quod sufficit ad acquirendum bonam saisinam, percipiendi, quolibet anno, quatuor terminis, Parisius consuetis, super dicta domo, quatuor libras annui census seu redditus ab habitatoribus dicte domus, et quod satisfactum ei fuerat de dicto redditu, per manum dicti Alderici, quare petebat dictus Johannes se absolvi ab impeticione predicta dicti Alderici, et quod ipse teneretur et conservaretur in sua saisina predicta; lite igitur, super premissis, legittime contestata, juratoque de calumpnia, super factis hinc inde propositis, testibus, super hoc, productis ab utraque parte, juratis et diligenter examinatis et publicatis ac concluso in dicta causa, die assignata ad audiendum jus in dicta causa, predictus prepositus, per suum judicium, absolvit

PHILIPPE V, 1317.

Philippe V, 1317.

dictum Johannem de Padua ab impeticione predicta dicti Alderici, et eumdem Aldericum dicto Johanni condempnavit in predictis, per eumdem Johannem contra dictum Aldericum petitis; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Aldericus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis ac diligenter examinatis processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Aldericum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Die Jovis in vigilia beati Johannis-Baptiste que fuit vigesima tercia die junii.

M. Rogerius de Turre reportavit.

LIX. Philippus, Dei gracia, Francorum et Navarre rex, universis presentes litteras inspecturis salutem: Notum facimus quod lite mota, in curia nostra, super orta discordia inter dilectum patruum Karolum, comitem Valesie, fidelem nostrum, ex parte una, ac abbatem et conventum monasterii beate Marie de Longo-Ponte, Cisterciensis ordinis, ex parte altera, super eo quod dicti religiosi asserebant nemora vocata Longue-Roye, La-Croiz-le-Frison et La-Fautoye esse partem nemoris vocati de Dementart, non separatam neque divisam a dicto nemore de Dementart, et petentes quod nulle mete ponerentur per quas dividerentur dicta nemora de Longue-Roye, de La-Croiz-le-Frison et de La-Fautoye a predicto nemore de Dementart. Item, asserebant nemora predicta, quocumque nomine nuncupentur, esse sua propria, ad faciendum eorum voluntatem, quodque ille, a quo ipsi causam habent, in nemoribus predictis, voluit et concessit eisdem quod ipse nichil posset reclamare nec aliquid facere vel capere in eis, sine eorum assensu, hoc excepto quod dicti religiosi dicta nemora vendere, donare vel extirpare non possent. Item asserebant quoddam nemus vocatum Clausum, ante portam eorum abbacie, esse suum proprium, in omnibus factis et expletis, exceptis tribus casibus predictis, videlicet quod ipsi dietum nemus vendere, donare vel

extirpare non possunt, quodque ipsi in dicto nemore habent pasnagium et suum servientem, deputatum per eos, ad dictum nemus custodiendum, juratum tamen et sermentatum dicto comiti; asserebantque se esse et fuisse in bona possessione a tanto tempore quod de longiori non erat memoria, tenendi dictum nemus clausum contra omnes; item et quod ille a quo ipsi, super hoc, causam habent, voluit et concessit quod ipse in eodem nemore nichil posset facere vel capere, sine eorum voluntate et assensu. Item asserebant se habere quoddam nemus vocatum nemus de Laumosne, quod nemus ipsi dicebant esse suum, et se esse et fuisse in bona possessione gaudendi de ipso, et illud explectandi, ad mortuum nemus et vivum, pro necessitatibus ecclesie sue et domorum suarum, asserebantque se habere jus pascendi et mittendi animalia sua ad pascendum in dicto nemore, a tanto tempore quod sufficiebat ad acquirendum jus in predictis. Item, asserebant se habere jus pascendi et mittendi animalia sua ad pascendum per totam forestam de Rest, exceptis landis et defensis et vendis, post quas vendas, tribus annis cum dimidio elapsis, solum ipsi possunt, ut dicebant, mittere animalia sua ibidem, ad usagia predicta. Item asserebant se habere jus habendi pasnagium in foresta de Rest ad ducentos porcos ibidem mittendos, anno quolibet, a crastino festi sancti Remigii usque ad Pascha clausum, ita quod si, a dicto festo sancti Remigii usque ad festum beati Andree vel circa, morerentur aliqui de dictis porcis, sine fraude, ipsi possunt ponere porcos alios loco mortuorum, durante termino supradicto, et post dictum festum beati Andree ipsi possunt amovere dictos ducentos porcos, et ponere alios ducentos usque ad Pascha clausum, absque subrogacione vel mutacione aliquorum porcorum. Item, asserebant se habere jus, quod si gentes sue, vel animalia sua, caperentur in aliquo presenti forifacto, statim debent recredi et justiciari per ballivum Valesie, et debet fieri execucio emende in bonis illius qui captus fuerit, si sit ad valorem. Dictus vero comes contrarium asserebat et dicebat dictum nemus de Dementart esse divisum et separatum a nemoribus de Longue-Roye, de La-Croiz-le-Frison et de La-Fautoye, et aliis

PHILIPPE V, 1317.

nemoribus foreste de Rest, petens quod mete antique ibi posite approbarentur, vel alie nove ibi ponerentur, si opus esset. Item petebat quod pronunciaretur ipsum habere, in dicto nemore de Dementart, jus pasnagii, seignoreyam, ressortum, justiciam altam et bassam et garennam. Item, petebat quod pronunciaretur ipsum habere in aliis nemoribus de Longue-Roye, de La-Croiz-le-Frison, et in aliis nemoribus supradictis, domanium, justiciam, seignoreiam, ressortum, garennam et superioritatem, necnon et duas partes precii tociens quociens placet sibi vendam in eis facere, et quod liceat sibi vendam, in dictis nemoribus, facere, quociens sibi placet soli et insolidum. Item petebat quod pronunciaretur quod usagium, quod dicti religiosi dicebant se habere in dictis nemoribus, traderetur eis per dictum comitem per livreyam, sicut ceteris treffonderiis foreste de Rest, et quod dicti religiosi repellerentur a scindendo ad plenam talliam, racione usagii predicti. Item petebat quod pronunciaretur quod curia, correccio, cognicio et punicio de omnibus casibus evenientibus in dictis nemoribus, sit et pertineat ad eundem comitem, et quod remittantur ad curiam suam, et manu nostra ibidem existente primitus ad plenum inde amota; tandem auditis dictis partibus, curia nostra, auctoritate sua, ordinavit quod, super premissis omnibus, dictis partibus vocatis, veritas inquireretur de plano: Facta igitur, super predictis, inquesta, et ad curiam nostram reportata, auditisque dictis partibus ad judicandum tradita, ipsaque visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit nemus predictum vocatum de Dementart, esse separatum et divisum a predictis nemoribus de Longue-Roye, de La-Croiz-le-Frison et de La-Fautoye, et ab aliis nemoribus foreste de Rest, per loca et metas inferius designatas, videlicet incipiendo a quercu Pooilleux, eundo per juxta nemus de La-Croiz-le-Frison ad Campum Sancii-Johannis alias vocatum Campum-Rotundum, et a dicto campo eundo ad nemus dou Pre des Digues, et ab inde ad caput seu *au bout* nemoris de Longue-Roye, et ab illo capite, veniendo ad caput seu *au bout* campi de Dementart, ubi sedet capella vocata capella de Dementart, et ab illo campo redeundo

ad dictum quercum Pooilleux, et quod, si que sint ibi mete antique dividentes predicta nemora, ut predictum est, ibi remanebunt, si vero sint alique extirpate, ponentur alie nove, que predictam divisionem, per loca predicta, in futurum divident et ostendent. Item dictum fuit quod predictum nemus de Dementart, designatum et limitatum modo predicto, est proprium nemus dictorum religiosorum, ita quod dictus comes non potest in eo vendam nec aliquid aliud facere, sine assensu dictorum religiosorum, hoc tamen salvo dicto comiti quod ipse habet, in dicto nemore, justiciam altam et bassam, pasnagium et garennam. Item et quod non licet dictis religiosis dictum nemus vendere, donare vel extirpare, quodque serviens, deputatus ad custodiam dicti nemoris de Dementart, debet esse dicti comitis juratus. Item, per dictum judicium, dictum fuit quod, in nemoribus de Longue-Roye, de La-Croiz-le-Frison et de La-Fautoye, que nemora sunt de treffundo dictorum religiosorum, dictus comes habet jus faciendi vendam, quociens sibi et insolidum placet, retinendo sibi duas partes precii dicte vende, et terciam partem tradendo, dictis religiosis, per manum suam. Item et quod ipse comes habet, in eisdem nemoribus, justiciam, seignoreiam et garennam. Item per idem judicium dictum fuit quod, in nemore vocato Clausum ante portam abbacie, dictus comes habet justiciam, seignoreiam, garennam et chaciam, pasnagium vero et omnia alia jura, in dicto nemore, sunt et remanebunt ipsis religiosis, tamquam in suo treffundo, excepto quod ipsi dictum nemus non poterunt vendere, donare vel extirpare, et poterunt dicti religiosi tenere clausum dictum nemus contra omnes preterquam contra dictum comitem et ejus gentes, quando in dicto nemore venari voluerint, in quo casu dicti religiosi tenebuntur eidem comiti et gentibus suis liberum prebere ingressum. Item dictum fuit quod in dicto nemore quod dicitur Clausum ante portam abbacie, et in nemore vocato de Dementart, prout superius est limitatum, habebunt dicti religiosi servientem suum, sermentatum et juratum dicto comiti, qui serviens dictum nemus custodiet, sed ipse serviens nullam emendam potest capere, nec forisfactum ab aliquo levare, quoniam forisfacta et emende

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

hujusmodi sint comitis predicti. Item dictum fuit quod nemus vocatum Laumosne est in treffundo dictorum religiosorum et quod ipsi possunt in eo uti ad nemus mortuum et vivum, pro necessitatibus ecclesie et domorum suarum, et quod ipsi habent ibi pasturagium ad animalia sua, dictus autem comes potest facere vendam in dicto nemore de Laumosne, quociens sibi soli et insolidum placet, retinendo sibi duas partes pretii dicte vende, et terciam partem reddendo dictis religiosis, per manum suam. Item, dictum fuit quod dicti religiosi habent, per totam forestam de Rest, pasturam ad equos et vacas suas extra landas et defensa et vendas, post quas vendas finitas, tribus annis cum dimidio elapsis, dicti religiosi poterunt dicta animalia sua facere ibidem depasci. Item, dictum fuit quod dicti religiosi poterunt habere et tenere ducentos porcos, anno quolibet, in foresta de Rest, quamdiu pascio seu la paisson durabit ibidem, videlicet a crastino festi beati Remigii usque ad Pascha clausum, secundum modum qui sequitur, videlicet quod si contingat, casu fortuito, quod aliqui de dictis ducentis porcis, in dicta foresta, per dictos religiosos positis, morerentur, in principio pascionis, sine vi et violencia et sine fraude dictorum religiosorum, facta de hoc sufficienti fide gardiatoribus dicte foreste de Rest, dicti religiosi poterunt ponere alios porcos in dicta foresta, loco dictorum porcorum mortuorum de quibus fuerit sufficienter, ut supra dictum est, facta fides, et, per talem modum poterunt dicti religiosi readimplere numerum dictorum ducentorum porcorum, et non aliter. Item, quod tempore quo contingeret rescursus dicte pascionis, dictis ducentis porcis per eos positis in dicta foresta primitus amotis, poterunt ponere et tenere dicti religiosi, in eodem anno, alios ducentos porcos in dicta foresta, una vice solummodo, sine scambio aliquorum porcorum, per totum tempus dicti rescursus. Item, dictum fuit quod si contingat quod aliqui de servientibus dictorum religiosorum capiantur vel arrestentur, racione alicujus forisfacti, in dicta foresta de Rest, per gardiatores dicte foreste, recredencia fiet de ipsis, ita quod hujusmodi serviens seu servientes capti, racione eorum forisfacti, ducantur seu mittan-

tur statim ballivo Valesie dicti comitis, qui erit pro tempore, pro ipsis justiciandis et puniendis, secundum qualitatem et quantitatem dicti forisfacti, juxta usus et consuetudines dicte foreste, ita tamen quod si servientes dictorum religiosorum qui capientur ibidem, racione dicti forisfacti, habent, sub dicto comite, et in sua justicia, bona mobilia vel immobilia sufficiencia, ad emendandum dictum forisfactum, et hoc velint et possint dicti religiosi ostendere, coram ballivo dicti comitis predicto, dictus ballivus explectabit primo pro dicta emenda bona dictorum servientum, nec ponet dictus ballivus manum dicti comitis ad bona dictorum religiosorum, occasione hujusmodi, nisi in casu in quo bona dictorum servientum, sub dicto comite existencia, non possent sufficere pro emendando dictum forisfactum. Item, dictum fuit quod curia, correccio, cognicio et punicio, de omnibus casibus evenientibus in omnibus nemoribus predictis, pertinet ad dictum comitem, et quod manus nostra in premissis omnibus, propter debatum parcium predictarum, apposita, amovebitur, et gaudebit quelibet dictarum parcium jure suo, secundum modum superius expressatum, de livreya vero quam dicit dictus comes debere per ipsum fieri; dictis religiosis, pro eorum usagio, in nemoribus predictis, in quibus ipsi dicunt se habere usagium, curia non deliberavit, nec fecit suum super hujusmodi articulo judicatum, in cujus, etc.

PHILIPPE V, 1317.

Actum anno Domini millesimo trecentesimo septimo decimo, mense junii.

Fauvel et Boyau reportaverunt.

LX. Cum, visa, per nostram curiam, diligenter inquesta facta inter comitem Bolonie, actorem, ex parte una, et abbatem et conventum Cluniacenses, prioresque suos de Bougria et de Rimilli ac ballivum Ambianensem, pro nobis, reos, ex alia, super garda et ressorto dictorum prioratuum et pertinenciarum eorumdem que ad se pertinere dicebat idem comes, inter cetera, proponendo quod, de consuetudine generali comitatuum et baroniarum Francie, ita est quod ecclesie et menbra earum que fundate sunt et existunt intra dictos

PHILIPPE V, 1317.

comitatus et baronias, maxime quando dicte ecclesie sunt fundate et dotate a comitibus seu baronibus vel ipsorum predecessoribus, sunt de garda et ressorto dictorum comitum et baronum qui eas fundaverunt, et ad eos pertinent, repertum fuerit, per dictam inquestam, testes dicti comitis, quos ipse, super dicta consuetudine, produxit, minus sufficienter examinatos fuisse, secundum consuetudinem generalem dicte patrie, que jure consuetudinario regitur, quia examinari, super dicta consuetudine, proposita, per dictum comitem, debuerunt non singulariter, sed in turba, et postea, causa dicti eorum debuit a quolibet ipsorum specialiter interrogari et quos eorum sequaces habebant in casibus specificatis, a quolibet eorumdem, propter quod, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum defectum fore supplendum, ac testes, per dictum comitem productos, super dicta consuetudine, et non alios debere iterato, secundum modum predictum, super dicta consuetudine, examinari et interrogari.

Jovis in vigilia Nativitatis beati [Johannis] Baptiste.

P. Y. Prepositi [reportavit].

LXI. Mota controversia, inter magistrum Radulphum de Praellis, clericum, ex una parte, et Johannem de Semilliaco, prepositum Laudunensem, ex altera, coram dilectis et fidelibus nostris abbate Sancti-Germani-de-Pratis et scolastico Pictavensi, commissariis a nobis inter dictas partes, datis, super eo quod dictus Radulphus petebat, plura bona mobilia et dampna vel estimacionem dictorum bonorum usque ad summam trium millium sexcentum sexaginta et decem librarum Parisiensium, vel tantum quantum idem Radulphus probare posset, proponendo, contra dictum prepositum, quod idem prepositus, contra et ultra terminos commissionis sue, levaverat vel levari fecerat et injuste dicta bona de domo de Praellis et quibusdam aliis locis dicti Radulphi, et ea deliberaverat vel deliberari fecerat procuratori Macete de Bouleya, domicelle, et, ad hoc probandum, produxit, coram dictis commissariis, dictus Radulphus plures litteras, in modum probacionis, sigillatas, sigillo inclite recordacionis

karissimi domini germani nostri Ludovici, quondam regis Francie, et plura expleta, virtute dictarum litterarum, facta, contenta in quibusdam litteris sigillis Johannis de Longo-Prato et Laurencii de Malles, servientum Castelleti nostri Parisiensis, sigillatis, et quasdam alias litteras, sigillo communie de Cys et de Praellis, sigillatas, proposuitque idem Radulphus plures raciones, coram dictis commissariis, ad finem quod dicti commissarii condempnarent dictum prepositum, et compellerent ad reddendum et restituendum eidem predicta bona, vel estimacionem predictam, dicto preposito, ex adverso, proponente quod quicquid ipse levaverat vel deliberaverat de predictis bonis, quod hoc fecerat, de mandato dicti domini germani nostri et magistri sui ballivi Viromandensis, virtute cujusdam commissionis a dicto ballivo dicto preposito misse, quamdam commissionem dicti domini germani nostri, in ea incorporate[1] continentis, quas quidem commissiones exhibuit dictus prepositus, coram dictis commissariis, ad defensionem suam, et petebat quod assignaretur sibi dies ad adducendum garendum suum, pro predictis bonis, videlicet Johannem Rousseleti, maritum dicte domicelle, protestando de deffendendo dictam causam, si dictum garendum habere non posset, dicto Radulpho, ad hoc replicando, proponente quod dictus prepositus non debebat habere dictum garendum, quia, visis commissione sua et quibusdam litteris cujusdam donacionis facte dicte domicelle, a dicto domino germano nostro, de domo de Praellis et quingentis libratis terre dicti Radulphi, ad que solummodo referebatur dicta commissio facta a dicto domino germano nostro, dicto ballivo, et alia commissio facta, virtute ejusdem, a dicto ballivo dicto preposito, in quibus litteris nulla fiebat mencio quod donata essent bona mobilia dicti Radulphi, visisque aliis litteris supradictis in quibus mandabatur, a dicto domino germano nostro, dicto ballivo quod, sine ulla distractione, dicta bona custodirentur et servarentur sub manu regia, que quidem littere, ut dicebat idem Radulphus, fuerant dicto preposito exhibite vel oblate exhiberi, antequam ipse dicta bona mobilia dicto procuratori deli-

PHILIPPE V, 1317.

[1] Lisez *incorporatam.*

PHILIPPE V, 1317.

berasset, et ideo dicebat idem Radulphus quod dictus prepositus dictas expletacionem seu deliberacionem fecerat contra et ultra terminos commissionis sue predicte et contra defensam dicti domini germani nostri et tenorem dictarum litterarum que fuerant sibi exhibite vel oblate exhiberi, ante expletacionem seu deliberacionem predictas; quare petebat dictus Radulphus, per sentenciam dictorum commissariorum, dici et declarari quod dicta commissio dicti prepositi non extendebat se ad hoc quod, virtute ejusdem, dictus prepositus potuisset vel debuisset fecisse dictas expletacionem seu deliberacionem dictorum bonorum mobilium, et dictum prepositum condempnari et compelli ad reddendum et restituendum eidem Radulpho dicta bona, vel estimacionem predictam vel tantum quantum idem Radulphus probare posset de predictis; dicto preposito, ex adverso triplicando, proponente quod ipse bene et juste fecerat quicquid ipse fecerat, virtute commissionis sue predicte, et quod dicte littere dicti domini germani nostri non fuerant sibi exhibite nec oblate exhiberi, nec explecta, virtute earumdem, facta, ante deliberacionem bonorum predictorum a dicto preposito factam dicto procuratori; auditis vero, super hiis, dictis partibus, coram dictis commissariis, visisque dictis litteris et diligenter inspectis, dicti commissarii, per suam sentenciam, pronunciaverunt quod dicta commissio predicto preposito facta non extendebat se ad hoc quod, virtute ejusdem, dictus prepositus potuisset vel debuisset levasse seu deliberasse dicto procuratori bona predicta mobilia, et quod ipse nullum haberet, super hoc, garendum, et quod ipse responderet precise, tamquam de suo facto proprio, ad tres articulos videlicet, si ipse levaverat vel deliberaverat tantam quantitatem dictorum bonorum mobilium quantam petebat idem Radulphus, et si erant dicta bona tanti valoris quantum asserebat idem Radulphus, et si lettere dicti domini germani nostri, de conservandis dictis bonis mobilibus fuerant sibi exhibite vel oblate exhiberi, antequam ipse dicta bona mobilia deliberasset dicto procuratori, ut audita, super hiis, responsione sua, execucio fieret contra dictum prepositum, pro bonis que ipse confiteretur et pro illis que negaret, veritas

inquireretur ita quod possent dicti commissarii jus reddere et facere dictis partibus, juxta tenorem commissionis sue; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus prepositus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in parlamento nostro, dictis partibus, in dicta appellacionis causa, et visis processibus earumdem, per curie nostre judicium, dictum fuit dictos commissarios bene judicasse et dictum prepositum male appellasse, et quod hoc emendabit dictus appellans. Quibus sic factis, dictis partibus, in parlamento nostro, super principali causa predicta procedentibus dictus prepositus negavit se tantam quantitatem levasse vel deliberasse de dictis bonis mobilibus, quantam idem Radulphus petebat, confitebatur tamen se levasse et deliberasse dicto procuratori de dictis bonis mobilibus solum ea que, in quibusdam litteris, sigillo ad causas communie de Valliaco sigillatis, continebantur, de quibus bonis asserebat idem prepositus, ad exoneracionem suam, magnam partem in domo dicti Radulphi, per servientes nostros ultimo deputatos, ad ponendum bona dicti Radulphi in manu regia, fuisse repertam; negavit eciam idem prepositus bona et dampna, per ipsum Radulphum petita, esse seu fuisse tanti valoris, quodque dicte littere, super conservandis dictis bonis mobilibus, ante explectacionem seu deliberacionem dictorum bonorum mobilium, eidem fuissent exhibite, et expleta, virtute ipsarum litterarum, facta, eidem significata seu exhibita fuisse, et asserebat idem prepositus quod idem Radulphus, de quadam parte bonorum mobilium, per eum petitorum, in domo dicti Johannis Rosseleti repertorum, sibi restituenda, caucionem idoneam habebat, quare dicebat se ad ipsorum restitucionem minime compelli debere, dicto Radulpho dicente quod, non obstantibus predictis, dictus prepositus, ante omnia, tenebatur sibi reddere et restituere dicta bona in litteris dictorum Johannis et Laurencii, servientum, contenta, exceptis duntaxat illis bonis, per dictos servientes nostros ultimo deputatos, in dicta domo de Praellis repertos, et petebat idem Radulphus dictum prepositum compelli ad reddendum et restituendum sibi dicta bona per ipsum confessata, seu ipsorum estimacionem, et ipsum prepositum condempnari et compelli

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

ad reddendum et restituendum eidem Radulpho omnia alia bona mobilia, si extarent, et, si non extarent, eorum valorem, qui[1] bona, in litteris dictorum servientum non continebantur et que idem prepositus levasse seu deliberasse non confitebatur, cum dampnis ejusdem Radulphi aut ea que dictus Radulphus posset probare de predictis, requirendo curiam nostram quod ad premissa exequenda et inquirenda, que inquirenda forent de premissis, ydoneum seu ydoneos commissarios, auctoritate nostra, deputare vellemus; ad que exequenda et inquirenda, deputavimus dilectum nostrum magistrum Helyam de Orliaco et magistros Henricum de Horreto et Egidium de Landa, clericos, et Gaufridum de Vitriaco, quibus mandavimus et commisimus quod ipsi aut duo eorum, aliis non expectatis, ad loca, ad que, propter hoc, accedendum esset, personaliter accederent, non obstante quod parlamentum nostrum tunc esset, et vocatis dictis partibus, dictum prepositum, ad reddendum et restituendum bona per dictum prepositum confessata, si extarent, aut eorum valorem, si non extarent, exceptis dumtaxat dictis bonis, per dictos servientes ultimo in dicta domo de Praellis repertis, auctoritate nostra, per suorum bonorum explectacionem, celeriter compellerent; de aliis vero bonis et dampnis, per dictum Radulphum, contra dictum prepositum, petitis, et si dictus prepositus tantum quantum petebatur, levaverat aut deliberaverat, seu levari vel deliberari fecerat de bonis predictis et de ipsorum valore, si non extarent, secundum ipsarum parcium articulos, dictis commissariis, a dictis partibus, sub contra-sigillo nostro tunc tradendis, inquirerent, cum diligencia, veritatem, et inquestam quam inde facerent, sub suis interclusam sigillis, quamcicius perfecta esset, dilectis et fidelibus gentibus nostris parlamenti nostri, in parlamento presenti remitterent judicandam : Qua quidem inquesta facta, per Helyam et Gaufridum, commissarios predictos, et remissa, per eosdem, dictis gentibus nostris ad judicandum, visaque per dictas gentes nostras et diligenter examinata, licet in dicta commissione mandassemus dictis commissariis quod compellerent dictum pre-

[1] Lisez *que*.

positum ad reddendum et restituendum dicto Radulpho dicta bona per ipsum confessata, vel eorum estimacionem, quia tamen, ad requisicionem dictarum parcium, dicti commissarii remiserunt dictis gentibus nostris dictam execucionem, per eos ordinandam et faciendam, per curie nostre judicium, dictum fuit, cum bona predicta non extarent, execucionem predictam, racione dictorum bonorum confessatorum, debere fieri, contra dictum prepositum, usque ad summam de mille tercentum viginti et septem librarum Parisiensium, de aliis vero bonis, per eum negatis et per dictam inquestam probatis, cum similiter non extarent, per judicium dicte curie nostre, dictum fuit quod dictus prepositus reddet et restituet dicto Radulpho tercentum sexaginta et sex libras sexdecim solidos Parisienses. PHILIPPE V, 1317.

Lune post Nativitatem beati Johannis-Baptiste, vigesima septima die junii.

P. Droconis reportavit.

LXII. Ex parte Vincencii de Castello junioris, majoris ville Rothomagensis, suo et dicte ville nomine, querelam recipimus continentem quod, cum idem major, nuper pro tribunali sedens Rothomagi, in loco solito, suam temporalem juridicionem exerceret, ac Johannes de Calvo-Monte, miles, coram ipso majore, certa die personaliter comparens, racione cujusdam arresti, contra suam partem adversam, peciisset a dicto majore et ejus clerico, memoriale de die illa sibi tradi et, ex parte majoris et ejus clerici, responsum fuisset quod sibi dictum memoriale libenter traderent, et quod aliquantulum expectaret, dicto clerico dicente quod ita cito illud habere non poterat, quia non proiciebatur in mole, memoratus miles ac Johannes Des-Essarz, ejus armiger, ibidem existens, statim ad rixam et verba injuriosa et turpia proruperunt, ita quod, propter eorum rixam, causas agitandas coram se tunc expedire non potuit idem major, et ipsum, de dicto loco solito, ad alium locum propinquum, pro dictis causis expediendis, se transferre oportuit, ipsumque majorem se transferentem, dictus miles prosequens, per vestes accepit, dicens eidem

PHILIPPE V, 1317.

quod sibi non faciebat jus nec fidelitatem nec etiam racionem, et, quibusdam aliis verbis injuriosis per eumdem militem dictis ibidem, idem miles dementitus fuit majorem predictum, et plura alia verba contumeliosa, injuriosa et turpia dixit ei et de civibus dicte ville, ponensque manus ad custellum, se teneri fecit adversus majorem predictum, quodque predictus armiger adeo hurtavit seu impulit unum ex ipsius majoris servientibus et projecit in lutum quod sanguis ex ore ejus violenter efluxit, quare, cum premissa cederent in nostri contemptum, dictique majoris et ville vituperium, injuriam et gravamen, nos volentes, super hiis, scire plenius veritatem, ad requestam majoris predicti, suo ac ville, clerici et servientis predictorum nomine, precepimus ballivo nostro Rothomagensi, ut ipse, super premissis, vocatis partibus, diligenter inquireret veritatem, qui vocatis sufficienter, ad hoc, milite et armigero supradictis et eis expresse recusantibus, ad hoc, mittere vel venire, super hoc, diligenter inquisivit et plures testes, super hoc, juratos recepit, eorumque deposiciones in scriptis redegit, ac inquestam, super hoc, ab eo factam, nobis, sub sigillo suo clausam, remisit : Inquesta igitur hujusmodi a nobis recepta et ad videndum et judicandum curie nostre, de mandato nostro, remissa, eaque visa a gentibus nostris, in dicta nostra curia presidentibus et diligenter examinata, per nostre curie judicium, dictum fuit premissa proposita contra dictos militem et armigerum sufficienter esse probata, propter que dictus miles in mille et quingentis libris Parisiensibus, et dictus armiger in trecentis libris Parisiensibus nobis, pro emenda nostra, solvendis, idemque miles in quingentis libris Parisiensibus et dictus armiger in centum libris Parisiensibus predicto majori, suo et dicte ville ac servientis et clerici predictorum nomine solvendis et distribuendis inter ipsos, racione injuriarum predictarum, prout expedire viderit dictus major, fuerunt, per idem curie nostre judicium, condempnati, et, per idem judicium, dictum fuit quod dicti miles et scutifer, absque dilacione, ibunt apud Rothomagum, et dicto majori, pro tribunali suo sedenti, pro se, villa Rothomagensi, clerico et serviente predictis, in presencia circumastancium

omnium, racione dictarum injuriarum, humiliter gagiabunt emendam, et quod ipsi miles et scutifer, in prisione nostra dicte ville, tenebuntur capti, donec ipsi solverint dictas peccunie summas, vel ydoneam caucionem prestiterint de solvendo. PHILIPPE V, 1317.

Quarta die julii.

M. Gervasius reportavit.

LXIII. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter Aubertum de Angesto, ex una parte, et Thomam de Brueriis, milites, ex altera, super eo quod dictus Aubertus requirebat seu petebat quod quedam littera, sigillo Castelleti nostri Parisiensis sigillata, demandaretur execucioni, per dictum prepositum, contra Thomam predictum, proposuitque dictus Aubertus, contra dictum Thomam, plures raciones in scriptis, ad finem quod dictus Thomas responderet, coram dicto preposito, predicte requisicioni seu peticioni ipsius Auberti, dicto Thoma in contrarium proponente plures raciones in scriptis, contra dictum Aubertum, ad finem quod ipse requisicioni seu peticioni predicte dicti Auberti non teneretur, coram dicto preposito, respondere, et quod dicta execucio, per dictum prepositum, contra predictum Thomam, fieri non deberet; auditis, super hoc, dictis partibus et visis racionibus earumdem, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit predictum Thomam, non obstantibus racionibus per eum propositis, debere respondere requisicioni seu peticioni predicte dicti Auberti; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Thomas ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis, super hoc, processibus utriusque partis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Thomam male appellasse, et quod hoc emendabit dictus appellans, et remisit curia nostra dictas partes ad eumdem prepositum, super predicta execucione petita.

Quarta die julii.

Remissus fuit processus preposito Parisiensi.

PHILIPPE V, 1317.

LXIV. Lite mota, coram preposito ecclesie Sancti-Germani-de-Pratis, juxta Parisius, inter Johannam, relictam Johannis Viviani, filiam quondam defuncti Guillelmi Viviani, nunc uxorem Henrici dicti Poucin, cum auctoritate dicti mariti sui, ex una parte, et Esmelinam de Ruppe, uxorem Guillelmi de Ruppe, cum auctoritate dicti mariti sui, ex altera parte, racione cujusdam domus site Parisius, super riperiam Secane, in cono vici Pavimentati, contiguam, ex utraque parte, manerio nobilis viri Gaucherii, constabularii nostri Francie, in censiva monasterii supradicti, quam domum dicta Johanna, cum auctoritate dicti mariti sui, dicebat et proponebat ad eamdem pertinere debere, tam racione donacionis eidem Johanne facte de dicta domo a Guillelmo Viviani, quondam patre dicti Johannis, mariti sui, quam, racione successionis defuncti Guilloti, filii dicte Johanne et dicti Johannis, mariti sui quondam, quare petebat dicta Johanna dictam domum, ex causis predictis, adjudicari eidem, cum omnibus juribus et pertinenciis dicte domus, per prepositum supradictum, et, si contingeret quod diceretur et per jus quod tota dicta domus, ex causis predictis, non deberet, penes dictam Johannam in solidum remanere, petebat saltem dicta Johanna medietatem dicte domus, racione dotis sue, adjudicari eidem, excepto conquestu, facto a dicto Guillelmo, octave partis dicte domus quam eidem Johanne dictus Guillelmus donaverat, ut dicta Johanna dicebat; insuper petebat dicta Johanna medietatem omnium mobilium que habebat dictus Guillelmus, tempore quo ipse decessit, dicta Esmelina, ex adverso proponente et dicente, cum auctoritate dicti mariti sui, quod ipsa fuerat soror dicti Guillelmi Viviani et proximior heres ejusdem, et quod dictus Guillelmus, frater suus, tamquam de re sua propria, de dicta domo contenciosa saisitus decesserat, et eamdem, tamquam rem suam propriam, possidebat, quare dicta Esmelina petebat dictam domum sibi, per dictum prepositum, adjudicari, una cum omnibus mobilibus que habebat dictus Guillelmus, tempore mortis sue; lite igitur, inter dictas partes, coram dicto preposito, super hiis, legittime contestata, receptis probacionibus dictarum parcium et in dicta

causa concluso, dictisque partibus petentibus jus, super predictis omnibus, cum instancia, sibi reddi, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictam Johannam suam intencionem bene probasse, adjudicando eidem Johanne omnia que continebantur in sua peticione predicta, et absolvendo dictam Johannem a dicta peticione Esmeline predicte; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicta Esmelina ad nostrum Parisiensem prepositum appellavit; qui prepositus noster, viso processu predicto, auditis eciam dictis partibus super hiis que ipse, coram eo, proponere voluerunt, in modum qui sequitur judicavit, videlicet quod male fuerat judicatum et bene fuerat appellatum, et adjudicavit dicte Johanne medietatem quarte partis dicte domus contenciose, quantum ad proprietatem et saisinam; item, adjudicavit eidem Johanne, pro dote sua, medietatem septem parcium dicte domus, quamdiu viveret dicta Johanna dumtaxat; item, adjudicavit eidem Johanne medietatem omnium mobilium que habebat dictus Guillelmus Viviani, tempore quo ipse decessit; insuper adjudicavit dicte Esmeline dictus prepositus noster saisinam septem partium dicte domus, salvo dotalicio supradicto; item, adjudicavit medietatem predictorum mobilium, de quibus est contencio, Esmeline predicte; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicta Johanna ad nostram curiam appellavit : Dictis igitur processibus et judicatis nostre curie reportatis, visis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus prepositus noster dicte Johanne adjudicare debuit, de dicta domo contenciosa, saisinam solummodo decime-sexte partis, et, in id quod plus adjudicavit eidem Johanne, male extitit judicatum et bene appellatum, quantum autem ad alia omnia, dictus prepositus noster bene judicavit, et per dictam Johannam, quantum ad hoc, male extitit appellatum.

Philippe V, 1317.

Quarta die julii.

M. Robertus de Sancto-Benedicto reportavit.

LXV. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter procuratorem hominum seu gencium villarum de Chatou et de Montesson, ex parte

PHILIPPE V, 1317.

una, et procuratorem Soutani de Jaigniaco, ex parte altera, super eo quod procurator dictorum hominum proponebat, pro ipsis et nomine eorumdem, plura gravamina, coram preposito predicto, que eisdem hominibus et de novo inferebat Soutanus predictus, faciendo garennam novam, pedagia nova, viariam novam, impediendo eciam dictos homines ne ducerent seu duci facerent animalia sua ad pascendum in insula de Chatou, et ne eciam herbam dicte insule caperent, de quibus erant et ab antiquo tempore fuerant dicti homines in saisina, quam insulam dicti homines possidebant et ab antiquo possederant, tamquam rem suam propriam, ut dicebant, et alias quamplurimas novitates et servitutes eisdem hominibus inferendo, contra eorum hominum libertates antiquas, de quibus ipsi homines et predecessores sui, ab antiquo erant et fuerant in saisina; quare petebat procurator hominum predictorum, nomine eorumdem, predictas novitates et gravamina, per supradictum nostrum prepositum, amoveri et teneri dictos homines in suis antiquis libertatibus et saisinis, procuratore dicti Soutani petente de predictis hominibus et peticionibus eorumdem eidem Soutano curiam reddi, plures raciones quare hoc debebat fieri proponendo, procuratore dictorum hominum, ex adverso proponente et dicente quod, de predictis omnibus, curia et cognicio, penes Parisiensem prepositum remanere debebat, plures raciones, super hoc, allegando; super quibus ambe partes predicte pecierunt, per dictum prepositum, jus, cum instancia, sibi reddi; qui prepositus, viso toto processu predicto, consideratis pluribus rebus contentis in peticionibus hominum predictorum, tangentibus nostram regiam magestatem et nostrum communem populum, sicut sunt nova pedagia, nove garenne, nove viarie, que nullus potest facere sine nostro regali assensu, et quia aliqui ex hominibus supradictis non erant hospites dicti Soutani, immo nostri et aliorum plurium dominorum, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit curiam et cognicionem de predictis omnibus, per dictas partes, coram eo propositis, penes eumdem remanere debere; a quo judicato, tamquam falso et pravo, procurator dicti Soutani ad nostram

curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, consideratis eciam omnibus que nostram curiam movere poterant et debebant, et quod nullus potest facere garennam novam et pedagia nova absque assensu nostre regie magestatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, quamtum ad garennam novam et pedagia nova, bene judicasse et dictum Soutanum male appellasse. Item, per idem judicium, dictum fuit quod, quantum ad alia omnia, in peticionibus dictorum hominum contenta, dictus prepositus male judicavit, et per dictum Soutanum bene extitit appellatum (34). PHILIPPE V, 1317.

Quarta die julii.

M. Robertus de Sancto-Benedicto reportavit.

Remissus fuit processus preposito Parisiensi.

LXVI. Lite mota, in nostra curia, inter Ysabellim, dominam de Vy, relictam defuncti Guillelmi Constant de Sorvillier, armigeri, tam nomine suo quam nomine liberorum suorum, in minori etate existencium, quos habebat in sua garda, ex parte una, et Reginaldum Des-Champs, militem, ex altera, super eo quod dicta Ysabellis proponebat quod, cum dictus Reginaldus tradidisset dicto defuncto Guillelmo, ex causa permutacionis seu escambii, quoddam feodum situm in territorio de Plaly, pro medietate tocius justicie quam dictus Guillelmus habebat in villa de Seurvillier, quam tradiderat dicto Reginaldo, pro dicto feodo, prout continebatur in quibusdam litteris, sigillo prepositure Silvanectensis sigillatis, ac promisisset dictus Reginaldus garentizare dictum feodum dicte Ysabelli, liberi dicti Reginaldi, in quorum utilitatem, dicta permutacio seu escambium factum fuerat, statim quod pervenerunt ad etatem legittimam, reprobando factum dicti Reginaldi, patris eorum, posuerunt se, seu poni fecerunt in possessione et saisina corporali dicti feodi, ad eos pertinentis, prout asserebant, ex successione defuncte domicelle Marie, matris eorum, uxoris quondam dicti Reginaldi, et de dicto feodo intraverunt in fide et homagio domini a quo dictum feodum tenebatur, a quo domino

PHILIPPE V. 1317.

ipsi fuerunt recepti, in absencia dicte Ysabellis et liberorum suorum, et ea non vocata, sed predicta penitus ignorante; sed statim quod pervenit ad noticiam dicte Ysabellis quod liberi dicti Reginaldi fecerant se poni in saisina dicti feodi, dicta Ysabellis denunciavit sufficienter, in judicio et extra, dicto Reginaldo, quomodo dicti liberi se posuerant in saisina dicti feodi et intraverant in fide et homagio domini a quo illud tenebatur, et requisivit quod dictus Reginaldus garentizaret dictum feodum dicte Ysabelli, prout ad hoc tenebatur; qua denunciacione facta, dictus Reginaldus fuit in mora et defectu garentizandi dictum feodum dicte Ysabelli, et adhuc est, ut ipsa proponit, quare petebat dicta Ysabellis, tam nomine suo quam liberorum suorum, dictum Reginaldum condempnari et compelli ad garentizandum dictum feodum ipsi Ysabelli et ejus liberis, seu ad reddendum et restituendum dicte Ysabelli, tam pro se quam pro liberis suis, dictam medietatem justicie predicte ville de Sorvillier, parte adversa in contrarium proponente et dicente se non teneri in aliquo garentizare dictum feodum dicte Ysabelli, pro eo, ut ipse dicebat, quod liberi dicti Reginaldi posuerant se in saisina dicti feodi, de voluntate et assensu dicte Ysabellis, et absque hoc quod dicta Ysabellis denunciasset hoc dicto Reginaldo : Viso igitur processu predicto, et diligenter examinato, visis eciam deposicionibus testium hinc inde productorum, per judicium curie nostre, dictum fuit dictum Reginaldum teneri ad garentizandum dictum feodum dicte Ysabelli, tam nomine suo quam liberorum suorum predictorum, secundum tenorem facte, super hoc, obligacionis.

Quinta die julii.

M. Rogerius de Turonis reportavit.

LXVII. Cum magister Guillelmus de Remis, tutorio seu curatorio nomine Marote, filie quondam Guillelmi dicti Evrost, peteret a Parisiensi preposito quoddam judicatum Castelleti Parisiensis, a nostra curia legitime confirmatum, continens summam trecentarum septuaginta septem librarum et decem octo solidorum Parisiensium bono-

rum, ex certis causis, contra Jacobum Olearium, in ejus bonis execucioni demandari, dictusque Jacobus, ad hoc se opponens, proponeret plures raciones, ad finem quod dictum judicatum, contra ipsum, non deberet execucioni mandari, sed pocius a contentis in eo liberari totaliter et absolvi, dicto magistro Guillelmo, nomine quo supra, plura in contrarium replicando, proponente et dicente; quibus hinc inde propositis, et a dicto preposito sub certis modo et forma ad probandum admissis, liteque, super hoc, legittime contestata, jurato in causa, instrumentis exhibitis, testibus productis, juratis, examinatis, et eorum deposicionibus publicatis, ac concluso in dicta causa, tandem, visis arramentis predictis, predictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum judicatum, non obstantibus propositis ex parte dicti Jacobi, debere mandari execucioni ad plenum, de tanto quamto facit mencionem dictum judicatum, et extenditur contra dictum Jacobum, deductis de hoc octoginta libris Parisiensibus, ex una parte, ac quadraginta octo libris Parisiensibus, ex altera, quas in dicto processu predictus magister Guillelmus, quo supra nomine, confessus fuit se, nomine dicti Jacobi et ad ejus liberacionem, a certis personis recepisse; a quo judicato, tamquam falso et pravo, predictus Jacobus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis hujusmodi, et visis cause principalis et dicte cause processibus et judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Jacobum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

PHILIPPE V. 1317.

Quinta die julii.

Reportavit P. Gervasius.

LXVIII. Appellacionis causa, in curia nostra, mota, inter Hardoynum le Maire, ex una parte, ac dilectum et fidelem Karolum, comitem Andegavensem, patruum nostrum, Matheum Quatrebarbes, militem, pro se et Cecilia, uxore sua, matre dicti Hardoini, in quantum tangit eorum quemlibet, ex parte altera, super eo videlicet quod idem Hardoinus dicebat quod, cum dicti miles et uxor sua peterent a dicto

PHILIPPE V, 1317.

Hardoino, coram ballivo Andegavensi, pro dicto comite, dotalicium quod dicta Cecilia, mater dicti Hardoini, dicebat se habere in bonis defuncti Guillelmi le Maire, mariti quondam dicte Cecilie ac patris dicti Hardoini, dictusque Hardoinus ibidem proponeret ex adverso quod, ex quo dicta Cecilia volebat habere, pro suo dotalicio, terciam partem in bonis dicti defuncti mariti sui, que dictus Hardoinus habebat et possidebat, idem Hardoinus debebat similiter habere terciam partem in terra dicte matris sue, sicut ipsa erat heres sue terre, tempore dicte peticionis sue, dicens hoc sibi, secundum consuetudinem illius patrie, fieri debere, quam consuetudinem idem Hardoinus obtulit se probaturum, et, ad eam probandam, fuit, per dictum ballivum, admissus, et ejus testes, super hoc, recepti, quibus examinatis, dicte partes pecierunt jus, super hoc, sibi reddi, videlicet utrum dicta consuetudo esset sufficienter probata, super quo curia dicti ballivi existente tunc in contradicione, dictus ballivus causam hujusmodi commisit subballivo de Baugy ac Johanni de Cocy, locum tenentibus suis[1], ut, super premissis, jus facerent partibus antedictis; a quibus commissariis, seu locum tenentibus dicti ballivi, cum dictus Hardoinus peteret quod sibi, super hoc, jus redderent, pluries et sufficienter, super hoc, requisiti, jus facere denegarunt eidem; a qua denegacione juris dictus Hardoinus, ab ipsis, ad nostram curiam appellavit, petens in curia nostra appellacionem suam esse justam pronunciari, parte adversa contrarium asserente, et dicente quod, super premissis, nulla commissio fuerat facta dictis subballivo de Baugi et Johanni de Coci, sed super aliis discordiis motis inter dictos Matheum Quatrebarbes, militem, Ceciliam, ejus uxorem, Johanam et Alesiam, sorores dicti Hardoini, ac Guillelmum, eorum fratrem, in quamtum quemlibet eorum tangebat, ex una parte, et dictum Hardoinum, ex altera, nec habebant dicti commissarii potestatem nisi solum cognoscendi et referendi; super quibus, cum vellent procedere, dictus Hardoinus coram eis, super premissis, procedere recusavit, sed petebat jus sibi reddi, per dictos commissarios, super lite mota, coram dicto ballivo, inter

Lisez *suum*.

ipsum, ex una parte, et dictos militem et Ceciliam tantummodo, ex altera; qui commissarii responderunt quod, super illo, non poterant sibi jus reddere, cum decisio dicte cause non esset eis commissa; a qua responsione, tamquam a juris denegacione, dictus Hardoinus ad nostram curiam appellavit, ut ipsi dicebant, et idcirco petebant, in curia nostra, dictus comes et dicti miles et ejus uxor appellacionem predictam pronunciari nullam et nullius esse valoris; auditis igitur, in parlamento nostro, partibus predictis, curia nostra, super factis predictis contrariis, mandavit veritatem inquiri: Qua inquesta facta et ad nostram curiam reportata, visa et diligenter examinata, quia repertum fuit utriusque partis testes in dicta inquesta productos minus sufficienter examinatos et interrogatos fuisse, curia nostra precepit dictum defectum suppleri et, super hoc, certos commissarios deputari, quibus, in quadam cedula, sub signo camere nostre placitorum Parisius clausa, tradentur interrogaciones super quibus ipsi testes, in dicta inquesta productos, et non alios, iterato examinabunt et sigillatim, super quolibet, per se, articulorum in dicta inquesta contentorum. PHILIPPE V, 1317.

Jovis in vigilia Nativitatis beati Johannis-Baptiste.

LXIX. Cum Ysabellis de Bonyaco, relicta Petri, quondam domini de Chambliaco, militis, in parlamento Parisiensi, proponi fecisset contra Erardum de Monte-Morenciaco, militem, ibidem presentem, quod in domo Franchi-Castri, quam ipsa tenet, et que, ex certa causa, pertinet ad eamdem, dictus Erardus, per se et gentes suas, per violenciam, intulit eidem relicte plura dampna, usque ad estimacionem duorum millium librarum, petens ipsum militem ad dicta dampna sibi restituenda compelli, et ex parte dicti militis, ex adverso, propositum fuisset quod alias, super dictis dampnis sibi reddendis, ipsa relicta a curia nostra impetraverat mandatum ballivo Viromandensi directum; qui ballivus, virtute dicti mandati, per se vel per alium, vocatis partibus, de premissis cognovit, et dicte relicte debitam fieri fecit restitucionem de dampnis predictis, et de hujusmodi restitucione

PHILIPPE V, 1317.

fuerat dicte relicte procurator contentus, predicta relicta seu ejus procuratore contrarium asserente; quibus auditis, curia nostra certum commissarium deputavit qui, vocatis evocandis, super premissis, inquireret, cum diligencia, veritatem, et inquestam suam, super hoc, reportaret, ad tardius infra novissime preteritum festum Candelose, in parlamento presenti, super ea diem assignando partibus antedictis; constitutis igitur, in parlamento presenti, dicta relicta, pro se, ex una parte, et dicti militis procuratore, pro se, ex altera, presente eciam commissario predicto, peciit dicta relicta inquestam predictam curie nostre tradi et videri, ac judicari, procuratore dicti militis quasdam raciones e contrario proponente; tandem, auditis hinc inde propositis, et visa commissione facta, super hoc, dicto commissario, ejusque relacione audita, curia nostra precepit dictam inquestam sibi tradi, ad finem judicandi eamdem: Dicta igitur inquesta curie nostre tradita, ac visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus miles non probavit excepcionem suam predictam, et quod, super peticione predicta ejusdem Ysabellis, curia nostra, partibus auditis, ulterius faciet quod fuerit racionis.

Sabbato, post octabas Pasche, que fuit decima sexta dies aprilis.

LXX. Cum major et consules ville Petragoricensis nos instanter requisivissent, ut manum nostram, diu est appositam in justicia consulatus dicte ville, vellemus inde amovere, plures raciones proponentes per quas ipsi dicebant quod, tenendo manum nostram ibidem, tam nos quam ipsi plurimum ex hoc dampnificamus, nos, ad eorum instanciam, mandavimus senescallo Petragoricensi ut ipsis, ex una parte, ac procuratore nostro, pro nobis, ex alia, vocatis, auditisque parcium racionibus hinc et inde, idem senescallus, super hiis, inquireret veritatem, et inquestam, super hoc, factam curie nostre mitteret sub suo, fideliter inclusam, sigillo: Dicta igitur inquesta, super hiis, facta et ad nostram curiam reportata, et, auditis partibus, per curiam nostram ad judicandum recepta, ea visa et diligenter examinata, cum, per eam, curie nostre constiterit quod dicti major et

consules raciones et facta per eos, super hoc, proposita non probaverant, quodque procurator, inter plures raciones juris bonas et sufficientes, pro parte nostra, in hujusmodi proposuit, ac exhibuit curie nostre judicatum per quod evidenter apparet quod propter malum regimen dictorum majoris et consulum, ibidem, exigente justicia, fuit apposita manus nostra, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictorum majoris et consulum predicta requesta non fiet, et quod manus nostra, in dicta justicia, sicut prius, apposita remanebit. PHILIPPE V, 1317.

Undecima die junii.

M. Aubertus de Roya reportavit.

LXXI. Cum Guillelmus Bacon, miles, qui, pro Nicholao Episcopi et Guillelmo Berguet, mercatoribus, qui certam quantitatem boscorum nostrorum emerant, pro ipsis, erga gentes nostras, de solvendo dicti contractus precio se fidejussorem constituit, dicens se dampnificatum in hujusmodi fidejussione, nostras litteras impetrasset quod, super dictis dampnis, fieret inquesta, et nobis remitteretur, dictaque inquesta, super hoc, facta nobis fuerit reportata, nos eamdem gentibus nostris parlamenti, Parisius, misimus videndam et judicandam: Visa igitur, per dictas gentes nostras, inquesta predicta, cum, per eam, non fuerit repertum quod in ea vocati fuerint dicti mercatores, pro quibus dictus miles fidejussit, et contra quos ipse debet, pro dictis dampnis suis, habere recursum, et non contra nos, cum ipse non fidejusserit pro nobis, per curie nostre judicium, inquesta predicta fuit totaliter anullata.

Jovis in vigilia Nativitatis beati Johannis-Baptiste.

LXXII. Cum, in nostra curia, peterent abbas et conventus monasterii Sacri-Portus, nunc de Barbello, contra prepositum mercatorum Parisiensium et mercatores aquam Secane frequentantes, dampna in terra religiosorum ipsorum et aqua Secane fluente, ante domum et monasterium ipsorum, data et illata eisdem, racione vie ante portam dicti monasterii, pro utilitate et necessitate mercaturarum, ad instan-

PHILIPPE V, 1317.

ciam dictorum prepositi et mercatorum, facte de novo, sibi restitui, sub estimacione centum viginti librarum Parisiensium annui redditus, vel circa, necnon et ducentarum librarum Parisiensium una vice solvendarum, pro eorum arboribus, vineis, palis, ferramentis et marreno amotis et asportatis ab inde, per prepositum et mercatores predictos, quodque fieret per nos provisio, quod dicta via et ipsius coni sint in competenti statu positi, et eciam sustentati, per dictos prepositum et mercatores, necnon et quod ipsi religiosi absolvantur de expensis et dampnis contra ipsos religiosos, in nostra curia, per eosdem prepositum et mercatores petitis, racione dicti dampni, dictis mercatoribus et mercaturis suis, occasione impedimenti appositi, super hoc, per religiosos eosdem, ut dicti mercatores dicebant, plures ad finem hujusmodi, raciones, super hiis, proponentes; dictis vero preposito et mercatoribus, se, super dictis dampnis ab eisdem religiosis petitis, absolvi debere, ac religiosos eosdem debere condempnari et compelli ad reddendum eisdem mercatoribus septingentas libras Parisienses, vel circa, pro interesse et dampnis predictis, ab eisdem preposito et mercatoribus petitis, pluribus racionibus proponentibus ex adverso; tandem, datis, in curia nostra, super hiis, dictarum parcium articulis et responsionibus ad eosdem, dicta nostra curia certos dedit auditores ad inquirendum, super hiis, veritatem : Visis igitur, per dictam curiam nostram, inquesta facta super hiis, processuque super hoc habito, ac deposicionibus testium productorum hinc inde, tam super articulis principalibus dictarum parcium, quam super objectis in testes dictarum parcium, per nostram curiam ad probandum admissis, litterisque judicatis, et instrumentis productis super hiis, a dictis partibus, et racionibus earumdem diligenter examinatis, quia, per dictam inquestam, repertum est dictam viam, factam de novo, non esse adeo necessariam quim antiqua via sit et fuerit magis necessaria et utilis, et quod adhuc mercatores frequencius transeunt per eamdem, prout ab antiquo fecerunt, necnon et ipsos religiosos dampnificatos esse in molendino suo, quod ipsi ibi ab antiquo habebant, et in aliis suis hereditatibus seu redditibus annuis, ad valorem sexaginta

librarum Turonensium annui redditus, necnon et in ducentis libris Turonensibus una vice solvendis, occasione dicte vie, ut supradictum est, facte de novo, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit prepositum et mercatores predictos teneri, ad reconpensacionem sufficientem faciendam dictis religiosis, de dictis sexaginta libris Turonensibus annui redditus, et ad solvendum ipsis religiosis ducentas libras Turonenses, una vice, pro aliis ipsorum religiosorum bonis amissis, occasione dicte vie constructe de novo, in ceteris vero petitis hinc inde, dictas partes, per idem judicium, absolvendo. PHILIPPE V, 1317.

Mercurii ante Magdalenam.

P. J. Prepositi [reportavit].

LXXIII. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Rogerium dictum Cavaigne, civem Parisiensem, ex una parte, et Castellanum dictum de Genes, ex altera, super eo quod dictus Rogerius petebat a dicto Castellano novem magnos saccos plenos lino, sub estimacione centum quinquaginta librarum Turonensium, quod linum deposuerat idem Rogerius, ut ipse dicebat, in domo dicti Castellani, et, signo suo consueto, signaverat dictum linum; qui Castellanus vendiderat sex saccos de predicto lino, sine voluntate dicti Rogerii et assensu, ut dictus Rogerius asserebat, quare petebat dictus Rogerius predictum Castellanum in predictis novem saccis, vel in estimacione predicta, condempnari; dicto Castellano ex adverso proponente quod dictum linum erat suum, et quod ipse erat in saisina dicti lini, et quod idem Rogerius tenebatur dicto Castellano in ducentis quadraginta libris Parisiensibus, racione plurium mercaturarum, de quibus ipsi contraxerant, inter se, societatem, quas quidem mercaturas vendiderat dictus Rogerius, nec de eis dicto Castellano reddiderat racionem, quare petebat dictus Castellanus dictum Rogerium in predictis ducentis quadraginta libris sibi condempnari, dicto Rogerio, ex adverso, replicante quod ipse non tenebatur in aliquo dicto Castellano, nec umquam societatem contraxerat cum eodem; lite igitur, super hiis, contestata, coram predicto preposito, et, super hiis, pluribus racio-

PHILIPPE V, 1317.

nibus propositis, ac eciam attestacionibus productis hinc inde, idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictos novem saccos plenos lino dicto Rogerio debere restitui a Castellano predicto, vel centum quinquaginta libras Turonenses, pro estimacione dicti lini, et, per idem judicium, predictum Rogerium absolvit a peticione predicta dicti Castellani; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dictus Castellanus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Castellanum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Mercurii ante Magdalenam.

LXXIV. Mota controversia, in curia seculari prioratus Sancti-Eligii Parisiensis, inter Nicholaum de Paciaco, civem Parisiensem, ex una parte, et priorem dicti prioratus, ex altera, coram magistro Petro Alectis, auditore seu commissario dato a dicto priore, inter dictum Nicholaum, ex una parte, et procuratorem dicti prioris, ex altera, super eo quod dictus Nicholaus dicebat quod, cum ipse esset in saisina plurium censuum et reddituum, et cujusdam domus, sitorum in censiva prioratus Sancti-Eligii predicti, dictus prior seu alius, de mandato suo, et ipso ratum habente, predicto Nicholao, cujus intererat, ad hoc non vocato, nec convicto, nec confesso, manum suam apposuerat in dictis censivis seu redditibus, et predictam domum discooperiri fecerat, et tegulas quibus erat cooperta, inde fecerat asportari, quare petebat dictus Nicholaus dictum priorem condempnari et compelli ad amovendum manum suam de rebus predictis, et ad reportandum dictas tegulas, et cooperiendum et reponendum dictam domum in statum pristinum, antequam ipse responderet seu respondere teneretur alicui peticioni dicti prioris, super saisina vel proprietate rerum predictarum, et dicebat quod ad hoc debebat dictus auditor seu commissarius ante omnia condempnare dictum priorem; dicto procuratore, ex adverso, proponente quod dictus Nicholaus

emerat dictos census seu redditus et domum a defuncto Johanne Bourdoin, precio noningentarum et sexaginta librarum, et, racione dicti contractus, tenebatur idem Nicholaus dicto priori ad vendas, usque ad summam octoginta librarum, videlicet, pro quibuslibet, duodecim libris in viginti solidis, et ad emendam, racione dictarum vendarum, tempore debito, non solutarum, usque ad summam sexaginta solidorum et unius denarii, et quod ipse dictas tegulas potuit amovere et dictam domum discooperire, de consuetudine notoria, Parisius, quare dicebat dictus procurator juste appositam fuisse in dictis censibus seu redditibus manum dicti prioris, et quod non tenebatur dictus prior dictam domum[1] suam amovere de predictis, donec esset sibi satisfactum ad plenum de venda et emenda predictis; auditis igitur, super hoc, dictis partibus, et visis processibus earumdem, dictus auditor seu commissarius, per suam interlocutoriam, pronunciavit quod ipse facta utriusque partis, super hoc proposita, recipiebat probanda ab utraque parte, ad fines ad quos dicte partes tendebant; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Nicholaus ad prepositum Parisiensem appellavit; auditis itaque, coram dicto preposito, dictis partibus, in causa appellacionis hujusmodi, et visis processibus earumdem, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum auditorem seu commissarium male judicasse, et predictum Nicholaum bene appellasse; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus procurator ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus earumdem et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictum procuratorem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Philippe V, 1317.

Quinta die augusti.

LXXV. Cum Johannes de Abricis peteret, coram preposito Parisiensi, quod ipse prepositus demandaret execucioni quamdam litteram, sigillo Castelleti Parisiensis sigillatam, contra Stephanum de

[1] Lisez *manum*.

PHILIPPE V, 1317.

Calvo-Monte, usque ad summam octoginta librarum monete Burgensis, dictusque Stephanus, ex adverso, proponeret quod ipse tradiderat dicto Johanni, in solucionem dicte summe peccunie, et post datam dicte littere, octo libratas annui census, super duabus domibus sitis Parisius, videlicet una in vico de Galande, contigua, ex una parte, domui Thome dicti Lorgreneur, et ex alia, domui Johannis Tonsoris, et alia domo in civitate Parisiensi, in cuneo Pelliparie, loco gagerie seu pignoris, tenendam et percipiendam ab eo, quousque satisfactum esset dicto Johanni de dictis octoginta libris, vel nomine vendicionis pro dictis octoginta libris, si dictas octo libratas malet idem Johannes, titulo empcionis, tenere et habere, pro precio summe predicte, quam quidem voluntatem suam, seu electionem debebat idem Johannes dicto Stephano declarare, diceretque idem Stephanus quod dictas octo libras annui census tenuit, levavit et explectavit dictus Johannes, per tres annos, et adhuc tenet, levat et explectat, quare dicebat dictus Stephanus dictam execucionem contra se minime fieri debere; predictis itaque, litem contestando, negatis a dicto Johanne, testibusque, super eisdem, per dictum Stephanum productis publicatisque attestacionibus eorumdem, quia predicta, per testes dicti Stephani, inventa non fuerunt probata, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictam execucionem fieri debere contra dictum Stephanum, non obstantibus racionibus propositis per eumdem, salvo dicto Stephano jure suo in dictis octo libratis annui census et earum arreragiis, si quod habet dictus Stephanus in eisdem; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Stephanus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus earumdem et judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Stephanum male appellasse, et quod hoc emendabit dictus appellans.

Quinta die augusti.

M. P. Droconis reportavit.

LXXVI. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Chevreuse, civem Parisiensem, ex una parte, et Johannem Roque et ejus socium, ex altera, super eo quod dictus Johannes de Chevreuse dicebat, contra dictum Johannem Roque et ejus socium, quod ipse Johannes de Chevreuse tradiderat Johanni Godini, mercatori de Broissellis, trecentos florenos ad agnum, ad portandum et deferendum dictos florenos, apud Broisselles, Symoni de Sancto-Clodoardo, qui erat ibidem, ut dicebat idem Johannes de Chevreuse, pro mercatura sua, vel ad tradendum dictos florenos dicto Compain Lainguini, hospiti dicti Symonis, et quod dictus Johannes Godini furtive fugiit cum dictis florenis, et quod, tempore quo tradidit idem Johannes de Chevreuse dictos florenos dicto Johanni Godini, idem Johannes Godini habebat quinque pannos in mercato Parisiensi, in halis que dicuntur hale de Broissellis, videlicet duas aquarletas et duos plummatos, et unum mabretum de grana, de viridi et rubeo, valoris centum sexaginta Parisiensium, et quod dictus Johannes Roque fecit portari dictos pannos ad domum Laurencii Fabri, civis Parisiensis, hospitis dictorum Johannis Roque et socii sui, sine causa racionabili et injuste, quare petebat dictus Johannes de Chevreuse quod manus nostra que, ad requestam suam, fuerat posita in dictis pannis, inde amoveretur, et quod traderentur sibi dicti panni, tamquam pignus suum, ad vendendum et explectandum, pro dicta summa dictorum trecentorum florenorum, dicto Johanne Roque ex adverso proponente, nomine suo et socii sui, quod, tempore dicte manus apposicionis, ipse et socius suus erant in bona saisina dictorum pannorum, et erant dicti panni in hospicio dicti Laurencii, nomine dictorum Johannis Roque et socii sui, dicebatque, ad confortandum saisinam suam, quod dicti panni erant sui et socii sui, justo titulo et sufficienti, ab eisdem loco et tempore declarando, et quod, sine cause cognicione et injuste, dictus prepositus apposuerat dictam manum nostram in dictis pannis, ad requestam dicti Johannis de Chevreuse, et quod ipse non tenebatur respondere dicte peticioni dicti Johannis de Chevreuse, quousque dicta manus nostra esset

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

inde amota, quare petebat dictus Johannes Roque, nomine suo et socii sui, quod dicta manus nostra inde amoveretur, vel quod saltem, cum ydonea caucione, recrederentur sibi et socio suo dicti panni; lite igitur, super hoc, contestata, testibus productis et attestacionibus publicatis, dictus prepositus, per suum judicium, inde amovit dictam manum nostram et dictos pannos predicto Johanni Roque et ejus socio deliberavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Johannes de Chevreuse ad nostram curiam appellavit : Auditis itaque, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processibus earumdem et judicato predicto, per judicium curie nostre, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Johannem de Chevreuse male appellasse, et quod hoc emendabit dictus appellans.

Quinta die augusti.

M. P. Droconis reportavit.

LXXVII. Cum, ex parte procuratoris karissimi genitoris nostri in senescallia Petragoricensi, ac Bernardi de Blanchaforti, domini de Andegia, senescallo dicte senescallie, delatum fuisset, et coram eodem senescallo, contra Guillelmum de Perdelhan, castellanum, ac Ernaldum de Bagera, bajulum seu prepositum de Blanchaforti, pro domino ejusdem loci, propositum quod, post et contra appellacionem, per dictum Bernardum, locum tenente senescalli Vasconie, a defectu et denegacione juris ac, ex aliis certis causis et gravaminibus, ad dictum genitorem nostrum seu ad ejus curiam Francie emissam, ac, post inhibicionem, ex parte dicti senescalli Petragoricensis seu ejus certi commissarii, in hac parte, de mandato dicti genitoris nostri, legitime sibi factam, ne aliquid, dicta appellacione pendente, in prejudicium ipsius appellacionis dictique Bernardi, attemptarent, immutarent seu eciam innovarent, eodem commissario, dicto Bernardo petenti, ex certa et legittima causa, gardiatore ab ipso senescallo specialiter deputato, dicto eciam Bernardo, ejus causa, terra et bonis omnibus in salva manu, seu gardia dicti genitoris nostri, vexilloque seu pannoncello

regio, in signum dicte manus seu gardie, in loco quodam ejusdem Bernardi, dicto de la Canan, et in alio de Andegia predicto, positis et dimissis per gardiatorem predictum, spretis premissis omnibus, ipso Bernardo sic in dicta sua appellacionis causa existente, ipsoque et bonis suis existentibus in salva gardia et securitate dicti domini genitoris nostri, predicti castellanus et bajulus, scientes dictam gardiam ibidem appositam, cum magna multitudine armatorum, ad dicta loca de la Canan et de Andegia violenter accesserant, et dictum vexillum amoverant et ad terram prostraverant, furchasque dicti Bernardi, in terra sua et juridicione, patentes et erectas ac quasdam trassas ligneas fregerant, disruerant et combuxerant, presente gardiatore predicto et contra ejus inhibicionem expressam, in prejudicium appellacionis et salve gardie predictarum dictique genitoris nostri contemptum ac dicti Bernardi prejudicium non modicum et gravamen, et ob hoc peterent procurator predictus, quatenus tangebat jus regium, et dictus Bernardus, quatenus ipsum tangebat, premissa, sic indebite attemptata et innovata, ad statum pristinum reduci, et ipsos castellanum et prepositum ad hoc et de tantis temeritate et excessu puniri, ac in emendam condignam, videlicet in ducentis marchis argenti, condempnari, memoratis castellano et bajulo dicentibus hoc fieri non debere, et, ad sui defensionem, contra dictos procuratorem et Bernardum et eorum intencionem, proponentibus plures raciones juris et facti ad finem quod si ipsi premissa reperirentur fecisse, eciam post appellacionem predictam, ea tamen reputari seu dici non debeant attemptata, et quod bene et licite facta fuerant, utendo jure dicti domini sui, sine prejudicio alicujus, nec dicte appellacioni, si que facta fuerat, in aliquo deferre debuerant seu debebant, cum dictus Bernardus deferre eidem noluisset, ut dicebant; tandem predictus senescallus, ad inquirendum, super premissis et ea tangentibus, vocatis evocandis, diligencius veritatem, duos certos commissarios jurisperitos, necnon et ad audiendum et admittendum raciones, defensiones et excepciones parcium, de consensu earumdem parcium, specialiter deputavit, volens et ordinans ut inquestam et

PHILIPPE V, 1317.

processum quos, super hiis, facerent, sibi, sub sigillis suis, remitterent fideliter interclusos; lite igitur, super hinc inde propositis, legittime contestata, jurato in causa, articulis hinc inde traditis et certis responsionibus subsecutis, testibus insuper hinc inde productis, juratis et examinatis eorum deposicionibus in scriptis redactis, litteris et instrumentis hinc inde exhibitis quibusdam, ex parte dictorum castellani et bajuli in testes contra ipsos ab adversa parte productos et eorum dicta propositis et objectis et ad hec responsionibus certis datis, renunciatoque ac concluso a partibus in dicta causa, predicti commissarii inquestam et processum hujusmodi ad dictum senescallum remiserunt, juxta traditam sibi formam; demum die certa, ad audiendum jus seu diffinitivam sentenciam in hac causa, peremptorie assignata, comparentibus coram dicto senescallo sufficienter partibus antedictis, memoratus senescallus, quia, per processum sibi constabat legittime, ut dicebat, predictos Guillelmum, castellanum, et Ernaldum, bajulum seu prepositum, premissa, contra ipsos proposita, fecisse et temerarie attemptasse, et ea contra eosdem probata fuisse sufficienter et esse, per suam diffinitivam sentenciam, predictos castellanum et bajulum, pro emenda et satisfacione excessuum predictorum, in quingentis libris parvorum Turonensium applicandis dicti domini Regis errario, condempnavit, necnon ad reddendum et reponendum, supra domum et in domo dicti Bernardi, in loco de la Canan predicto, dictum vexillum regium et trassas ligneas equivalentes predictas, cum insuper sibi constaret, ut dicebat, quod, tempore dicte appellacionis emisse, nulle furche existebant erecte in territoriis de la Canan et de Andegia supradictis, seu in aliqua parte eorum, pronunciavit et declaravit furchas aliquas non debere existere vel teneri erectas in dictis territoriis seu in aliqua parte ipsorum, pendente appellacione predicta, et quod, si que tunc erecte existebant, deponerentur et destruerentur, et ad hoc ipsum Bernardum dictis castellano et bajulo condempnavit, salvo jure et retento, super premissis, in proprietate et possessione, utrique parcium predictarum; dictos castellanum et bajulum insuper in gagio

bajuli condempnando; a qua quidem sentencia, ex parte dicti Bernardi et similiter, ex parte dictorum castellani et bajuli, in quantum faciebat et lata erat contra eos, tamquam ab iniqua et inique lata, ad dictum dominum genitorem nostrum appellatum extitit illico, voce viva, quam appellacionis causam dictus genitor noster magistro Yvoni de Laudunaco et deinde, ipso magistro legittime impedito, majori judici Petragoricensi, subrogando eum loco dicti magistri, commisit, vocatis evocandis, audiendam et fine debito terminandam; quam eciam causam idem major judex, ex certa causa, subdelegavit seu commisit magistro Yterio Rousselli, jurisperito, secundum traditam sibi formam predictam; lebello igitur, ex parte dictorum castellani et bajuli appellancium, contra dictos procuratorem et Bernardum, edito in hac causa, liteque, ex parte eorumdem appellancium et procuratoris predicti, legittime contestata, et contra dictum Bernardum ad hoc legittime vocatum, non venientem nec pro se mittentem, sed, per contumaciam, absentem, et contumacem legittime reputatum et in ipsius contumaciam, habita pro contestata, pluribus racionibus juris et facti hinc inde propositis, exhibitis processu et inquesta predictis, renunciato ac in causa concluso a castellano, bajulo et procuratore predictis, memorato Bernardo ad hoc legittime vocato et expectato ac per contumaciam absente, ejusque exigentibus contumaciis, contumace reputato, tandem predictus Yterius subdelegatus, nolens terminare seu diffinire causam appellacionis hujusmodi et ex causa, ipsam causam, dictas partes totumque processum, de consensu dictarum parcium comparencium, ad carissimum germanum nostrum Ludovicum, Dei gracia, quondam Francorum et Navarre regem, seu ejus curiam Francie remisit judicandam et fine debito terminandam; quem processum, partibus presentibus et auditis, curia dicti germani recepit: Visis igitur actis et processibus dicte cause, auditis omnibus que partes ipse voluerunt proponere, in causa hujusmodi, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum bene judicasse et predictos appellantes male appellasse, et quod dictum judicatum demandabitur execucioni.

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

Decima octava die octobris.

Reportatum per Gervasium, in majori camera.

LXXVIII. Cum, in appellacionis causa, in curia nostra pendente, inter Almaricum Jodoini, appellantem, ex una parte, et Johannem Jodoini, ejus filium, appellatum, ex altera, quam causam, per magistros Camere nostre placitorum, Parisius, quamquam non sit parlamentum, audiri precepimus et decidi, a predictis partibus, de consensu nostre curie, fuerit concordatum quod curia nostra, vocatis partibus, faciet veritatem inquiri de quadam consuetudine quam idem Johannes, in suis articulis, proponit, cum omnes alios articulos dicti Johannis, idem Almarricus confessus fuerit veros esse, et visa inquesta, super dicta consuetudine facienda, curia nostra dictis partibus justiciam exhibebit, cause eorum principali finem debitum imponendo; que causa principalis est super eo quod dictus Johannes petit medietatem omnium conquestuum per dictum Almarricum factorum, dicto Johanne, post obitum matris sue, cum ipso morante, cujus consuetudinis articulus talis est, videlicet quod de consuetudine notoria et approbata, in vicecomitatu Parisiensi, extra banleucam Parisiensem, et specialiter in castellania de Castro-Forti et de Goumez, quocienscumque contingit quod filius, post obitum matris sue, remanet et moratur cum patre suo, per annum et diem, nulla bonorum ipsorum patris et filii facta divisione, omnes conquestus quos facit idem pater, durante communione et societate predicta, communes sunt inter dictos patrem et filium et dictorum conquestuum medietas pertinet ad patrem et alia medietas ad filium, per consuetudinem antedictam; curia nostra, super articulo dicte consuetudinis, obmissa appellacione predicta, et sine emenda, fecit inquiri, vocatis partibus veritatem : Facta igitur, super hoc, inquesta, dictis partibus vocatis, et, per curiam nostram, visa et diligenter examinata, cum, per eam, inventum fuerit dictam consuetudinem ad plenum esse probatam, visoque accordo predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Johannem sufficienter probasse intencionem suam, et ad-

judicavit eidem curia nostra medietatem omnium conquestuum, per dictum Almarricum factorum, quamdiu dictus Johannes, post obitum matris sue, moram fecit cum Almarrico, patre suo predicto. PHILIPPE V, 1317.

Decima octava die octobris.

LXXIX. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Johannem Britonem, tabernarium, civem Parisiensem, tam nomine suo quam nomine Ysabellis, uxoris sue, et Johannem dictum Este, fratrem dicte Ysabellis, civem Parisiensem, ex una parte, et Thomam de Noisiaco, maritum quondam defuncte Agnetis, sororis dictorum Ysabellis et Johannis dicti Este, ex altera, super eo quod dicti Johannes Brito, nomine quo supra, et dictus Johannes Este petebant quod dictus Thomas cessaret ab impedimento quod ipse eis ponebat, in bonis que fuerunt dicte Agnetis, cum dicta bona ad eosdem liberos pertinerent, ea racione quod defunctus Johannes dictus Este, pater predictorum liberorum, tempore quo ipse vivebat, dedit omnia bona sua liberis suis, retento sibi usufructu, ad vitam, tali eciam condicione apposita quod si aliquis sive aliqua predictorum liberorum, sine herede proprii corporis decederet, porcio decedentis aliis liberis acresceret, dicentes insuper quod magister Johannes de Magno-Ponte, quondam decanus Parisiensis, avunculus predictorum liberorum, predictis liberis, nepotibus suis, dedit, in suo testamento, certa bona immobilia, prout in dicto testamento, sigillo officialis Parisiensis sigillato, plenius continetur, predicta condicione apposita quod si aliquis sive aliqua predictorum liberorum, nepotum suorum decederet sine herede proprii corporis, porcio decedentis aliis liberis acresceret, et quod predictorum bonorum dicti liberi, quilibet suam porcionem divisam, diu tenuerant, et quod dicta Agnes, uxor quondam dicti Thome, sororque predictorum Ysabellis et Johannis, sine liberis proprii corporis, decesserat, quare petebant dictus Johannes Brito, nomine quo supra, et dictus Johannes Este, quod dictus Thomas cessaret ab impedimento quod ipse eis, in bonis predictis, que fuerunt dicte Agnetis, apponebat injuste, cum dicta bona, ad eos,

PHILIPPE V. 1317.

ut dicebant, pertinerent; dicto Thoma, ex adverso proponente quod ipse medietatem in dictis bonis, que fuerunt dicte Agnetis, quondam uxoris sue, habebat, cum dicta bona conquestus debeant reputari, et consuetudo sit, in villa et in vicecomitatu Parisiensibus, quod maritus debet habere medietatem omnium conquestuum factorum, constante matrimonio, inter ipsum et uxorem suam, quare petebat dictus Thomas dimidiam dictorum bonorum partem sibi adjudicari debere; tandem, concluso a dictis partibus, in causa predicta, coram preposito predicto, predicte partes consenserunt quod dictus processus, factus coram eodem preposito, per curiam nostram videretur ac eciam judicaretur, qui consensus dictarum parcium, per curiam nostram fuit admissus: Auditis igitur, super hoc, in curia nostra, dictis partibus, et viso diligenter processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit quod predicta bona que habebat dictus Thomas, que fuerunt quondam dicte Agnetis, uxoris sue, et que sibi obvenerant, tam a parte ipsius Agnetis quam ab avunculo suo, ad dictum Johannem, tam nomine suo quam Ysabellis, uxoris sue, et ad dictum Johannem Este pertinebant, et quod dictus Thomas nichil, in predictis bonis, poterit reclamare; quodque idem Thomas cessabit ab impedimento quod ipse in bonis apponebat predictis.

Sabbato post festum Omnium-Sanctorum.

LXXX. Cum, in appellacionis causa, quam ad parlamentum, Parisius, a ballivo comitis Valesie interposuit Petrus Chambaudour, a juris defectu, presentibus dictis partibus, in nostra curia, proponeret idem Petrus, contra dictum ballivum, quod, cum idem ballivus execucionem cujusdam sentencie, super certa quantitate florenorum, ad instanciam Raginaldi dicti Decani, contra dictum Petrum, ut dicebatur, late, per inquisitores, per dictum comitem, in comitatu Vallesie deputatos, vellet facere, contra dictum Petrum, proposuit dictus Petrus, coram dicto ballivo, plures raciones, per quas, ut ipse dicebat, contra ipsum, execucio hujusmodi fieri non deberet, super quibus sibi fieri petebat jus dictus Petrus, quod jus idem ballivus sibi facere dene-

gavit, et Petrum eumdem admittere ad easdem, ut dictus Petrus dicebat, propter quod appellavit dictus Petrus ad dictum parlamentum, a dicto ballivo, a juris defectu, petens, per nostram pronunciari curiam dictam appellacionem suam fore legittimam, et dictum ballivum jus, super hoc, denegasse eidem, et, ob hoc, cause cognicionem hujusmodi penes nostram curiam debere remanere, et dictum ballivum, ex hoc, tale dampnum incurrere quale nostra curia videret et consuetudo patrie suaderet, dicti comitis procuratore et dicto ballivo e contrario, pluribus racionibus proponentibus ex adverso, quod, cum idem ballivus, ut merus executor, dictam execucionem faciens, jus eidem Petro, super eis que ipse proponebat, facere non poterat, nec eumdem Petrum, super hoc, admittere, petentibusque, per nostram curiam, pronunciari per dictum ballivum non fuisse, super hoc, in aliquo juris defectu, et dictum Petrum non appellantem reputari, vel, si sit appellans, ipsum male et sine causa legittima appellasse : Tandem auditis, in nostra curia, dictis partibus, super hoc, et visa diligenter inquesta, de mandato curie nostre, facta super hoc, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit non fuisse per dictam inquestam repertum quod dictus ballivus, super hoc, aliquid egerit per quod ipse fuerit in juris defectu, dictumque Petrum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Sabbato post festum Omnium-Sanctorum.

Per M. Y. Prepositi reportatum.

PHILIPPE V. 1317.

LXXXI. Cum Herveus juvenis et Maria, ejus soror, de Pontisara, dicerent et proponerent, coram preposito Parisiensi, contra Robertum Evrost, civem Parisiensem, quod defuncta Maria la Bovetine, tempore quo ipsa decessit, habebat et possidebat plura bona mobilia et conquestus ac plura bona immobilia que eidem provenerant, ex successione defuncti Bertaudi Acelini et Euffemie, ejus uxoris, parentum quondam suorum, et quod, post obitum dicte defuncte Marie, medietas dictorum bonorum mobilium et conquestuum ac omnes hereditates seu bona immobilia que eidem Marie provenerant, ex parte dicti

PHILIPPE V, 1317.

patris sui, ad ipsos Herveum et Mariam, tamquam cognatos germanos dicte defuncte et proximiores ejus heredes, devenerant, ac de dictis bonis fuerant ipsi Herveus et Maria, per obitum dicte Marie, saisiti, per generalem consuetudinem Francie et prepositure Parisiensis, per quam dicitur quod mortuus saisit vivum, dictusque Robertus premissa sciens, requisiverat vel requiri fecerat ipsos Herveum et Mariam quod sibi venderent jus successionis predicte, ac quod finaliter tractatum et accordatum extiterat, inter ipsos, quod dicti Herveus et Maria cederent et transferrent in dictum Robertum omne jus et omnem actionem quod et quam ipsi habebant et habere poterant in successione predicta, pro certo precio sibi a dicto Roberto promisso, videlicet pro viginti vel quadraginta libris Parisiensibus vel circa, de quibus dicti Herveus et Maria viginti libras habuerant a dicto Roberto. Item quod dicta bona, tempore predicto, valebant et adhuc valent, estimacione communi, quingentas libras Parisienses vel circa, et sic, cum appareret evidenter, predictos Herveum et Mariam, ut ipsi dicebant, enormiter lesos et deceptos fuisse et esse, in contractu predicto, eciam ultra medietatem justi precii, pluribus racionibus, peterent Herveus et Maria predicti contractum hujusmodi rescindi et anullari, vel emptorem predictum, qui dicta bona, racione dicti contractus, tenebat, compelli ad supplendum quod deficiebat de justo precio predicto, offerendo, in casu in quo ipse dictas res dimitteret, se paratos reddere dicto emptori dictas viginti libras ab eis, receptas, memorato Roberto ad hoc se opponente et proponente, contra dictos Herveum et Mariam, plures raciones ad finem quod ipsi admitti non deberent ad predicta per ipsos petita et quod ipse debebat absolvi ab impeticione ipsorum predicta; lite igitur, coram dicto preposito, super hoc, legittime contestata, pluribusque racionibus, super hoc, a dictis partibus, tam juris quam facti, propositis, testibusque, hinc inde, super hoc, productis, et pluribus instrumentis et litteris hinc inde exhibitis et in dicta causa concluso, tandem dictus prepositus, visis actis et processibus dicte cause, predictum Robertum ab impeticione predicta dictorum Hervei et Marie sentencialiter

absolvit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ex parte dictorum Hervei et Marie, ad nostram curiam extitit appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis hujusmodi, et visis processibus dicte principalis cause ac judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictos Herveum et Mariam bene appellasse, et, per idem judicium, contractus dicte vendicionis, sub forma que sequitur, rescisus fuit et anullatus, videlicet quod prefati Herveus et Maria totam hereditatem predictam a dicto Roberto recuperabunt et reddent eidem Roberto viginti libras predictas, ab eis, ut supra dictum est, de dicte vendicionis precio receptas, vel quod dictus Robertus, si maluerit dictam hereditatem retinere, supplebit et tradet dictis Herveo et Marie, illud quod deest de justo dicte vendicionis precio, videlicet quingentas libras Parisienses, deductis tamen ex eis, in hoc eventu, viginti libris predictis, et ad hoc extitit memoratus Robertus predictis Herveo et Marie, per idem judicium, condempnatus, et, quia verisimiliter apparere videbatur quod fraus et dolus intervenerunt in predictis, curia nostra, per idem judicium, sibi retinuit fraudem et dolum hujusmodi prima racione punire. PHILIPPE V. 1317.

Sabbato post Omnes-Sanctos.

M. Gervasius de Ponte-Arci reportavit.

LXXXII. Cum, ad instanciam certorum mercatorum, videlicet Arnaldi de Sapynera et Petri Boyssoni, pro se et quibusdam aliis mercatoribus de Monte-Pessulano, de Narbona et de quibusdam aliis locis circumvicinis, racione quarumdam roberiarum et depredacionum olim predictis mercatoribus, per quosdam depredatores, piratas et alios de districtu et juridicione Januensis communie existentes, factarum, per curiam karissimi domini et genitoris nostri, contra commune Januense, propter defectum eorum faciendi emendari, predicta marcha fuisset concessa, et postea, per karissimum germanum nostrum Ludovicum, quondam Francorum et Navarre regem, predictis Januensibus concessum fuisset, de gracia speciali, quod ipsi,

Philippe V, 1317.

contra dicte marche concessionem, cum ipsi, in dicta concessione dicerent errorem intervenisse, audirentur super errore predicto, dicte marche execucione posita interim in suspenso, prout in litteris, super dicta gracia confectis, plenius continetur, et, ob hoc, dicte marche, ad instanciam dictorum mercatorum, concesse, de mandato regio, donec in ipsius curia, dictum negocium discussum foret et terminatum, execucio suspensa fuisset, dictique mercatores, per senescallum Belli-Cadri, adjornati fuerint, ad certam diem, in nostra curia, audituri et defensuri, si sua crederent interesse, quicquid dicti Januenses vellent proponere, contra concessionem marche predicte; partibus igitur, super hoc, in nostra curia, constitutis, pars dictorum Januensium, ad faciendum fidem de errore predicto, plures proposuit raciones, et, super eis, tradidit nostre curie quedam scripta, parte adversa plures raciones in contrarium proponente et litteras per quas dicta marcha concessa fuerat, super hoc, exhibente, et, cum hoc, utraque pars curie nostre tradidit plures litteras, instrumenta et processus, super hoc, factos et habitos inter ipsas: Tandem auditis hinc inde propositis et visis et diligenter examinatis dictis racionibus, processibus et litteris concessionis marche predicte, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos Januenses non docuisse nec fidem fecisse quod error intervenerit in concessione marche predicte, dictamque marcham juste fuisse concessam et debere tenere et execucioni mandari, et quod dicte marche suspensionem, virtute dicte gracie, factam, nostra curia revocavit.

Sabbato post festum Omnium-Sanctorum.

Similis littera fiat pro Poncio de Sueiolis, mercatore de Monte-Pessulano.

Item similis fiat littera pro Petro Martini, mercatore de Monte-Pessulano.

LXXXIII. Cum ballivus Meldensis et procurator abbatis et conventus Sancti-Pharonis Meldensis conquererentur dicentes quod, ad instanciam Johannis de Guynes, militis, vicecomitis Meldensis, prepo-

situs Parisiensis, per commissarios, ab eo deputatos, prisionem Meldensem fregi fecerat, et inde extrahi et sibi adduci Johannem de Solario, prisionarium ibidem, ad instanciam dictorum religiosorum, detentum, requirentes predictam prisionem de eodem prisionario resaisiri; ad que dictus prepositus respondit quod, virtute commissionis nostre, ipse, vocatis partibus, in ea, secundum ejus tenorem, procedens, predictum ballivum seu ejus locum tenentem et prepositum Meldenses inobedientes esse mandatis nostris inveniens, juste et licite de dicta prisione extrahi fecerat et sibi adduci Johannem predictum, dicte commissionis nostre tenorem servando, quare dicebat non debere fieri dictam resaisinam, et requirebat inobediencias predictas puniri, necnon injurias et violencias servienti nostro, ad hoc, per eum destinato, illatas, dictasque partes, super earum principali questione, ad se remitti, virtute commissionis predicte : Tandem, auditis hinc inde propositis, visisque dicta commissione et processibus, quorum virtute, dictus prepositus in predictis processit, ac racionibus parcium predictarum in scriptis traditis, per arrestum nostre curie, dictum fuit predictum prepositum in hujusmodi bene processisse, et tenebit factum suum predictum, et revertentur ad eum dicte partes, virtute dicte commissionis, super earum principali questione, de qua fit mencio in commissione predicta; super inobedienciis vero, violenciis et injuriis predictis, curia nostra faciet veritatem inquiri, et inquesta que fiet, super hoc, ad nostram curiam reportabitur judicanda.

Sabbato post festum Omnium-Sanctorum.

Redditus fuit processus preposito Parisiensi [1].

LXXXIV. Cum Guillelmus d'Espaignolas, mercator de Galliaco, pro se et Guillelmo Michaeli, socio suo, una cum procuratore nostro, contra Johannem Dorbet et Johannem Ludovici, mercatores de Rothomago, proponens quod, cum ipsi Guillelmus et Guillelmus vendidissent et tradidissent eisdem mercatoribus de Rothomago

[1] On lit en marge : *Vacat hic quia scriptum est in rotulo hujus parlamenti.*

PHILIPPE V, 1317.

plura dolia vini, pro certa peccunie summa, ipsi emptores dictam pecunie summam se soluturos dictis venditoribus, certis loco et termino, promiserunt, sub pena centum solidorum Turonensium, pro qualibet die qua ipsi, post dictum conventum terminum, deficerent in solucione peccunie supradicte, committenda et solvenda, medietate videlicet judici facienti execucionem solutionis debiti predicti et alia medietate venditoribus antedictis, et, cum hoc, promiserunt insuper emptores predicti se venditoribus eisdem reddere omnia dampna et interesse que ipsi venditores sustinuerunt, per defectum solucionis dicte peccunie ad terminum supradictum, quodque dicti debitores pluribus diebus post dictum conventum terminum cessaverunt in solucione debiti supradicti, licet tandem postea illud solverint per compulsionem nostram, ex cujus solucionis retardacione dicebat idem Guillelmus se et dictum socium dampnificatos fuisse usque ad summam quadringentarum librarum Turonensium et ultra, et sua tanti interesse dictam peccunie summam, ad predictum terminum, non fuisse solutam, quare petebat idem Guillelmus, pro se et dicto socio suo, predictos emptores sibi condempnari et compelli ad reddendum dictas quadringentas libras, pro suis dampnis et interesse predictis, et, cum hoc medietatem dicte pene, pro die qualibet qua ipsi, in solucione dicti debiti, post dictum conventum terminum, defecerunt, cujus pene summam ipse ad sexcentas libras Turonenses estimabat, dictusque procurator noster aliam medietatem dicte pene petebat pro nobis qui fieri fecimus compulsionem solucionis predicte, convenciones in contractu predicto inter dictas partes habitas et plures raciones alias allegando, dictique contractus litteras et quasdam alias, pro sua intencione, curie nostre, super hoc, exhibendo, parte adversa plures raciones e contrario proponente ad illum finem quod curia nostra recipere non deberet peticiones predictas, et quod dicti mercatores de Sailiaco [1] sibi redderent litteras super dicto contractu confectas : Cum autem dilectis et fidelibus nostris magistris camere placitorum, Parisius, mandassemus, ut ipsi, quamquam non sit par-

[1] Lisez *Galliaco*.

lamentum, super hujusmodi dictarum parcium questione, vocatis et auditis eisdem partibus, exhiberent eisdem justicie complementum, magistri predicti, vocatis et auditis dictis partibus, et visis litteris per eas exhibitis, per arrestum curie nostre, pronunciaverunt quod ipsa curia nostra peticionem predictam, quamtum ad dicta dampna et interesse, recipiebat, que dampna et interesse dicti petentes declarabunt et curia nostra, super eis declaratis, exhibebit ipsis partibus celeris justicie complementum; quamtum vero ad dictam penam, una cum dictis interesse et dampnis, ut premissum est, petitam, curia nostra reservavit ordinare, si ipsa, secundum ea que premissa sunt, recipiet dicte pene peticionem. PHILIPPE V, 1317.

Sabbato post festum Omnium-Sanctorum [1].

LXXXV. Cum, coram dilectis et fidelibus magistris, Philippo de Mornayo, archidiacono Ripparie, in ecclesia Suessionensi, Hugone de Bisoncio, cantore Parisiensi, Johanne de Ceres, thesaurario Lexoviensi, clericis, ac Guillelmo Courteheuse, milite, nostris commissariis seu judicibus, in hac parte deputatis a nobis, cum illa clausula, vobis quatuor, tribus, aut duobus ex vobis, etc. Baldus Fini et Scalatinus, ejus frater, actores, pro se et Renerio, eorum fratre et socio, et quolibet ipsorum, quamtum ipsorum quemlibet tangebat, super certis peccunie summis, Matheum de Machiis, reum, pro ipso et ejus sociis, traxissent in causam, peticioneque edita, coram ipsis commissariis vel aliquibus ex eisdem, pluribus racionibus seu excepcionibus declinatoriis, ad finem declinandi cognicionem eorum, ex parte dicti rei, suo et quo supra nomine, contra dictos actores, et dictam peticionem eorum, propositis, ac replicacionibus et duplicacionibus subsecutis hinc inde, litteris seu instrumentis, commissione nostra, et duabus litteris contrariis, ut videbatur, post dictam commissionem, a predictis partibus impetratis, exhibitis coram eis, predicti commissarii seu tres ex eis, auditis hinc inde propositis, et visis instrumentis, commissione et litteris omnibus supradictis interloquendo

[1] On lit en marge : *Vacat hic quia scriptum est in rotulo hujus parlamenti.*

PHILIPPE V, 1317.

pronunciassent, per suum judicium, non obstantibus predictis excepcionibus declinatoriis et litteris, ad finem declinandi, traditis, fore procedendum ulterius coram eis, a dictis partibus, in causa predicta, prefatus vero reus, suo et quo supra nomine, a predicto judicato, tamquam falso et pravo, ad nostram curiam appellavit; quam appellacionis causam mandavimus, et ex causa, per dilectos et fideles nostros magistros camere placitorum, Parisius, audiri et expediri, non obstante quod parlamentum Parisius tunc non esset: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis dicte cause processu, commissione, litteris et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos commissarios seu judices bene judicasse et dictum Matheum, quo supra nomine, male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, dictamque causam principalem ac partes predictas, ad examen dictorum priorum judicum, eadem curia nostra remisit.

Sabbato post yemalem festum beati Martini.

M. Gervasius reportavit.

LXXXVI. Similis in omnibus fiat littera, pro dictis actoribus, contra Jacobum Chartaudi, pro se et Totegui, socio suo.

Ad hoc fuerunt presentes abbas Sancti-Germani, — Dominus H. de Cella, prepositus Suessionensis, — M. Raynaldo[1] Dy, decano[2] de Cassello, — Beraudus, — P. Droconis, — P. de Bitturis, — Gervasius, qui reportavit.

Processus sunt insimul.

LXXXVII. Processus inter Petrum Natalem, ex una parte, et Bernardum de la Devese, ex altera, judicatus, et est judicatum, super hoc factum, in rotulo hujus parlamenti.

LXXXVIII. Inquesta facta super expensis coronacionum regis Lu-

[1] Lisez *Raynaldus*.

[2] Lisez *decanus*.

dovici et regis Philippi, qui modo est, que non fuit judicata, pro eo quia per arresta et litteras parcium dictum negocium fuit expeditum. PHILIPPE V. 1317.

LXXXIX. Item, inquesta contra dominum de Lineriis et ejus gentes facta, super pluribus excessibus gentibus regis et gentibus abbatis et conventus de Sacra-Cella factis, que fuit judicata, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XC. Item, processus inter episcopum Briocensem, ex una parte, et Robertum Britonis, militem, et ejus filium, ex altera, anullatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCI. Item, inquesta contra J. de Gallandia et Johannem Douche, milites, judicata, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCII. Item, contra Petrum Maroliau, pro Hardoino de Mairoles, judicatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIII. Item, inquesta, super essonia domini de Bella-Villa, expedita, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCIV. Item, processus Castelleti, in causa appellacionis, inter Bertrandum de Balastre, et Adam de Malo-Respectu, et ejus uxorem, qui non fuit judicatus, quia partes habuerunt licenciam pacificandi sine emenda, et pacificaverunt.

XCV. Item, processus Castelleti, inter Petrum Renerii de Sancto-Porciano, et Egidium de Laigni, qui non fuit judicatus, quia partes habuerunt licenciam pacificandi sine emenda, et pacificaverunt.

XCVI. Item, processus inter Girardum de Praellis, et Johannem de Senilli, prepositum Laudunensem, qui non fuit judicatus, quia partes pacificaverunt.

PHILIPPE V, 1317.

XCVII. Item, processus, per inquisitores senescallie Petragoricensis, factus inter Floriam de Foilleyo, et Lambertum Porte ejus maritum, anullatus, prout continetur in rotulo hujus parlamenti.

XCVIII. Item, processus super facto ecclesie de Veranicis, Magalonensis dyocesis, senescallie Belli-Cadri, anullatus.

XCIX. Item, processus inter abbatem Ysiodorensem, ex una parte, et Robertum Tondiere, ex altera, in auditorio juris scripti judicatus, prout continetur in rotulo dicti auditorii hujus parlamenti.

C. Item, processus inter Dalmacium de Marziaco, militem, ex una parte, et Seguinam de Gallardo, domicellam, ex altera, in auditorio juris scripti judicatus, prout continetur in rotulo dicti auditorii hujus parlamenti.

INQUESTE ET PROCESSUS

PER CURIAM JUDICATI IN PARLAMENTO QUOD INCEPIT IN CRASTINO FESTI BEATI ANDREE APOSTOLI.

ANNO DOMINI MCCCXVII.

I. Ex parte Johannis Franchi, firmarii seu arendatoris salini nostri Carcassonensis, et procuratoris in senescallia Carcassonensi et Bitterrensi, inclite recordacionis karissimi germani nostri, Ludovici, Dei gracia quondam Francorum et Navarre regis, eidem germano, antecessori nostro, ac senescallo et vicario Carcassonensibus, judicibus et conservatoribus jurium, franchisiarum, libertatum et observanciarum salini predicti, legittime deputatis, delatum extitit, fama publica eciam laborante, quod, cum dudum anno Domini millesimo trecentesimo decimo, firma dicti salini, sub certis pactis et condicionibus, ad quin-

que tunc futuros et immediate secuturos annos, tradita et deliberata fuisset, per gentes recordacionis inclite karissimi domini genitoris nostri, Philippi quondam Francorum regis, Johanni Deodati de Monte-Regali, nunc defuncto, tamquam plus offerenti, sub certis pactis, modis et convencionibus, alias, in hujusmodi interponi consuetis, et specialiter quod ipse Johannes promiserat se dictum salinum et terras ac loca populares qui subsunt dicti salini districtui, permittere et reddere sale omnino evacuatas in fine sue firme, nichilominus Johannes Deodati junior, filius et heres dicti Johannis, eodem Johanne, patre suo, defuncto, curam omnimodam, post dicti patri sui obitum, suscipiens et habens in salino predicto et ipsum regens, tam per se quam per gentes suas inibi constitutas, a die obitus dicti patris sui usque ad finem firme salini predicti, sub convencionibus consuetis et cum patre suo habitis, non advertens pacta et convenciones predictas, plures et illicitas ac maximas salis quantitates, in fine dicte firme, vel prope ejus finem, vendiderat et vendi fecerat, per gentes suas, in salino predicto, ad ejus opus constitutas, multo minori precio quam valebant et quam communiter alibi vendebantur, sic quod totam terram districtus ipsius salini dictus Johannes junior populaverat et illicite repleverat, per se et gentes suas, aliasque plures fraudes et dampna ac excessus illicitos in hujusmodi commiserat, in non modicum prejudicium et dampnum juris antecessoris nostri predicti ac dicti salini predictique Johannis Franchi, moderni seu novi firmarii ejusdem salini, unde, cum tot et tantos enormes ac intolerabiles excessus, tantaque facinora, conniventibus oculis, pertransire nequaquam, sine pena, deberent, sed pocius debite corrigi et puniri, ita quod, futuris firmariis et aliis transgressoribus libertatum salini hujusmodi, transiret in exemplum, memoratus germanus noster, volens scire et videre si clamorem qui ad eum pervenerat dictus Johannes junior opere complevisset, per suas mandavit litteras senescallo ac vicario Carcassonensibus predictis vel eorum loca tenentibus, ut ipsi, super premissis, vocatis procuratore nostro, dicto Johanne Deodati ac novo firmario predictis, diligenter inquirerent veritatem, et inquestam

PHILIPPE V. 1317.

PHILIPPE V, 1317.

quam, super hoc, facerent, completam, eidem seu gentibus suis, Parisius, sub sigillis suis, ad certum terminum, interclusam remitterent, prout suaderet justicia judicandam, dictumque Johannem juniorem, jam, propter hoc, carceri mancipatum, mitterent Parisius, recepta ab eo caucione ydonea de comparendo, Parisius, dicto termino, coram dictis gentibus nostris, et de stando juri super dicta inquesta, sub caucione predicta; lite igitur, super premissis et nonnullis aliis propositis coram dictis inquisitoribus, a procuratore et Johanne novo firmario predictis, contra dictum Johannem juniorem, ex una parte, ac Johanne juniore predicto, cum auctoritate curatoris sui ad litem, ex causa, sibi dati, ex parte altera, legittime contestata, jurato in dicta causa, pluribus articulis, tam super premissis et dependentibus ex eis, quam super quibusdam propositis, ex parte dicti Johannis junioris, cum auctoritate predicta, ad sui defensionem, contra dictos procuratorem et Johannem, novum firmarium, hinc inde factis et traditis, certisque responsionibus ad eos subsequtis, certisque litteris, instrumentis et scripturis, hinc inde, super hoc, exhibitis, testibus insuper hinc inde productis, juratis, examinatis, eorumque deposicionibus in scriptis redactis et publicatis, ac in dicta causa concluso, tandem inquisitores predicti, partes predictas et inquestam predictam et totum processum factum et habitum, coram ipsis, clausos sub sigillis suis, gentibus Compotorum nostrorum, Parisius, remiserunt, juxta formam sibi traditam ab antecessore nostro predicto, et eciam a nobis dum Francorum et Navarre regna regentes eramus; que inquesta postea fuit ad Cameram parlamenti, Parisius, ad judicandum, remissa : Visis igitur actis et processu ac inquesta predictis, curie nostre, ad videndum et judicandum, traditis, auditis hiis que partes ipse voluerunt proponere in causa hujusmodi, per curie nostre judicium, dictum fuit sufficienter probatum esse, contra dictum Johannem juniorem, quod, in fine firme sue predicte, post patris ejus obitum, ipse, per se et ejus allocatos, predictam terram districtus salini nostri predicti populaverat et repleverat, populatamque et repletam sale dimiserat, in fraudem, dampnum et grande prejudicium nostri ac dicti sa-

lini, predictique Johannis, moderni firmarii, pluresque excessus fecerat et commiserat, contra libertates et observancias dicti nostri salini, pactaque et convenciones predictas, propter que idem Johannes junior, ad solvendum et reddendum nobis, nomine emende, quatuor millia librarum Turonensium, per idem judicium, extitit condempnatus, de dampnis autem et interesse Johannis, moderni firmarii supradicti, que ipse, occasione premissorum, sustinuit et incurrit in firma predicta, propter factum dicti Johannis Deodati et ejus allocatorum, de quibus dampnis, per inquestam predictam, curie nostre non potuit constare, dictum fuit quod, super dictorum dampnorum quantitate, per certum commissarium, quem ad hoc nostra curia duxerit deputandum, de plano, vocatis partibus, veritas inquiretur in loco predicto, et compelletur sepedictus Johannes junior, ad reddendum predicto Johanni, moderno firmario, dampna que ipsum firmarium constiterit, in firma hujusmodi, propter factum dicti Johannis Deodati et ejus allocatorum, incurrisse.

PHILIPPE V, 1317.

Martis ante Nativitatem Domini.

M. Gervasius de Pontearsi reportavit.

II. Lite mota, in curia nostra, inter procuratorem abbatis et conventus Sancti-Dyonisii in Francia, ex una parte, et ballivum karissimi et fidelis patrui nostri Ludovici, comitis Ebroicensis ac domini de Estampis, ex parte altera, super eo quod procurator dictorum religiosorum proponebat, nomine eorumdem, quod ipsi religiosi erant et fuerant in saisina justicie magne et parve domus dictorum religiosorum de Stampis soli et insolidum et pertinenciarum ejusdem; item quod ipsi religiosi erant et fuerant in saisina justiciandi et explectandi, in omnibus casibus magne justicie et parve, in loco predicto, quando casus evenerunt, et ad eorum noticiam devenerunt; item quod, in dicta saisina, fuerant, per unum annum, per duos annos, per quinque annos, per decem annos et plus, ante tempus debati super hoc moti, et per tantum tempus quod sufficiebat ad bonam acquirendam saisinam; item proponebat procurator predictus quod gentes dicti patrui

PHILIPPE V, 1317.

nostri ceperunt seu capi fecerunt, in dicta domo, quatuor homines, pro suspicione furti quorumdam equorum, turbando et impediendo dictos religiosos in eorum saisina predicta; insuper proponebat dictus procurator quod religiosi predicti erant in saisina predicta, eo tempore quo turbacio et impedimentum predicta ibidem apposita fuerunt injuriose et de novo, per gentes comitis supradicti; plura eciam alia proponebat dictus procurator, ad dictorum religiosorum confortandum saisinam predictam, quare petebat dictus procurator, quo supra nomine, quod pronunciaretur et declararetur et per jus, quod dicti abbas et conventus essent et remanere deberent soli et insolidum in saisina magne justicie et parve dicte domus de Estampis, et quod dicti religiosi restituerentur et resaisirentur de quatuor hominibus supradictis captis, pro suspicione dicti furti, in loco predicto, per gentes nostri patrui supradicti; petebat eciam procurator predictus impedimentum, per gentes dicti comitis, injuriose et de novo in predictis appositum, ut dicebat, amoveri, ballivo predicto, nomine quo supra, e contrario proponente et dicente quod dictus comes, dominus de Stampis, per se et gentem suam, est et fuit et predecessores sui fuerunt, racione castelli et castellanie de Estampis, in bona saisina, per annum et diem et per tantum tempus quod sufficit ad acquirendum justiciandi saisinam et exercendi justiciam sanguinis et latronis et aliorum similium casuum et omnia alia expleta alte justicie in villa de Estampis et pertinenciis ejusdem, et per totam castellaniam de Estampis, quocienscunque casus se obtulerat, et ad eorum noticiam devenerat; item dicebat dictus ballivus quod dictus comes erat in bona saisina justiciandi, in dicta domo contenciosa, in casibus supradictis, et quod plures casus se obtulerunt furti, et quod plures ibidem fuerant capti, et ad execucionem positi, per gentes comitis supradicti, dictis religiosis videntibus, et omnibus aliis volentibus hoc videre; plura eciam alia proponebat dictus ballivus, nomine supradicto, quare petebat dictus ballivus dictum comitem a dictorum religiosorum peticione, super hoc, absolvi, et quod teneatur in sua saisina justiciandi et habendi justiciam

in loco contencioso predicto, de quo visio fuit facta, in casibus sanguinis et latronis et omnium similium casuum aliorum et omnimode alte justicie, et quod inde amoveretur manus nostra apposita in justicia dicte domus, ad dictorum religiosorum requestam; super quibus omnibus inquiri mandavimus, cum diligencia, veritatem : Inquesta igitur, super hoc, facta et curie nostre, ad judicandum, partibus vocatis, tradita, visa et diligenter examinata, quia per eam repertum est dictum comitem, dominum de Estampis, super predictis, melius suam intencionem probasse quam religiosos predictos, per nostre curie judicium, dictus comes, dominus de Estampis, a peticione predicta dictorum religiosorum extitit absolutus, et, per idem judicium, dictum fuit quod dictus comes, dominus de Estampis, tenebitur in sua saisina alte justicie dicte domus, et quod inde amovebitur manus nostra, salva, super hoc, dictis religiosis, questione proprietatis. PHILIPPE V, 1317.

Martis ante Nativitatem Domini.

M. R. de Sancto-Benedicto reportavit.

III. Mota controversia, coram ballivo episcopi Parisiensis, inter Symonem de Lay et Petronillam, ejus uxorem, ex una parte, et Stephanum dictum Chevallier et Ponciam, ejus uxorem, ex altera, super eo quod dictus Symon, nomine suo et dicte uxoris sue, dicebat quod defunctus Guillelmus de Verduno, quondam maritus dicte Petronille, in tractatu matrimonii dictorum Guillelmi et Petronille, convenit et promisit dicte Petronille quadraginta libras Parisienses annui redditus, racione dotalicii sui, si dicta Petronilla superviveret dicto Guillelmo, percipiendas et levandas per manum dicte Petronille, quamdiu viveret dicta Petronilla, in et super bonis immobilibus dicti Guillelmi, et quod dicta Poncia erat et est heres dicti defuncti Guillelmi, et quod dicti Stephanus et Poncia tenent et possident omnia bona ipsius quondam defuncti, et tenuerunt et posseserunt hactenus, a tempore obitus dicti defuncti, et, supposito, sine prejudicio, quod dicta convencio seu promissio non fuisset facta inter dictos Guillelmum et Petronillam, vel quod dictis Symoni et Pe-

PHILIPPE V, 1317.

tronille dicta convencio prodesse non posset vel deberet, dicebat dictus Symon, nomine quo supra, quod, de consuetudine notoria in regno Francie, dicta Petronilla fuit et est dotata, contracto matrimonio inter eam et dictum Guillelmum, de medietate omnium bonorum dicti defuncti, quare petebat dictus Symon, nomine quo supra, dictam dotem adjudicari dicte Petronille, et condempnari et compelli dictos Stephanum et Ponciam ad tradendum et liberandum dicta bona dictis Symoni et Petronille, tamquam sibi ypothecata et obligata, ad levandum et percipiendum dictas quadraginta libras, per manum dicte Petronille, quamdiu ipsa viveret, et, si dictus ballivus, de jure vel consuetudine, dictas quadraginta libras dictis Symoni et Petronille adjudicare non posset vel deberet, petebat dictus Symon, nomine quo supra, dicte Petronille adjudicari suum dotalicium in et super medietate omnium bonorum dicti defuncti Guillelmi, virtute consuetudinis predicte; dicto Stephano, nomine suo et dicte uxoris sue, in contrarium proponente, quod peticio dictorum Symonis et Petronille non erat admittenda, pro eo quod ipse primo petebat dictas quadraginta libras annui redditus, racione dicti dotalicii, virtute cujusdam convencionis facte inter dictos Guillelmum et Petronillam et sic, per dictam convencionem, ut ipse dicebat, renunciaverat dicta Petronilla juri consuetudinario, si quod sibi, super hoc, competebat, quia convenciones legem vincunt, et postmodum petebat dictus Symon dictum dotalicium dicte Petronille adjudicari, virtute consuetudinis predicte, et ita erat, ut ipse dicebat, dictus Symon sibi ipsi contrarius, proponendo duas contrarias actiones vel saltim diversas, quare debuisset alteram elegisse, quare dicebat dictus Stephanus dictam peticionem non debere admitti, et eciam supposito quod admitteretur dicta peticio, primitus sibi jure reddito super premissis, dicebat dictus Stephanus, nomine quo supra, respondendo predicte peticioni dicti Symonis, quod certe convenciones fuerunt facte et habite inter dictos Guillelmum et Petronillam, quale dotalicium et quantum dicta Petronilla percipere deberet in predictis bonis dicti Guillelmi, post ejus decessum, et quod, super dictis

convencionibus, fuit facta littera sub sigillo officialis Parisiensis, et quod, in dictis convencionibus, actum fuit, inter dictos Guillelmum et Petronillam, quod, post obitum dicti Guillelmi, ejus heredes solverent dicte Petronille, pro suo dotalicio, quamdiu ipsa viveret, quolibet anno, certam summam, contentam in dicta littera, de moneta que currebat tempore dictarum convencionum, et quod dictam summam in dicta moneta solvere obtulerat idem Stephanus pluries dictis Symoni et Petronille, et adhuc offerebat, et quod de jure tempus obligacionis, super hoc, inspici debet : Auditis dictis partibus, super hoc, coram dicto ballivo, et visis processibus earumdem, dictus ballivus judicatum suum protulit in hunc modum, videlicet nos recipimus et per jus peticionem probandam, quam Symon de Lay et uxor ejus tradiderunt curie, in scriptis, contra Stephanum Chevalier et ejus uxorem, non obstantibus racionibus in contrarium propositis, per dictos Stephanum et ejus uxorem; item, si dictus Stephanus et ejus uxor velint tradere et deliberare sufficienter dictas quadraginta libras dotalicii quas dictus Symon petit, dictus Stephanus erit liberatus erga dictos Symonem et ejus uxorem a tali dotalicio, quale uxor dicti Symonis debet habere in dictis bonis, de consuetudine, et solventur dicte quadraginta libre, in bona moneta, que currebat tempore mortis dicti defuncti, et a tempore illo usque nunc et, pro tempore futuro, in moneta que curret quamdiu vivet uxor dicti Symonis, secundum quod fiet in tali casu vel simili, nisi dictus Stephanus et ejus uxor vellent probare per instrumenta que dicunt se habere, vel alias expresse et nominatim, quod uxor dicti Symonis convenisset quod contenta esset moneta que currebat tempore date dictarum litterarum, que quidem data nichil profficiet dictis Stephano et ejus uxori quantumcunque tunc temporis debilis moneta curreret, quin teneantur solvere bonam monetam que cucurrit a tempore mortis dicti Guillelmi, et que curret pro tempore futuro; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Stephanus, pro se et ejus uxore, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis

PHILIPPE V. 1317.

PHILIPPE V, 1317.

processibus earumdem, et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum, in eo quod ipse admisit peticionem dicti Symonis et ejus uxoris, bene judicasse, et dictos Stephanum et Ponciam male appellasse, in residuo vero dictum ballivum male judicasse, et dictos appellantes bene appellasse, et, per idem judicium, dictum fuit dictas partes posse dictam litem resumere in statu in quo erat, tempore dicti judicati lati per dictum ballivum, et quod, super dicta peticione, predicte partes in curia nostra ulterius procedent.

Martis ante Nativitatem Domini.

Petrus Droconis reportavit.

IV. Cum, super eo quod Gasco de Armaniaco, vicecomes Brulhesii, Dominicus de Albacia, dictus Banque, Johannes vocatus Vitalis Careria, Raimondus de Testa-Mala, dictus le Bort, nepos Dominici de Albacia, Bernardus Fau, Perrinus de Condom, Arnaldus de Sparnier et P. Carrera, cum armis prohibitis execucionem cujusdam judicati lati, ut dicebatur, per locum tenentem senescalli Petragoricensis, pro Sororibus Minorissis-Montis-Marciani super restituendum eisdem Sororibus, ad possessionem quarumdam decimarum in Brulhesio existencium et contra Gasconem predictum, quam execucionem castellanus noster Lauserte facere intendebat, de mandato dicti senescalli et tenentis locum ejusdem, virtute quarumdam litterarum carissimi germani nostri Ludovici, quondam regis Francorum et Navarre, super execucione judicati predicti eisdem directarum, contra prohibicionem, eisdem, ex parte nostra, per eumdem castellanum factam, et sub pena mille librarum Turonensium parvorum impedivisse dicebantur, forent, per eumdem castellanum, cui inhibere, sub pena predicta, et ajornari licebat, secundum tenorem mandati predicti eidem facti, ad certam assisiam dicti senescalli, ajornati ut personaliter comparerent visuri declaracionem pene predicte, et ad dictam assisiam magister Stephanus de Drosido, procurator noster in senescallia predicta, comparens peteret, nomine nostro, penam predictam

eosdem incurrisse declarari; tandem, cum predicti, in assisia predicta non comparerent, nec eciam in aliis sequentibus assisiis, ad quas omnes, preterquam Gasco predictus, de quo, ut citaretur, fuerat ordinatum, et citatus fuisse non invenitur, citati, voce preconis, in assisia reperiuntur, comparere curarent, magister Raimondus Ricaudi tenens locum dicti senescalli, in contumaciam eorumdem, omnes predictos, preter dictum Gasconem, penam predictam incurrisse, et eamdem nobis commisisse declaravit et de bonis eorumdem exigi debere et levari, et quod nisi reperirentur ydonei ad solvendum, declaravit penam predictam fore levandam de bonis Gasconis, vicecomitis predicti, de cujus familia predictos existere dicebat: Auditis igitur, in curia nostra, dicto vicecomite, pro se et pro predictis superius nominatis, ex una parte, et procuratore nostro, ex altera, racione cujusdam appellacionis ante declaracionem predictam ad nos emisse ab audiencia dicti senescalli, ex parte dicti vicecomitis et aliorum predictorum, visoque processu, super hoc facto, et curie nostre reportato, cum, per dictum processum, non fuerit inventum, quod predictis proxime nominatis dicta inhibicio, sub pena predicta, facta fuerit, ipsis presentibus, rursus nec sicut decebat eosdem fuisse ad judicium, super hoc, evocatos; item, nec litis contestacionem factam fuisse, super hoc, vel tale quid factum ibidem quod vicem contestacionis debeat obtinere, insuper nec eosdem fuisse convictos aut confessos, super predictis, per curie nostre judicium, dictus processus, super hoc, habitus et declaracio dicti locum tenentis fuerunt nulli esse declarati, et, per idem judicium, extitit ordinatum quod certo commissario committetur ut ipse, super predictis inobedienciis et rebellionibus ac inhibicione de novo, contra dictum vicecomitem et alios superius nominatos, ipsis vocatis et aliis evocandis, veritatem inquirat, et inquestam quam inde fecerit ad nostrum proximum parlamentum, asportet, et certam diem dictis partibus assignet ad videndum judicari inquestam predictam.

Philippe V, 1317.

Martis ante Nativitatem Domini.

M. B. de Albia reportavit.

PHILIPPE V, 1317.

Traditus fuit processus, una cum commissione M. Cortaldo, procuratore regio, ad portandum senescallo Petragoricensi, ad inquirendum iterato et referendum.

V. Cum in acordo quodam, inter magistrum Radulphum de Praellis, ex una parte, et majorem et juratos ville et communie de Velliaco, ex altera, facto et, per litteras nostras, in filo serico et cera viridi sigillatas, ad requisicionem dictarum parcium, confirmato, inter cetera contineatur quod placet eisdem majori et juratis quod idem magister Radulphus et ejus uxor habeant perpetuo quamdam domum, in qua iidem major et jurati consueverunt tenere placita sua, in domo ipsius magistri Radulphi vocata Court-Demainne, per recompensacionem competentem, ad arbitrium duorum proborum virorum, a dictis partibus in acordo predicto nominatorum, per eumdem magistrum Radulphum eis faciendam, qui duo prenominati decesserunt, nichil, per eos, super dicto negocio inchoato seu eciam arbitrato, et propter hoc, impeditum fuit quominus contenta in dicto acordo, quamtum ad dictum articulum, complerentur, propter que, ad supplicationem dicti magistri Radulphi, ballivo Viromandensi seu ejus locum tenenti recolimus commisisse quot, per se, vel per alium ydoneum, ad dictum locum accederent, et, si sibi, vocatis dictis partibus, constaret, de premissis, et quod idem magister Radulphus, ad arbitrium aliorum fide dignorum, dictam recompensacionem offerret competentem, non obstante obitu predictorum duorum a dictis partibus nominatorum, dictum acordum, si et prout ipsis constaret de eodem compleri, et debite execucioni facerent demandari; commisso igitur, per locum tenentem dicti ballivi, dicto negocio preposito Laudunensi, idem prepositus, ad dictum locum personaliter accedens, certa die, coram eo, vocatis partibus, ut in dicto negocio procederet, juxta traditam sibi formam, de consensu dictarum parcium, septem personas ydoneas et fide dignas elegit et jurare fecit quod, visis domo et platea adjacente domui predicte, in qua consueverant dicti major et jurati sua placita seu suam juridicionem exercere ac eciam alia

domo, cum curia seu platea adjacente eidem domui, quam dictus magister Radulphus, pro dicta recompensacione, offerebat, eisdem fideliter deponerent, per suum juramentum, utrum dicta recompensacio deberet competens reputari, et, super hoc, plenam dicerent veritatem; qui, visis et consideratis locis prefatis, cum diligencia suam, super hoc, deposicionem, predicto commissario, per sua juramenta, retulerunt, quam deposicionem idem commissarius nostre curie, sub sigillo suo interclusam, remisit, presentibus partibus antedictis; auditis igitur super hoc dictis partibus, curia nostra recepit et videri precepit processum predictum : Visis itaque et diligenter examinatis dicto acordo, commissionibus, deposicionibus et processu predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit dictam recompensacionem, per dictum magistrum Radulphum oblatam, fore sufficientem, et dictum acordum, quantum ad istum articulum, debere execucioni mandari.

Martis ante Nativitatem Domini.

M. P. Mallart reportavit.

VI. Cum Stephanus Brito, pullarius, diceret et proponeret, coram Parisiensi preposito, contra Petrum de Sancto-Martino, Raoletum et Bertinum, britones, pullarios, quod, cum idem Stephanus, ex certis et legittimis causis, esset et fuisset, pro indeviso, in saisina decime partis cujusdam domus site ante carnificeriam Parisiensem, virtute et auctoritate cujusdam difinitive sentencie a dicto preposito late, in causa que, inter dictas partes jamdudum, coram eo, extiterat agitata, in qua domo dicti Petrus, Raoletus et Bertinus morati fuerant et adhuc morabantur, et postea dicta domus appreciata fuisset, per juratos ville Parisiensis, ad summam seu valorem quadraginta librarum annui census seu redditus, idemque Stephanus postmodum, certa die, presentibus dictis Petro, Raoleto et Bertino, obtulisset eis tradere quinquaginta libras annui census seu redditus pro dicto[1] domo coram dicto preposito et peciisset eam, pro dicto precio sibi tamquam plus

[1] Lisez *dicta*.

PHILIPPE V, 1317.

offerenti deliberari, dictusque prepositus denarium Dei, super hoc, a dicto Stephano recepisset, dictis partibus presentibus, ac nulla [1] dare plus offerente, et, istis et pluribus aliis racionibus, peteret dictus Stephanus dictam domum, per dictum prepositum, sibi deliberari, pro precio supradicto, ad illum finem, ut ipse posset in ea morari et facere suum commodum ex eadem, dictosque Petrum, Raoletum et Bertinum condempnari et compelli ad dictam domum evacuandam, et impedimentum ab eis, injuste et sine causa, super hoc, appositum amovendum, memoratis Petro, Raouleto et Bertino ad hoc se opponentibus et proponentibus, contra dictum Stephanum, plures raciones, ad finem quod ipsi, in saisina dicte domus, in qua pacifice erant et fuerant, per tempus sufficiens, ut dicebant, tenerentur, et quod idem Stephanus repelleretur a dictis suis peticionibus et requestis, quodque saisina dicte domus, pro dicto precio quadraginta librarum, computato, in ipsa summa, omni eo in quo dicta domus, tempore appreciacionis predicte facte per juratos, super hoc, electos, de consensu dictarum parcium, ut dicebant, erat onerata, juxta dictum et ordinacionem dictorum juratorum eisdem remaneret, salva dicto Stephano sua porcione de dictis quadraginta libris, racione sue decime partis predicte; lite igitur, coram dicto preposito, super hoc, legittime contestata, testibus hinc inde, super hoc, productis, quibusdam litteris seu instrumentis, exhibitis pluribus eciam racionibus juris et facti hinc inde propositis ac in dicta causa concluso, tandem dictus prepositus, visis actis predicte cause, pronunciavit, per suum judicium, quod saisina domus predicte dicto Petro et dictis ejus in lite consortibus remanebit, pro precio quadraginta librarum Parisiensium supradicto, salva dicto Stephano sua porcione de dictis quadraginta libris, racione seu causa dicte sue decime partis, ac predictum Petrum et dictos ejus in hujusmodi lite consortes, ab impeticione predicta dicti Stephani sentencialiter absolvit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ex parte dicti Stephani, ad nostram curiam, extitit appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in

[1] Lisez *nullo*.

causa appellacionis hujusmodi, et visis processu dicte principalis cause ac judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Stephanum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V, 1317.

Veneris ante Nativitatem Domini.

Reportatum per Gervasium.

VII. Cum proponeret, in judicio, coram ballivo curie secularis abbatis et conventus Sancti-Dyonisii-in-Francia, Johannes Bequealoe, contra Richardum le Cristalier, racione Johanne, uxoris sue, quod ipse Johannes conduxerit quamdam domum, contenciosam nunc inter ipsas partes, a defuncta domicella Maria de Dugny, tempore quo ipsa vivebat, usque ad novem annos continue complendos, termino dicte conducionis incipiente ad festum nativitatis Sancti-Johannis-Baptiste, quod fuit anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, sub certis convencionibus hinc inde habitis, prout in quibusdam litteris, sigillo Castelleti Parisiensis sigillatis, plenius continebatur, quas dictus Johannes, ad fundendum intencionem suam, coram dicto ballivo, in figura judicii exhibuit; item, et quod in dicta domo, pretextu dicte conductionis, ipse, per triannium et plus, habitaverat, quare petebat se teneri et defendi in sua saisina seu habitacione dicte domus, durante termino conductionis predicto, impedimentumque, per dictum Richardum et ejus uxorem, ibidem appositum amoveri, ipsosque de dicta domo, qui se ibidem intruserant, ut dicebat, eici et expelli; ex adverso dicto Richardo, racione dicte uxoris sue, filie et heredis dicte defuncte Marie, contra dictum Johannem, et dictam litteram, in figura judicii exhibitam, plures raciones proponente, ad finem quod suum factum contra dictum Richardum et ejus uxorem propositum, tanquam nullum et invalidum, recipi non deberet, et quod non obstante dicta littera, ex parte dicti Johannis exhibita, dictus Richardus deberet morari, teneri et defendi in sua saisina dicte domus, et dictum Johannem de dicta domo, qui se ibidem intruserat, eici et expelli; tandem lite, super predictis, coram dicto ballivo, inter dictas partes,

PHILIPPE V, 1317.

legittime contestata, jurato hinc inde de veritate dicenda, testibusque hinc inde productis, examinatis et eciam publicatis, conclusoque in dicta causa, et certa die, dictis partibus, assignata, ad audiendum jus, in causa predicta, dictus ballivus, per suum judicium, pronunciavit quod dictus Johannes sufficienter probaverat intensionem suam, et adjudicavit eidem suam predictam intensionem, et pronunciavit expellendum esse dictum Richardum, nomine quo predicto, de occupacione dicte domus contenciose, durante termino locacionis predicto, non obstantibus propositis ex adverso; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Richardus, quo supra nomine, ad prepositum Parisiensem appellavit; tandem, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, coram dicto preposito constitutis et eisdem auditis, et assignata eis die, ad audiendum jus, in causa appellacionis predicte, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit bene judicatum fuisse per dictum ballivum et male appellatum fuisse per dictum Richardum, et ipsum debere hoc emendare; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dictus Richardus ad parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, partibus antedictis, in causa appellacionis predicte, visisque earum processibus et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, fuit dictum predictos ballivum et prepositum bene judicasse et dictum Richardum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Veneris ante Nativitatem Domini.

Reportatum per magistrum Richardum de Bosco.

VIII. Cum olim Guiardus de Capis, dominus de Matonga, armiger, per Coletonum dictum le Pele, habitatorem dicte ville, de vicio sodomitico, licet falso, sicut dicebat, ad suggestionem plurium habitatorum dicte ville et aliarum personarum ac mediante pecunia quam ab eisdem idem Coletonus receperat, ut dicebatur, accusatus fuisset, idem Guiardus sibi timens ne, per falsos testes, de dicto convinceretur crimine, se reddidit fugitivum, propter quod ipse, quia sufficienter vocatus ad jura regia, super hoc, contumacem se reddidit,

a regno Francie fuit bannitus; postque dictus denunciator, contra dictum Guiardum, plures testes produxit, super dicto crimine, quorum nonnulli fuerant ad mortem, pro eorum demeritis, condempnati, qui, antequam morerentur, palam et publice confessi fuerunt, ante patibulum, quod contra dictum Guiardum falsum deposuerant testimonium de dicto crimine et falso mentiti fuerant contra eum, et quod illi, qui adhuc vivunt, diversis suppositi questionibus, occasione predicta, nichil deposuerant contra eum, predictusque Coletonnus li Pelez postmodum, in quadam infirmitate, de qua decessit, in presencia curati de Escuri et plurium aliorum fide dignorum, recognovit quod ea que ipse, contra dictum Guiardum, super dicto denunciaverat crimine, falso et proditorie denunciaverat, ut dictus Guiardus asserebat, supplicans idem Guiardus karissimo domino et germano Ludovico, quondam dictorum regnorum regi, super hoc, de benignitate regia, sibi misericorditer provideri; quocirca idem dominus et germanus noster, eidem pio in hac parte compaciens affectu, bannum predictum et quicquid ex eo secutum erat, sibi de gracia remisit speciali, dum tamen penes ballivum Viromandensem se redderet et poneret in prisionem, juri, super facto predicto, pariturus, dictoque ballivo Viromandensi idem carissimus dominus et germanus noster dederit in mandatis ut, cum dictus Guiardus penes eum se reddidisset, ipsum, in suis justis racionibus et defensionibus, admitteret et eidem, vocatis evocandis, super premissis, exhiberet celeris justicie complementum, prout hec omnia in litteris ipsius karissimi domini et germani nostri plenius continentur; quibus sic actis, prefatoque Guiardo in prisione nostra, apud Laudunum, posito et existente, et quadam inquesta, per dictum ballivum Viromandensem, pretextu litterarum predictarum, super racionibus et defensionibus dicti Guiardi et ad ejus innocenciam facta et nostre curie reportata, nos, super premissis, veritatem scire volentes, inquesta predicta, per dictum ballivum Viromandensem, ut premittitur, facta, non obstante quamdam aliam inquestam, vocatis evocandis fieri mandavimus, super ipsius Guiardi racionibus et defensionibus

PHILIPPE V, 1317.

PHILIPPE V, 1317.

et omnibus aliis factum hujusmodi quomodolibet tangentibus seu dependentibus ab eodem, tam contra dictum Guiardum quam pro ipso : Tandem dicta inquesta, de mandato nostro, super premissis facta et perfecta, vocato ad hoc procuratore nostro ballivie Trecensis et aliis qui vocandi erant, et curie nostre, ad judicandum, reportata, ipsaque, cum alia predicta inquesta, per dictum ballivum Viromandensem, ut premittitur, facta, visa et diligenter examinata, consideratis eciam et attentis omnibus que, super predictis, nostram curiam movere poterant et debebant, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Guiardum innocenciam suam, super predictis, legittime probavisse, propter quod ipsa curia nostra predictum Guiardum, de dicto crimine, per idem judicium, penitus absolvit, et eumdem, de prisione nostra, in qua ipse, propter hoc, tenebatur, totaliter liberavit, ad patriam bonamque famam et bona restituit eumdem.

Veneris ante Nativitatem Domini.

IX. Cum, super eo quod Auda, domina de Tirano, uxor Elie de Caupena, militis, coram Guillelmo de Aqua, serviente nostro armorum, et magistro Raymberto David jurisperito, commissariis, per senescallum Petragoricensem, datis, virtute cujusdam mandati facti eidem senescallo, sub certa forma, ex parte domini genitoris nostri, super infrascriptis excessibus, contra Johannam, relictam defuncti Petri de Burdegala, et Petrum Deucayron, bajulum Poncii, domini de Castellione, proponebat, videlicet dictum Petrum domino predicto ratum habente, et Guillelmum d'Aysiram, castellanum castri de Castro-Novo, pro dicta Johanna, cum armatorum multitudine, ad manerium vocatum de Bredonas dicte Aude venisse, portas ejusdem violenter fregisse, eamdem, manerium predictum pacifice possidentem et racione cujusdam appellacionis emisse ad curiam nostram a defectu juris, ab audiencia senescalli Vaschonie, pro duce Acquitanie, vel tenentis locum ejusdem, in nostra speciali gardia existentem, et prorsus, ex causa predicta, a juridicione dicti ducis et suorum subditorum exemptam, eisdem predictam appellacionem et gardiam

significantem et ad nos appellantem de possessione manerii predicti, cum familia sua que ibi erat, per spatulas violenter ejecisse, quamobrem eamdem lesam in crure, pro eo quod quidam equs in ejectione predicta percussit eam, pluvia, vento et grandine vigentibus, recedere de loco predicto oportuit, et de nocte rursus vinum, bladum, jocalia, cartas, instrumenta, capras, porcos, oves et alia ejusdem Aude animalia et bona, usque ad valorem trium millium librarum, inibi cepisse, portasse et capta secum duxisse ac in itinere publico sex saumerios, oneratos blado dicte Aude, capi fecisse, hiisque non contenti, dictam Audam, per quosdam commissarios senescalli predicti Petragoricensis, ad possessionem dicti manerii reductam, et servientes nostros, pro gardiatoribus habentem, iterato ejecisse et expulisse, vexillumque nostrum quod desuper manerium predictum, in signum salve gardie predicte, positum fuerat, exinde amotum, inter stercora, in ovili, inventum fuisse, et eamdem Audam et servientes nostros, gardiatores sibi datos, de tota terra dicte Aude fugasse, castellanumque predictum, arbores, que erant in circuitu domorum hominum dicte Aude, scindi fecisse, et ab hominibus ejusdem Aude multa bona violenter extorsisse, multaque verba contumeliosa dictum Petrum eidem Aude et gentibus nostris, ad eam gardiandam datis, dixisse, in contemptum nostrum, et, contra inhibiciones gencium nostrarum, in pluribus contemptibiliter excessisse, et alias, in premissis, multipliciter deliquisse, prout in articulis, ex parte ejusdem Aude traditis, plenius continetur, et petebat dictos malefactores compelli ad satisfaciendum eidem Aude, de perceptis et dampnis eidem, per ipsos, datis, et ipsos, pro tanto contemptu puniri; lis, ex parte dictorum Poncii, domini de Castellione, relicte defuncti Petri de Burdegala et Guillelmi predictorum, contestata fuerit, de calumpnia juratum, testes et instrumenta producti, tam ex parte dicte Aude, super articulis per eamdem propositis, quam super defensionibus predictorum Poncii et aliorum superius nominatorum, traditis coram eisdem commissariis et eciam coram priore Montis-Falconis et magistro Guillelmo Galhardi, per nostram curiam ad hoc depu-

PHILIPPE V. 1317.

PHILIPPE V, 1317.

tatis, processusque omnes, super hoc, habiti, curie nostre fuerunt remissi, et eidem, ad videndum et judicandum, auditis partibus predictis, traditi : Visis igitur, in curia nostra, processibus predictis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta Auda, ad possessionem manerii sui predicti, jurium et pertinenciarum ejusdem, in qua erat, tempore quo dejecta fuit per dictum Petrum, bajulum, restituetur, ac quingente libre Burdegalensis monete que, pro valore per eamdem jurato, rerum ejusdem Aude ablatarum, tempore dejectionis predicte, de quibus locus manerii predicti debuit resaisiri, fuerunt, et ex causa, in deposito sub manu nostra, Gerardo Robberti et Guillelmo Garini, mercatoribus de Burdegala tradite, eidem Aude tradentur et liberabuntur; rursus, per idem judicium, dictus Poncius, dominus de Castellione, nobis, pro emenda et satisfactione excessuum predictorum, per dictum suum bajulum, ut officialem ejusdem, in nostrum contemptum commissorum, in tribus millibus librarum Turonensium, nobis solvendis et eidem Aude, racione dampnorum sibi datorum per dictum bajulum, in quingentis libris parvorum Turonensium, et in tribus doliis vini, tribus cartis frumenti, quindecim cartis siliginis, quatuordecim cartis milii et sexaginta libris Burdegalensis monete, receptis per eumdem seu ejus bajulum et confessatis de bonis dicte Aude, dandis et solvendis eidem Aude, fuit condempnatus ; dictumque eciam et pronunciatum extitit quod curia nostra predictum Petrum, bajulum, privat imperpetuum ab omni officio justicie, in regno nostro exercendo ; et insuper dictum fuit quod idem Petrus, bajulus, captus, ad Castelletum nostrum Parisiensem adducetur, ibidem, in carcere, per dimidium annum et amplius, si nobis visum fuerit, in carcere, moraturus; super eo vero quod castellanus relicte predicte, arbores hominum dicte Aude scidisse dicebatur, dictum fuit quod dicti homines de hoc, coram senescallo nostro Petragoricensi, si voluerint, querelam deponant, et dictus senescallus eisdem predicta faciet, si et prout racionabile fuerit, emendari; ab omnibus autem contentis in dictis articulis, relicta predicta extitit absoluta.

In vigilia Epiphanie Domini. PHILIPPE V, 1317.
Magister Bernardus de Albia reportavit.

X. Mota controversia, in parlamento nostro, in causa appellacionis, inter Philippum de Attrebato, ex una parte, et ballivum Valesie ac homines castri de Crispeyo et Johannem Gale, in quantum eum tangit, ex altera, super eo quod, cum dictus Johannes, in causa principali parcium predictarum, dictum ballivum requisivisset quod ipse demandaret execucioni quamdam litteram, sigillatam sigillo prepositure de Petra-Fonte, in qua continebatur quod dictus Philippus erat eidem Johanni obligatus, ex certa causa, in ducentis libris Parisiensibus, dictus Philippus proponebat, in dicto parlamento, quod ipse proposuerat, coram dicto ballivo, in dicta causa principali, contra dictum Johannem, plures raciones, ad finem quod non fieret dicta execucio, prout in articulis, in dicta appellacionis causa, per dictum Philippum propositis, plenius continetur, quas obtulerat se probaturum, ut dicebat idem Philippus, et, inter cetera, quod ipse requisiverat pluries dictum ballivum quod ipse faceret quedam interrogatoria dicto Johanni que faciebant ad causam predictam, videlicet quod cum dictus Johannes, creditor, confessus fuisset in judicio, coram auditoribus, a dicto ballivo, in predicta causa deputatis, se non numerasse dictam pecuniam dicto Philippo, sed quod, nomine ipsius Philippi, idem Johannes, se obligaverat erga alios creditores ejusdem Philippi, usque ad summam predictam, dictus Philippus requisivit quod idem Johannes interrogaretur, erga quos creditores dicti Philippi ipse Johannes dicebat se pro dicto Philippo obligasse in summa predicta, et quod dicta interrogacio sibi fieret antequam procederetur ulterius ad pronunciandum, in causa dicte execucionis petite, qui quidem ballivus, spretis et non admissis racionibus dicti Philippi et non factis interrogatoriis ipsius predictis, pronunciavit, per suum judicium, dictam execucionem fieri debere, contra dictum Philippum, non obstantibus racionibus dicti Philippi; a quo judicato, tamquam nullo, vel si aliquod erat, tamquam falso et pravo, dictus Philippus

PHILIPPE V, 1317.

ad nostram curiam appellavit, quare petebat dictus Philippus dictum judicatum, per curiam nostram, pronunciari nullum vel falsum et pravum, et suam appellacionem bonam esse et sufficientem, dictis ballivo, hominibus et Johanne ex adverso proponentibus, in causa appellacionis predicte, quod dictus Johannes requisiverat dictum ballivum quod ipse dictam litteram demandaret execucioni et quod dictus Philippus proposuerat plures raciones ad finem quod non fieret dicta executio, et quod idem Philippus consenserat quod, super hoc, procederetur ad diffinitivam, salvis suis racionibus juris, et quod dictus ballivus judicatum suum tulerat, in modum superius expressatum, et quod dictus Philippus appellaverat ab eo, tamquam falso et pravo, quare petebant dicti ballivus, homines et Johannes quod processus, super hoc, factus coram dicto ballivo, inter dictos Johannem et Philippum videretur, per curiam nostram, ut per eum appareret si dictum judicatum fuerat rite latum, dictis vero partibus plura facta contraria, super hoc, proponentibus, curia nostra precepit inquiri, super eis, veritatem : Facta igitur inquesta, super predictis factis propositis, in dicte appellacionis causa, et presentibus partibus vel earum procuratoribus, ad judicandum, ad nostram curiam reportata, ea visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos ballivum et homines male judicasse et dictum Philippum bene appellasse, et quod dicti judicantes hoc emendabunt, usque ad quantitatem per curiam nostram, taxandam, et, per idem judicium, dictum fuit quod dicte partes, in curia nostra, in eorum principali causa, ulterius procedent.

In vigilia Epiphanie Domini.

M. P. Droconis reportavit.

XI. Lite mota, inter priorem et conventum monasterii Sancti-Martini-de-Campis Parisiensis, racione prioratus eorum de Choysiaco, ex una parte, et majorem et scabinos ville Pruvinensis, ex altera, super eo quod dictorum religiosorum procurator dicebat quod ipsi religiosi, racione dicti prioratus de Choysiaco, erant et hactenus

fuerant in saisina habendi et percipiendi manusmortuas, tallias et chevagia super eorum hominibus et feminis de corpore commorantibus, tam in villa quam in castellania de Pruvino, per quantumcunque tempus ipsi fecerint mensionem ibidem, dictam saisinam suam allegantes, a tempore cujus memoria non existit, quodque dicti major et scabini predictos religiosos impediebant injuste in bonis que fuerunt defunctorum Reginaldi le Chourois et Johannis Lalement hominum, et Maheudis de Templo, femine de corpore quondam prioratus predicti, quare certam peticionem faciebat, super hoc, idem procurator, contra majorem et scabinos predictos, ad finem sue saisine predicte; dicti vero major et scabini proposuerunt ex adverso, quod ipsi, tam per punctum carte concesse eisdem a comitibus Campanie, quam per antiquam consuetudinem in villa Pruvinensi hactenus observatam et approbatam, fuerant, ab antiquo tempore, et erant in saisina manutenendi, gubernandi et custodiendi, tanquam francos burgenses nostros et nobis acquisitos, omnes homines et feminas de corpore, quorumcumque dominorum, tam ecclesiasticorum quam aliorum, ad villam de Pruvino venientes, postquam per annum et diem mansionem contraxerunt ibidem, nec habebant dicti domini sequelam aliquam contra ipsos, nisi essent de feodis vel retrofeodis, seu garda vel ressorto Campanie, quodque predicti Reginaldus, Johannes et Maheudis, per plures annos, mansionem contraxerant in villa Pruvinensi, et, tamquam burgenses nostri, se portaverant, et in statu dicte burgesie decesserant ibidem, quare dicebant dictorum religiosorum peticionem fieri non debere: Inquesta igitur, vocatis partibus, super hiis, facta, et ad curiam nostram ad judicandum reportata, procuratoribus dictarum parcium presentibus, et auditis, et visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos religiosos, super predictis, intencionem suam melius probavisse, quam dictos majorem et scabinos, quodque dicti religiosi, racione prioratus predicti, remanebunt in saisina percipiendi et habendi manusmortuas, tallias et chevagia, super eorum homines et feminas de corpore, in villa et castellania de Pruvino commorantes,

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V. 1318.

et quia, per inquestam predictam, curie nostre constitit quod predicti Reginaldus, Johannes et Maheudis erant homines de corpore dicti prioratus, curia nostra dictis religiosis adjudicavit saisinam omnium bonorum mobilium que dicti religiosi docebunt eosdem Reginaldum, Johannem et Maheudim, tempore eorum obitus, habere, et eciam omnium bonorum mobilium aliorum hominum et feminarium de corpore dicti prioratus, qui in villa et castellania de Pruvino decesserunt, post tempus mote litis predicte, et amovit nostra curia manum nostram, in predictis bonis appositam, racione litis predicte, salva tamen dictis majori et scabinis, super predictis, questione proprietatis.

Sabbato post Cathedram Sancti-Petri.

M. J. de Templo non reddidit inquestam.

XII. Lite mota, coram custodibus nundinarum Campanie inter Petrum Renuche, de societate des Perruches, Lapprenier, de societate Baldorum, et tamquam procuratorem Sapponis Nicholai, Mathe dictum de Mache, pro se, Bauduche Bon-Compte, pro se, et tamquam procuratores Clarati Baudim, agentes, ex una parte, et Latinum Bone-Aventure et Blazonem Guidonis, substitutos a procuratoribus communis civitatis de Senis, ex altera, super eo quod, propter inobedienciam dicti communis in facienda execucione mandatorum, ex parte dictorum custodum, ad instanciam dictorum agencium, dicto communi directorum, petebant dicti agentes, contra dictum commune, defensam dictarum nundinarum registrari, asserentes quod, ad proponendum raciones quascumque, non debebant dicti substituti, contra hoc, admitti, nisi, in rescripcionibus dicti communis, mencio fieret de racionibus eisdem, dictis substitutis plures raciones in contrarium proponentibus, ad finem declinandi forum et juridicionem dictorum custodum, ac dicentibus, quod dicti actores et procuratores ipsius communis collusionem insimul fecerant, et fraudulenter ac maliciose convencionem inierant, hanc scilicet quod dicti procuratores se poni permitterent in defectum, ut sic custodes

ipsi defensam possent concedere contra commune predictum, acto tamen, inter ipsos, quod dicti actores, dictos procuratores, nec bona sua capi nec arrestari facerent, nec eciam procurarent, asserentibus eciam dictis substitutis quod, per convencionem et collusionem predictas, inter dictas partes sic initas, et sine dictorum custodum assensu, expiraverat, super hoc, actio nundinarum, juxta consuetudinem in dictis nundinis, hactenus observatam, propter que dicti custodes amplius in hujusmodi causa procedere non poterant, nec cognoscere de dicta causa principali, inter partes predictas, petentibus insuper, ante omnia, justiciam, ad finem predictum, sibi fieri super predictis racionibus eorumdem, facta retencione de defendendo dictam causam principalem, ad impediendum quod non registraretur defensio predicta, reddito primitus sibi jure, super racionibus suis predictis; auditis igitur dictarum parcium racionibus, predicti custodes, per suum judicium, pronunciaverunt dictam defensam registrari debere, secundum usum et consuetudinem dictarum nundinarum, non obstantibus propositis ex adverso; a quo judicato, tamquam falso et pravo, per dictos substitutos, ad dies Trecenses extitit appellatum; tandem dicta causa appellacionis ad magistros dierum Trecensium devoluta, ipsi causam hujusmodi appellacionis in statu in quo erat coram eis, ad parlamentum nostrum, Parisius, remiserunt, et ex causa: Dictis igitur partibus, super hoc, in parlamento, Parisius, constitutis, et auditis, super hoc, earum racionibus, visoque processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos custodes male judicasse ac dictos appellantes bene appellasse, et quod dictis partibus fiet justicia, ante omnia, super racionibus predictis, et deinde, si, per judicium, fuerit declaratum dictas raciones non valere, postea procedetur, super causa principali predicta, auditis racionibus parcium, utrum dicta defensa debeat vel non debeat registrari, et, super hiis omnibus, remanebit cognicio in parlamento presenti.

Philippe V. 1318.

Sabbati post Cathedram Sancti-Petri.

XIII. Cum Philippus Rebille, tempore quo ipse erat prepositus de

PHILIPPE V, 1318.

Nogento in Basigniaco, asserens quod, licet prepositi dicti loci de Nogento, essent et fuissent, a tanto tempore quod in contrarium memoria non existebat, in saisina pacificà justiciandi et habendi curiam ac cognicionem in villa de Charmis, racione ressorti dicte ville de Nogento, nichilominus, dum ipse prepositus, utens predicta saisina, decanum et capitulum Lingonensis ecclesie in dicta villa de Charmis, cujus ipsi sunt domini, pro pluribus inobedienciis commissis per eos, adversus ipsum prepositum, seu gentes suas, de mandato karissimi domini et germani nostri Ludovici, quondam Francorum et Navarre regis, gagiasset, ut ipse dicebat, gentes ville predicte de Charmis, violenter et cum armis irruentes in ipsum prepositum et gentes suas, eos enormiter tractaverant, et gagia, que ipsi super eos ceperant, ab eis excutere presumpserant, et hec omnia dicti decanus et capitulum, coram ballivo Calvi-Montis, et aliis pluribus fide dignis, ut dicitur, advoantes, dicebant se, quamtum ad gardam et ressortum dicte ville sue de Charmis, Senonensi ballivo subesse, et dictam villam de Charmis eidem preposito de Nogento in nullo subesse; cum autem, super hujusmodi discordia, facta fuisset, per litteras dicti germani nostri, certa commissio Senonensi ballivo, et ipse, super hoc, vocatis partibus, suum processum fecisset, et judicatum suum tulisset, a quo non fuit appellatum; postea dictus Philippus, tacita veritate, de commissione, processu et judicato predictis dicti ballivi Senonensis, quasdam obtinuit litteras a curia nostra, per quas mandabatur et committebatur dicto ballivo Calvi-Montis, ut ipse quamdam inquestam, per eum, super hoc, ut dicebatur, inchoatam, si completa non esset, compleret, seu compleri faceret, et adjuncto secum Horrico de Noneix, milite, seu aliquo alio probo viro, eam judicaret, et, fine debito, terminaret, dictus vero ballivus Calvi-Montis, virtute commissionis hujusmodi, dictam inquestam perficiendam, ut dicitur, commisit Gaufrido de Bielle, militi, et magistro Henrico de Montigniaco, clerico; qui commissarii, cum dictos decanum et capitulum fecissent, coram eis, super hoc evocari, procurator eorum proposuit quod dicti commissarii, virtute commis-

sionis hujusmodi, sibi facte, procedere, super hoc, non poterant, cum, super premissis processibus, ballivus Senonensis, virtute commissionis specialis, super hoc, sibi facte, de quo processu in dicta commissione facta dicto ballivo Calvi-Montis, virtute cujus, subdelegati erant commissarii predicti, nulla mencio habebatur, et ita, tacita tali veritate, fuerat dicta commissio impetrata, qua expressa, dictam commissionem nullatenus habuisset, ut ipse dicebat, hec et alia plura proponens procurator dictorum decani et capituli ad finem quod dicti commissarii procedere, super hoc, non poterant, virtute commissionis predicte, et, super hiis, petebant, ante omnia, jus sibi reddi, quibus non obstantibus, dicti commissarii processerunt ad perfectionem inqueste predicte, quam perfectam dicto ballivo Calvi-Montis, sub suis clausam sigillis miserunt; qui ballivus et Horricus, visa dicta inquesta, quamquam in hujusmodi, se, ut prius, opponeret pars adversa, per suum judicium pronunciavit quod, non obstantibus racionibus propositis per partem dictorum decani et capituli, dictus Philippus, tunc prepositus de Nogento, bene probaverat intencionem suam, quamtum ad hoc quod dicta villa de Charmis esset de ressorto prepositure de Nogento, et quod ipse haberet cognicionem et punicionem de predictis injuriis et rescussis; a quo judicato, tamquam falso et pravo, procuratores dictorum decani et capituli, et habitancium dicte ville de Charmis, ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visaque commissione primo facta super hujusmodi discordia, dicto ballivo Senonensi et processu ac judicato per eum factis, super hoc, visaque commissione secundo facta, super hoc, postea dicto ballivo Calvi-Montis, ac processu per ipsum et ejus commissarios, super hoc, factis, ac judicato, per ipsum et dictum Horricum, super hoc, facto, curia nostra, per suum judicium, totaliter anullavit dictos processum et judicatum, virtute dicte secunde commissionis, factos, et quicquid ex eis extitit subsequtum, et pronunciavit bene appellatum fuisse per procuratores dictorum decani et capituli et habitancium, et per dictos ballivum et militem male

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

judicatum fuisse, quodque ipsorum processus et judicatum non prejudicabunt in aliquo processui et judicato factis, super hujusmodi discordia, per ballivum Senonensem predictum.

Sabbati post Cathedram Sancti-Petri.

M. P. Boelli reportavit.

XIV. Significato, ex parte Petri Calne, et Guillelmi de Ecclesia de Pedenacio, pro se et consortibus suis, domino genitori nostro, tempore quo ipse vivebat, quod, tempore quo currebat moneta debilis, ipsi acceperant in emphiteosim seu accapitum ab episcopo Abricensi, et cantore Aurelianensi tunc in illis partibus, pro dicto domino genitore nostro, pro conservandis et ordinandis ejus juribus, existentibus, quoddam pratum situm in territorio et districtu de Pedenacio, in decimaria Sancti-Petri, cum omnibus suis juribus, exitibus et pertinenciis, pro quadraginta libris redditus monete currentis, tempore solucionum dicte firme faciendarum, et quod ipsi essent decepti ultra dimidiam justi precii, si ipsi in valore fortis monete, que ab eis, isto tempore quo currit fortis moneta, petebatur, solverent redditum antedictum; quo audito, dictus genitor noster senescallo Carcassonensi dedit in mandatis, quatenus super premissis, et eorum circonstanciis, vocatis procuratore regio et aliis evocandis, inquireret cum diligencia veritatem, et inquestam quam, super hoc, faceret dicto genitori nostro, sub sigillo suo, quamcitius remitteret fideliter interclusam: Inquesta igitur, per dictum senescallum seu ejus commissarium, super hoc, facta, et ad nostram curiam ad judicandum asportata, et per curiam nostram, partibus auditis, recepta, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos conquerentes intencionem suam, super hoc, non probavisse, et, per idem judicium, impositum fuit, super hiis, silencium perpetuum conquerentibus antedictis.

Mercurii post Brandones.

M. R. de Bosco reportavit.

XV. Cum, coram Guillelmo de Chandenayo, milite, a nobis reformatore in senescallia Belli-Cadri una cum priore de Sancto-Valerio, deputato, frater Johannes de Fautreriis, prior Sancti-Saturnini-de-Portu, Cluniacensis ordinis, Petrum de Macherino, militem, olim senescallum Belli-Cadri, ac Matheum de Maucina, olim procuratorem nostrum in dicta senescallia, occasione plurium dampnorum et injuriarum, factarum et illatarum eidem priori, ut dicebat, ac ejus ecclesie et gentibus, a dictis Petro et Matheo, vel eorum gente, ipsorum nomine et mandato, durantibus dictis eorum officiis, traxisset in causam, peticioneque, super hoc, edita, coram reformatore predicto, lite, coram eo, super hoc, legittime contestata, pluribus testibus et instrumentis ex parte dicti prioris productis, et exhibitis, super hoc, pluribus eciam racionibus juris et facti, ex parte dictorum Petri et Mathei, tam ad eorum defensionem, quam contra testes dicti prioris, et eorum dicta propositis, ac, super hoc, aliquibus testibus productis, certa die, ex parte dicti Mathei, suo et procuratorio nomine dicti Petri, requirentis a reformatore predicto, sibi dari et concedi unam competentem dilacionem ad probandum, per testes et munimenta, defensiones suas, super dictis propositis ab eisdem, dictus reformator, non admissa requesta predicta, assignavit tunc certam diem memoratis partibus, ad diffiniendum in dicta causa, dictum Matheum suo et quo supra nomine, ad probandum dictas suas defensiones per testes, per suum judicium, admittere recusando, predictus vero Matheus se et dictum Petrum, ex hoc senciens aggravatos, suo et quo supra nomine, ad nos, a dicto judicato et dictis gravaminibus, appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus in causa appellacionis predicte, et visis processu dicte principalis cause, ac judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Guillelmum, reformatorem, male judicasse, et dictum Matheum, suo et quo supra nomine, bene appellasse; dictum insuper fuit quod a nobis seu curia nostra, certi deputabuntur commissarii qui de dicta principali causa, vocatis partibus, cognoscent inter partes predictas, et in ipsa procedent, ut fuerit racionis, et prout eorum

PHILIPPE V. 1318.

Philippe V, 1318.

commissio continebit, et dictam principalem causam resument in statu in quo erat tempore interposite appellacionis predicte.

Mercurii post Brandones.

M. Gervasius reportavit.

XVI. Cum Johannes, dominus de Evranchiis, pelliparius, civis Parisiensis, requisivisset prepositum Parisiensem, ut ipse quamdam litteram, sigillo prepositure Parisiensis sigillatam, in qua Laurencius dictus le Beuf erat sibi in quadringentis decem et novem libris Turonensibus vel circa obligatus, supradictum Laurencium et ejus bona execucioni mandaret, juxta continenciam ejusdem, et dictus Laurencius proponeret, ex adverso, execucionem hujusmodi fieri non debere, cum, de summa predicta, esset eidem Johanni per eumdem Laurencium satisfactum, sed dictam litteram fore sibi reddendam, pro eo maxime quod, de mandato ejusdem Johannis, et faciendo de hoc suum proprium debitum, idem Laurencius tradiderat Chaponi, buticulario dilecti et fidelis germani nostri R., comitis Marchie, decem octo caudas vini de Sancto-Porciano, quamlibet pro precio sexdecem librarum Parisiensium, et Nicholao de Latiniaco tria dolia vini de Vasconia, quodlibet precio viginti quatuor librarum Parisiensium russus[1], et dicto Johanni, seu ejus mandato, quinquaginta duo libras Parisienses in peccunia numerata, et protestacione facta de repetendo quod plus solverat, peteret se absolvi a peticione ejusdem Johannis, prepositus predictus, lite, super hoc contestata, et jurato, super predictis, testibusque, super hiis, receptis et examinatis, partibusque predictis jus sibi reddi postulantibus, dixit et pronunciavit, et per jus, quod Laurencius predictus sufficienter probaverat, super hoc, intencionem suam contra dictum Johannem, et quod dictus Johannes litteram predictam, tamquam penitus exolutam et adimpletam, reddet Laurencio predicto, et quod, pro residuo, quod idem Laurencius dicit se plus exolvisse de summa in dicta littera contenta, ipse dictum Johannem, si voluerit, insequetur; a quo judicato, tam-

[1] Lisez *rursus*.

quam falso et pravo, extitit ad nostram curiam, ex parte dicti Johannis, appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum male judicasse et dictum Johannem bene appellasse, et quod dicte cause principalis cognicio in parlamento Parisius, remanebit. PHILIPPE V. 1318.

Mercurii post Brandones.

XVII. Cum Rogerius Flamingi, campsor de Parisius, proponeret, coram preposito Parisiensi, contra Stephanum Benedicti, chanterium, dictum Stephanum et ejus uxorem, et quemlibet eorum in solidum, eidem in summa sexies viginti [et] quindecim libras Parisienses fore obligatos, ex causa vendicionis unius equi et trium capellorum, cum lapidibus preciosis, et per litteras, sigillo prepositure Parisiensis sigillatas, super hoc confectas, et peteret litteras predictas, super bonis eorumdem, per eumdem prepositum, secundum continenciam earumdem, mandari execucioni, Stephano predicto, pro se et dicta uxore sua, ad finem quod littera predicta omnino annullaretur, et eciam quod, per viam execucionis, idem campsor non posset se juvare de eadem, et eciam quod contractus, in ea contentus, usurarius pronunciaretur, inter cetera, proponente, dictum Rogerium esse usurarium manifestum, et solitum usurarios exercere contractus, ac eumdem Rogerium dictum Stephanum decepisse et circonvenisse in contractu predicto, pro eo quod, de equo quam sibi vendiderat et tradiderat idem Rogerius, per manum cujusdam Lumbardi, prosenete ejusdem Rogerii, pro precio triginta quinque librarum Parisiensium, ipse tantummodo sexdecim, et de dictis capellis, quos ab eodem receperat, pro precio centum librarum, ipse tantummodo quadraginta libras Parisienses habuerat, rursus et quod postquam, a carcere prepositi predicti, in qua, ad requestam dicti Rogerii, fuerat positus idem Stephanus, ob debitum predictum, liberatus fuerat, Rogerius et Stephanus predicti compromiserant, super hiis, in certas personas, propter quod compromissum, ex quo super eodem com-

PHILIPPE V, 1318.

promisso, littere erant facte et sigillate de consuetudine Castelleti, quam ipse notoriam proponebat, ipse vie execucioni renunciaverat, premissa et alia in factis ejusdem, coram dicto preposito, traditis, plenius contenta, coram eodem se offerente, si inficiata forent per partem adversam, probare paratum, et jus, super hoc, sibi fieri petente; prepositus predictus, visis et auditis parcium racionibus, per suum judicium, pronunciavit quod dicte littere obligatorie, contra dictum Stephanum, non obstantibus propositis in contrarium, mandarentur execucioni; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ad nostram curiam dictus Stephanus appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum male judicasse et dictum Stephanum bene appellasse, et quod dicte principalis cause cognicio in parlamento, Parisius, remanebit.

Mercurii post Brandones.

B. de Albia [reportavit].

XVIII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem abbatis et conventus de Camera-Fonte, contra procuratorem Johannis de Guines, domini de Feritate-Au-Coul, Petri de Pastura et Collardi de Traimes, servientum dicti militis, super eo quod, ad nemus seu locum dictorum religiosorum qui locus dicitur La-Haie, qui est de pertinenciis domus sue de Rongeul, et est situs infra metas vicecomitatus et ressorti prepositure Parisiensis, movetque, est et fuit de fundamentis et propria hereditate dicte abbatie, in nostra gardia speciali, ut asserebat dictus procurator, tam in capite quam in membris existentis, in quibus locis ipse dicebat dictos religiosos esse et fuisse ab antiquo in possessione scindendi et explectandi dictum nemus, tociens et quociens sibi placuerit et placet, necnon ibidem omnimodam altam et bassam justiciam exercendi, dicti servientes, de mandato dicti militis et ballivi sui, de novo venerunt, et ibidem tres equos et unum jumentum, lignis honeratos, scindentes eciam,

nomine dictorum religiosorum, dicta ligna et vadia sua, in prejudicium et gravamen non modicum dictorum religiosorum, turbando eos in sua justa possessione, novitates sibi ex hoc indebitas inferendo, ceperunt, et in prisionem dicti militis violenter duxerunt, quare petebat dictus procurator predictos militem, ballivum et servientes, per dictum prepositum, ad restitucionem predictorum, modo debito, faciendam, condempnari et compelli, cum dampnis et deperditis que, ex hoc, passi sunt religiosi predicti, et quod emenda condigna sibi et nobis fieret, racione dicte gardie nostre, per dictos servientes, de mandato dictorum militis et ballivi fracte, seu violate, ut dicebant, plures raciones, ad finem predictum, proponendo; procurator vero dictorum militis et servientum, coram dicto preposito, plures raciones ex adverso proposuit, ad finem quod curia et cognicio cause hujusmodi remitterentur dicto militi, tamquam illi, qui asserit dicta loca de La-Haye et de Rongeul esse et fuisse, a longo tempore, de gardia sua speciali, et se esse in saisina ibidem omnimodam altam et bassam justiciam exercendi; pluribus igitur racionibus et replicacionibus, ex utraque parte, super hoc, propositis, dictus prepositus, auditis hinc inde propositis, visisque diligenter processibus antedictis, per suum judicium, pronunciavit curiam et cognicionem predictorum nobis remanere debere; a quo judicato, tamquam falso et pravo, procurator dictorum militis et servientum ad curiam nostram appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus antedictis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et procuratorem dictorum militis et servientum male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Mercurii post Brandones.

M. Guillelmus Droconis reportavit.

XIX. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Petronillam, uxorem Gileberti de Belvaco, cum auctoritate dicti mariti sui eidem prestita, ex una parte, et Radulphum de Cerenz, ex altera, super eo

PHILIPPE V, 1318.

quod dicta Petronilla dicebat et proponebat, contra dictum Radulphum, quod defuncta Gila, uxor quondam dicti Radulphi, ac ipsa Petronilla fuerant filie et heredes defuncti Gaufridi de Corona et ejus quondam uxoris, una cum aliis liberis eorumdem, videlicet Johanneto, Gefrino et Johanneta, et quod dicta Gila, absque herede, ex proprio corpore procreato, decesserat, saisita et vestita, pro indiviso, medietate omnium bonorum mobilium et immobilium, inter ipsos Radulphum et Gilam, communium, tempore decessus dicte Gile; Item, quod, per obitum ejusdem Gile, dicta Petronilla, tamquam soror et heres proximior ejusdem Gile, saisita et vestita remanserat medietate omnium bonorum predictorum, excepta quarta parte dicte medietatis ad predictam Johannetam, ejus sororem, spectante, maxime cum tunc alius heres, super hoc, non appareret, de notoria consuetudine ville Parisiensis, per quam dicitur quod mortuus saisit vivum, et, ob hoc, dicta Petronilla fecisset, per dictum prepositum, dicta bona sigillari et arrestari, ad illum finem quod, de ipsis bonis arrestatis et non arrestatis, fieret divisio, et, ea facta, quod ipsa Petronilla tres partes medietatis predicte, que ad eam, ex causis predictis, pertinebant, ut dicebat, haberet, et ex istis causis peteret ipsa Petronilla, cum auctoritate predicta, per dictum prepositum, declarari dictas tres partes medietatis bonorum predictorum ad eam pertinere, vel saltem illud quod ex predictis posset eam tangere, pro sua porcione et pro dicta medietate, dictumque Radulphum condempnari et compelli ad faciendum sibi partem et divisionem de bonis predictis, sicut premissum est, pro rata ipsam Petronillam in eis contingente predicto Radulpho, ad finem quod predictum arrestum amoveretur, per dictum prepositum, ad predicta se opponente, et inter cetera proponente quod, post obitum dicte Gile, facto inventario de bonis predictis, memorati Gilebertus et Petronilla quitaverunt, sub certis modo et forma, dictum Radulphum de bonis omnibus supradictis, pro omni parte seu porcione que ad heredes dicte Gile pertinere poterat in eisdem, pro sex libris parvorum Burgensium, quas idem Radulphus obtulerat se paratum solvere et tradere dictis conjugibus, et quod eas in-

juste et sine causa recipere recusaverant, ut dicebat; lite igitur, coram dicto preposito, a dictis Petronilla et Radulpho, super hoc, contestata, testibus, super hoc, hinc inde productis, pluribus racionibus juris et facti hinc inde propositis, ac in dicta causa concluso, tandem dictus prepositus, visis actis dicte cause, predictum Radulphum ab impeticione predicta dicte Petronille, uxoris dicti Gileberti, sentencialiter absolvit, mediantibus sex libris Burgensium vel Turonensium solvendis a dicto Radulpho conjugibus supradictis, pronunciavit insuper, et dixit quod dicti conjuges, aut saltem dictus Gilebertus assignabit sufficienter dictum Radulphum de quitacione predicta; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ex parte dicte Petronille, ad nostram curiam extitit appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis hujusmodi, et visis processu dicte principalis cause, ac judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, in quantum tangit dictam Petronillam tantummodo, bene judicasse et dictam Petronillam male appellasse, et quod ipsa hoc emendabit.

Philippe V, 1318.

Mercurii post Brandones.

XX. Cum, lite mota, coram ballivo episcopi Parisiensis, inter Bochardum de Laval, militem, ex una parte, et Johannem de Chambli, armigerum, ex alia, super eo videlicet quod dictus Johannes requirebat quod dictus miles reciperet eum ad fidem et homagium de quadraginta libratis redditus, quas ipse capiebat super portu et pedagio de Conflans, racione domicelle Johanne, uxoris sue, existentes in feodis dicti militis et in retrofeodis dicti episcopi, et tamdiu fuisset in dicta causa inter dictas partes, coram dicto ballivo, processum, quod dies veneris post festum sancti Luce, anno Domini millesimo trecentesimo decimo sexto, fuit assignata dicto militi, ad dicendum contra testes dicti Johannis in dicta causa productos, ad quam diem veneris dictus miles, quia minime comparuit, dicto Johanne, per procuratorem suum sufficienter comparente, fuit positus in defectu; posteaque dictus Johannes fecisset adjornari dictum militem, coram

PHILIPPE V, 1318.

eodem ballivo, ad videndum judicari profectum dicti defectus, et ad procedendum ulterius, in dicta causa, ad certam diem, ad quam diem procurator dicti Johannis dixit et proposuit quod ipse lucratus fuerat suam causam, ob dictum defectum, vel saltim quod dictus ballivus procedere debebat ad diffinitivam in dicta causa, absque eo quod dictus miles admitteretur amodo ad dicendum in testes dicti Johannis, procuratore dicti militis se opponente in contrarium, et plures raciones proponente, ad finem quod dicte cause processus in totum anichillaretur, vel saltem quod dictus defectus sibi nocere non deberet, et quod, eo non obstante, ipse admitteretur ad dicendum in testes dicti Johannis ut prius, et quod, ad hoc, sibi debebat dies assignari; lite igitur, super premissis, legittime contestata, jurato hinc inde, testibus hinc inde productis, receptis, juratis, examinatis et publicatis, certa die assignata dictis partibus ad audiendum jus, super dicto defectu, et ejus utilitate petita, procuratoribus utriusque partis sufficienter comparentibus, dictus ballivus, per suum judicium, pronunciavit quod, propter dictum defectum, quem dictus Johannes habuerat, contra dictum militem, ipse procederet ad diffinitivam, per deposiciones testium dicti Johannis, non obstantibus quibuscumque racionibus, ex parte dicti militis, in contrarium propositis; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dictus miles ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque earum processibus et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, fuit dictum predictum ballivum bene judicasse, dictumque appellantem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et quod dicte partes, super earum principali causa predicta, revertentur ad ballivum predictum.

Mercurii post Brandones.

Magister Richardus de Bosco reportavit.

Remissus fuit dictus processus ad ballivum predictum.

XXI. Mota controversia, coram preposito Parisiensi, inter Acelinam de Mullento, ex una parte, et Habertum de Lione et Jaqueli-

nam de Meullento, ejus uxorem, sororem et heredem defuncti magistri Johannis de Mullento, ex altera, super eo quod dicta Acelina petebat quintam partem cujusdam domus, site Parisius, in magno vico de Castro-Festu, et cujusdam molendini, siti ad cuspidem jardini nostri, que defunctus magister Johannes de Mullento, dum vivebat, inter cetera bona sua, tenebat, quam quidem quintam partem domus et molendini dictus magister Johannes, in suo testamento seu ultima voluntate, eidem Aceline legaverat, ut ipsa dicebat, et petebat, per dictum prepositum, declarari dictam quintam partem ad se pertinere, ex causa legati predicti, dictosque Habertum et Jaquelinam, tamquam heredes in solidum dicti defuncti Johannis, condempnari et compelli ad deliberandum et tradendum eidem Aceline dictam quintam partem domus et molendini predictorum, cum fructibus et emolumentis dicte quinte partis, a dictis conjugibus, a tempore mortis dicti magistri Johannis, exinde perceptis, plures raciones, ad finem predictum, pro se contra dictos conjuges proponendo, dictis vero conjugibus plures raciones, coram dicto preposito, proponentibus ex adverso, ad illum finem quod ipsi a peticione predicta ipsius Aceline absolverentur; pluribus racionibus propositis, super hoc, hinc inde, tandem, auditis hinc inde propositis, conclusoque in causa predicta, et viso dicte cause processu, idem prepositus, per suum judicium, pronunciavit quintam partem dictorum domus et molendini ad dictam Acelinam pertinere, dictamque Jaquelinam que, post mortem dicti Haberti, mariti sui, causam hujusmodi, in statu in quo erat, ante mortem ipsius, resumpsit, tamquam heredem dicti magistri Johannis, ad reddendum et tradendum dicte Aceline dictam quintam partem domus et molendini predictorum, per idem judicium, condempnavit, necnon et ad reddendum eidem Aceline octo libras Parisienses, pro quolibet anno, racione fructuum dicte quinte partis domus predicte, a dictis conjugibus, a tempore mortis dicti magistri Johannis, perceptorum, deducta quinta parte census et aliorum omnium realium in quibus est dicta domus onerata, necnon quintam partem emolumentorum dicti molendini, a dictis con-

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V. 1318.

jugibus, a tempore mortis dicti defuncti Johannis usque ad tempus dicti judicati prepositi predicti, a dictis conjugibus perceptorum, usque ad estimacionem de qua dicta Acelina poterit, coram dicto preposito, legittime docere; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicta Jaquelina ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in causa appellacionis predicte, dictis partibus, in curia nostra, visisque processibus antedictis et judicato predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictam Jaquelinam male appellasse, et quod hoc emendabit dicta appellans.

Mercurii predicta.

G. Droconis reportavit.

XXII. Lite mota, coram nostro Petragoricensi et Caturcensi senescallo, inter decanum et capitulum ecclesie Sancti-Andree Burdegalensis et eorum procuratorem, ex parte una, et Johannem Tandum, Johannem de Caseriis et ceteros consortes suos de parrochia de Cadaniaco, Burdegalensis dyocesis, ex parte altera, super eo quod dicti decanus et capitulum proponebant, contra dictos homines et consortes suos, quod, dictis decano et capitulo existentibus, una cum bonis et rebus suis, in et sub speciali gardia nostra, palam, notorie et ab antiquo, dicti homines vel aliqui ex ipsis, pro se et aliis ratum habentibus, juvantibus et efficientibus, auctoritate seu temeritate propria, ceperunt Galhardum de Falgeriis, prepositum tunc pro dictis decano et capitulo loci de Cadaniaco, Burdegalensis dyocesis, et Guillelmum de Sancto-Laurencio, servientem dictorum decani et capituli, cui Galhardo tunc suberat dictus serviens, racione prepositure predicte, cujus loci omnimoda juridicio spectat et spectabat tunc solis et in solidum decano et capitulo supradictis, et dictos prepositum et servientem in compedibus ferreis ipsorum decani et capituli posuerunt, et, per aliquos dies, captos tenuerunt, ibidem privatum carcerem faciendo, et carcerem ipsorum decani et capituli, dominorum suorum, per violenciam usurpando. Item, proponebant quod quoddam instrumentum seu cartam, jus dictorum decani et

capituli continentem, in loco de Cadaniaco predicto, quam cartam dicti prepositus et serviens, pro jure capituli, conservabant, dicti homines per violenciam abstulerunt, et adhuc penes se habent, et eamdem detinent, in magnum dampnum, prejudicium et substractionem in posterum juris decani et capituli predictorum; item, quod dicti homines quoddam nemus decani et capituli predictorum, vocatum lo Plegaditz, prope Cadaniacum situatum, scinderunt et dissipaverunt, ac dampnum in eodem nemore dederunt usque ad valorem ducentarum marcharum argenti, contra nostram gardiam supradictam. Item, proponebant, contra Johannem de Servinhaco et homines supradictos quod ipsi impediebant dictos decanum et capitulum et perturbabant quominus ipsi, sua bassa justicia, libere uti possent, de qua ipsi sunt in possessione vel quasi; quare petebant decanus et capitulum supradicti dictos homines de tantis excessibus puniri et in emendam condignam dicto capitulo, ad estimacionem ducentarum marcharum argenti, condempnari, et dictam cartam ab eisdem hominibus sibi reddi et a predictis perturbacionibus et inquietacionibus eosdem homines prohiberi, et in mille marchis argenti, racione dicte garde nostre, erga nos condempnari, dictis hominibus plures raciones et defensiones, ad sui excusacionem et ad finem quod ipsi absolverentur a predictis, sibi, per dictos decanum et capitulum impositis, proponentibus ex adverso; tandem, coram senescallo predicto, lite, per predictas partes legittime, super hiis, contestata, jurato de calumpnia, productis testibus hinc et inde, conclusoque in causa predicta, dictus senescallus, per suum judicium, condempnavit procuratores predictorum hominum, tam pro se quam nomine procuratorio hominum predictorum, et ipsos homines in personas procuratorum predictorum, ad reddendum et restituendum parti decani et capituli predictorum cartam seu instrumentum predictum, necnon dictum Johannem et consortes suos, in personis dictorum procuratorum suorum, et ipsos procuratores, nomine eorumdem, ne ipsi deinceps predictos decanum et capitulum et eorum officiales perturbent in sua predicta possessione vel quasi, modo aliquo, condempnavit eciam, per idem

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318. judicium, procuratores predictos et, in eorum personas, homines supradictos, ad dandum et solvendum, parti dictorum decani et capituli, centum libras Turonensium parvorum, pro satisfactione et emenda dampnorum et excessuum predictorum, necnon et in trecentis libris Turonensium parvorum, nobis applicandis, pro emenda et satisfactione fractionis et violacionis dicte salve-garde nostre et aliorum excessuum predictorum, ac eciam parti dicti decani et capituli, in expensis presentis litis, earum taxacione sibi reservata et in decem libris Turonensibus, pro gagio bajuli; a quo judicato, tamquam ab iniquo, dicti procuratores hominum predictorum ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, visoque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos homines seu eorum procuratores male appellasse et dictum senescallum nostrum bene judicasse, et quod dictum judicatum ex integro mandabitur execucioni, et quod hoc emendabunt appellantes predicti.

Mercurii post Brandones.

M. R. de Sancto-Benedicto reportavit.

XXIII. Cum, coram magistro Johanne de Halis, domini Regis clerico, ac Gaufrido de Vitriaco, cive Parisiensi, in castellaniis de Pissiaco et de Castro-Forti, pro patrie reformacione et officialium domini Regis correpcione, per domini Regis litteras, sub certa forma, deputatis, deposita fuisset querela, per Johannem Lamarre, contra tunc majorem de Pissiaco, et specialiter contra Johannem Humberti, super eo quod dictus Johannes Lamarre petebat condemnari et compelli, per dictos commissarios, dictum majorem ad reddendum et solvendum quatuordecim libras, per eumdem majorem levatas a Roberto Senescalli et quadraginta libras ipsi Johanni Lamarre, pro dampnis que dicebat idem Johannes Lamarre se incurrisse, pro eo quod ipse, super premissis, diu litigaverat et adhuc litigabat, nec volebat dictus major sibi facere jus, super hoc, dictis majore et Johanne Humberti plures raciones in contrarium proponentibus, per quas ipsi dicebant quod

peticio dicti Johannis Lamarre minime concludebat, et, dato eciam quod concluderet, quod ipsi ad premissa minime tenebantur; auditis igitur predictis partibus, coram dictis commissariis, receptisque pluribus testibus, per partem dicti Johannis Lamarre, super hoc, productis, concluso in causa predicta, quare dicti commissarii quid, super premissis, faciendum esset dubitaverunt, ipsi dictum processum, cum partibus, ad nostram curiam remiserunt : Quo processu, in presencia dictarum parcium et de consensu earum, per curiam nostram, recepto, visoque et diligenter examinato, quia, per eum, inventum est dictum Johannem Lamarre ineptam peticionem fecisse, contra dictos majorem et Johannem Humberti, quamtum ad dictas quatuordecim libras petitas, dicta curia nostra, per suum judicium, absolvit dictos majorem et Johannem Humberti ab instancia processus predicti, salvo dicto Johanni Lamarre quod ipse, super predictis, iterato aptam peticionem possit facere, contra dictos reos, coram judice competenti, si et quando sibi visum fuerit expedire; quamtum vero ad dictas quadraginta libras, racione dampnorum predictorum petitas, quia, quamtum ad eas, dictus Johannes Lamarre nichil de intencione sua probavit, curia nostra, per idem judicium, dictos reos ab impeticione ipsius actoris absolvit.

Philippe V. 1318.

Mercurii post Brandones.

M. P. Boelli reportavit.

XXIV. Lite mota, coram preposito curie secularis episcopi Parisiensis, inter Johannem Lamberti, alias dictum de Masticone, ex una parte, et Johannem et Galcherum de Ruel, fratres, ex altera, super eo quod dictus Johannes Lamberti, ut heres, sicut dicebat, defuncti magistri Lamberti de Masticone, patris sui, petebat predictos Johannem et Galcherum, ut heredes defuncti Galcheri de Ruel, patris eorum, condempnari et compelli ad sibi solvendum quasdam pecuniarum summas, in quibus dictus Johannes Lamberti dicebat patrem dictorum reorum fuisse condempnatum, per judicium curie nostre, erga dictum magistrum Lambertum, patrem ipsius actoris,

Philippe V, 1318.

tempore quo ipsi vivebant, dictis fratribus, inter cetera, e contrario proponentibus quod ipsi erant clerici et in possessione clericalis tonsure, non cônjugati neque mercatores, quare, cum actio hujusmodi esset personalis, ipsi dicebant dictum prepositum non posse cognoscere, super hoc, inter ipsos, sed petebant se ad examen officialis Parisiensis, ordinarium ipsorum, remitti; dicto Johanne Lamberti plures raciones ex adverso proponente, ad finem quod dicti rei juridicionem dicti prepositi minime poterant, super hoc, declinare; quibus racionibus hinc inde propositis, auditis et examinatis, dictus prepositus, interloquendo super hoc, per suum judicium, pronunciavit quod dicti fratres tenebantur respondere, coram ipso, peticioni predicte dicti actoris, non obstantibus propositis per eosdem, de quo judicato dicti fratres pecierunt emendamentum ballivi episcopi predicti, in cujus ballivi presencia, in causa dicti emendamenti constitute, partes predicte renunciaverunt predicto judicato, et voluerunt quod dictus ballivus faceret eis jus, super dicta declinatoria, secundum acta et proposita in scriptis, coram preposito predicto, ad quod jus reddendum, auditis partibus, fuit per dictum ballivum, dictis partibus et, de consensu earum, coram ipso, certa dies assignata, qua die dictus ballivus informatus, ut dicebat, quod dicti fratres erant clerici et notorie ut clerici se gerebant, per suum judicium, pronunciavit quod, pro eo quod dicta actio erat mere personalis et dicti fratres erant clerici, non tenebantur dicti fratres respondere peticioni dicti Johannis, coram ipso ballivo, tamquam coram judice seculari; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dictus Johannes Lamberti ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in dicta appellacionis causa, visoque et diligenter examinato processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit bene judicatum fuisse, per dictum ballivum, et male appellatum fuisse, per dictum Johannem Lamberti, et quod hoc emendabit dictus Johannes appellans.

Mercurii post Brandones.

M. P. Boelli reportavit.

XXV. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter Alipdim, relictam defuncti Ferrici Tacherii, quondam militis, Thomassinum, Odardum et Johannetam, filios et heredes conjugum predictorum, ex parte una, et Ludovicum Ferrici, filium quondam dicti militis, procreatum ex Juliana, sua prima uxore, ex parte altera, super eo quod dicta Alipdis, nomine suo et dictorum liberorum suorum, petebat saisinam cujusdam domus, cum ejus pertinenciis, site apud Gargias, que quondam fuerat dicti mariti sui, tempore quo vivebat, et de qua saisitus decesserat dictus miles, et de qua eciam dicta Alipdis dicebat se esse et fuisse in saisina, nomine suo et dictorum liberorum suorum, usque ad tempus impedimenti sibi, super hoc, impositi, sibi et dictis liberis adjudicari per prepositum antedictum, plures raciones quare hoc fieri debebat, super hoc, proponendo, dicto Ludovico e contrario proponente et predicta negante et plura proponente quare hoc fieri non debebat, dictusque prepositus, propter debatum parcium predictarum, in dictis bonis apposuisset manum suam; tandem, lite pendente, super dictis bonis, inter partes predictas, coram preposito supradicto, dicta Alipdis peciit sibi et dictis liberis suis recredenciam fieri de dictis bonis, plures raciones proponendo, quare dictus prepositus facere dictam recredenciam tenebatur, super quibus eciam dicta Alipdis plures testes produxit; tandem dictus prepositus, visis et attentis racionibus parcium predictarum, visis eciam deposicionibus testium, super hoc, productorum, dictus prepositus pronunciavit, per suum judicium, quod de dictis rebus contenciosis, inter dictam Alipdim, ejus liberos et Ludovicum predictum, recredenciam fieret dicte Alipdi et ejus liberis de medietate et de altera medietate Ludovico predicto; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Ludovicus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in nostra curia, partibus antedictis, in causa appellacionis predicte, visoque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Ludovicum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Mercurii post Brandones.

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

M. R. de Sancto-Benedicto reportavit.

XXVI. Lite mota, coram Parisiensi preposito, inter domicellam Heloidim de Liverdies, tam nomine suo quam nomine Agnetis, filie sue et defuncti Johannis de Guignecourt, quondam mariti sui, cujus ballum et gardiam ipsa Heloidis se habere dicebat, ex una parte, et Aubertum de Campis, militem, et Symonetum, ejus fratrem, ex altera, super eo quod, super certis convencionibus et acordis factis et habitis inter ipsam Heloidim et Adam de Clotonmont, fratrem suum, et quosdam alios amicos suos, ex parte una, et Agnetem dominam de Montfremal, matrem dicti Johannis, quondam mariti dicte Heloidis, ac ipsum Johannem et Guillelmum, fratrem suum, defunctum nunc, ex altera, in tractatu matrimonii faciendi inter ipsos Heloidim et Johannem, tam super certo dotalicio, per dictam dominam de Montfremal, in terra sua sive hereditate propria, eidem Heloidi assignando, quam super successione sive exchaeta ac primogenitura hereditatis et bonorum dicte domine, post mortem ipsius, communibus heredibus dictorum Johannis et Heloidis obveniendis quemadmodum ipsi Johanni obvenirent seu obvenire deberent, si, tempore mortis ipsius domine de Montfremal, matris sue, ipsum vivere contingeret, adimplendis et perficiendis, aliquo dictis convencionibus contrario non obstante, dicti Aubertus et Symonetus, fratres, se et sua obligaverunt super hiis adimplendis ac plegios principales completores et respondentes de plano et in solidum se complere et perficere promiserant, prout in litteris Castelleti Parisiensis, super dictis convencionibus et obligacionibus et aliis in eisdem litteris contentis, factis plenius contineri dicebat dicta Heloidis, tam nomine suo quam nomine predicte filie sue, seu procurator earumdem, ipsoque Johanne, marito suo, mortuo, Agnete, filia sua predicta herede sibi superstite, ipsa domina de Montfremal decesserat, quare successio sive exchaeta ipsius domine, cum jure primogeniture, ad dictam Agnetem devenerat, ut dicebat, et Allicia ac Johanna de Guignecourt, dicte domine filie, et mariti earumdem in successione

sive exchaeta predictis, ipsam Eloidim et ejus filiam adeo impediebant, licet injuste, quod in aliquo gaudere non poterant de eisdem, quod impedimentum dicti fratres, quamvis pluries requisiti, tollere seu tolli facere minime voluerant, dicentes se, ad premissa, pluribus racionibus, non teneri, super quibus, coram dicto preposito, lite legittime contestata, jurato de calumpnia, hinc et inde parcium racionibus et responsionibus auditis, testibus ab utraque parte productis, eorumque deposicionibus publicatis, renunciato ac concluso in causa predicta, certa die, ad difiniendum, super hoc, assignata, dictisque partibus in judicio presentibus, dictus prepositus, visis processu et litteris predictis, per suum judicium, condempnavit ipsos fratres erga dictam Eloidim, nomine filie sue predicte, ad complendum et perficiendum sive compleri et perfici faciendum convenciones de quibus dicta Eloidis insequebatur eosdem, et ad quas ipsi se obligaverant, per litteras Castelleti predictas; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicti fratres ad nostram curiam appellarunt: Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et auditis hinc inde propositis, visisque processu, litteris et judicato predictis, per ipsius curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictos Aubertum et Symonetum de Campis, fratres, seu eorum procuratores, male appellasse, et quod ipsi fratres hoc emendabunt. PHILIPPE V. 1318.

Mercurii post Brandones.

M. Iterius de Fano reportavit.

XXVII. Lite mota, coram dilectis et fidelibus nostris magistris dies Trecenses tenentibus, inter Johannem de Villaribus et Jaquetam, ejus uxorem, filiam defuncti Egidii de Silvanecto, ex una parte, et Guillelmum Poinceti, ex altera, super eo quod dicebat dictus Johannes, pro se et Jaqueta predicta, predictum Guillelmum gessisse tutelam et curam dicte Jaquete, uxoris sue, et bonorum ipsius administracionem habuisse, et, ob hoc, petebat dictum Guillelmum ad reddendum racionem dicte administracionis compelli, predicto Guil-

PHILIPPE V, 1318.

lelmo in contrarium proponente ad hoc nullatenus se teneri, per eosdem magistros Johanni Boichier de Joiaco et Petro de Saint-Bon mandatum extitit et commissum, ut ipsi, vocatis dictis partibus coram ipsis, visoque inventario facto de bonis dicte Jaquete, finalem compotum et racionem legittimam, de dictis tutela, cura et administracione bonorum, audirent et reciperent, et quicquid inde factum esset, ad diem comitatus Campanie presentis parlamenti, Parisius, sub suis interclusum sigillis, remitterent, ad videndum jus fieri in predictis, et partes ipsas ad dictam diem, super hoc, adjornarent, curiam nostram certificando de adjornamento predicto; vocatis igitur dictis partibus, certa die, coram ipsis, dictus Johannes proposuit ipsum Guillelmum ad reddendum racionem et finalem compotum de predictis compelli debere, cum tutelam et curam ipsius Jaquete gessisset et bonorum ipsius, ut dicebat idem Johannes, administracionem prefatus habuisset Guillelmus, dicebat eciam idem Johannes quod dictus Guillelmus quoddam acordum, inter dictam Jaquetam et Petrum de Rosay, tamquam tutor et tutorio nomine dicte Jaquete, fecerat, prout in duobus instrumentis, super hoc, confectis, dicebat plenius contineri, que sufficere proponebat dictus Johannes, ad hoc ut ad racionem de dicta administracione reddendam, et finalem ac legitimum de ea facere compotum teneretur, dicto Guillelmo, ex parte altera, proponente quod ipse administracionem bonorum ipsius Jaquete nunquam se ingesserat, nec aliquid receperat de eisdem, et, si in quodam instrumento, Mangotus Meresse, tunc major communie de Pruvino, ipsum Guillelmum, una cum quibusdam aliis, constituerat dicte Jaquete tutorem, illa de causa solum hoc fecerat quod dictus Guillelmus, qui patrem ipsius Jaquete multum dilexerat, tempore quo vivebat, ipsam Jaquetam a quibusdam suis oppressoribus, vellet protegere et tueri, et in causis suis eidem patrocinium impartiri, dicente insuper eodem Guillelmo quod illi qui administracionem bonorum ipsius Jaquete gesserant, tam tutorio dicte Jaquete quam executorio patris sui nomine, presentes erant divites homines et potentes ac confitentes se administracionem predictam gessisse, et

erant parati, super administracione predicta, bonum et legittimum reddere compotum et debitam racionem, quibus sic propositis, dicti commissarii, ad sancta Dei evvangelia, dictum Johannem de Villaribus jurare fecerunt dicere veritatem, si ipse sciret quod, de bonis dicte Jaquete, dictus Guillelmus aliqua recepisset, qui, deliberacione prehabita, per suum juramentum, respondit se ignorare si, de bonis predictis, ad dictum Guillelmum aliqua pervenissent, dixit tamen quod ipse audivit ab aliquibus dici quod decem libras vel duodecim, de bonis dicte Jaquete, habuerat prenominatus Guillelmus; deinde prenominati commissarii Petrum et Guillelmum de Silvanecto et Johannem de Gandeluz, qui dictam administracionem dicebantur gessisse, jurare fecerunt de dicenda, super hoc, veritate, qui, per eorum juramenta, dixerunt dictum Guillelmum nichil de bonis predictis habuisse seu recepisse quod ad eorum noticiam pervenisset; quibus sic actis, dicti commissarii, processum predictum ad parlamentum, Parisius, cum dictis partibus remiserunt, juxta sue commissionis tenorem : Auditis igitur, in curia nostra, super hoc, dictis partibus, visoque et diligenter examinato processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit Guillelmum Poinceti predictum ad reddendum aliquem compotum de tutela et administracione bonorum dicte Jaquete non debere compelli, predictum Guillelmum ab impeticione predicta dictorum conjugum sentencialiter absolvendo. PHILIPPE V, 1318.

Mercurii post Brandones.

M. P. Maillart reportavit.

XXVIII. Lite mota, in curia nostra, inter ballivum Silvanectensem, pro nobis, ex una parte, et abbatem et conventum monasterii Sancti-Vincencii Silvanectensis, ex altera, super eo quod dictus ballivus dicebat quod nos et ipse, nomine nostro, eramus et sumus in saisina et usu justiciandi, in casibus alte justicie, in villa Silvanectensi et extra, infra banleucam tamen dicte ville, et specialiter in terra et trefundis et tenementis dictorum religiosorum, quociens casus alte justicie contingerunt ibidem, procuratore dictorum religiosorum

Philippe V, 1318.

contrarium asserente, et dicente dictos religiosos, nomine dicti monasterii, esse et a longo tempore fuisse pacifice in saisina alte justicie, in terra, trefundis et tenementis dicti monasterii, sitis in villa predicta, quousque dictus ballivus, in predicta saisina, ipsos de novo impedivit, quare petebat dictus ballivus, nomine quo supra, per nostram curiam, pronunciari nos debere remanere in saisina justiciandi, in casibus dicte justicie, in terra, trefundis et tenementis dictorum abbatis et conventus, in villa predicta et extra, infra banleucam dicte ville; factis igitur articulis, super hoc, a dictis partibus, et curie nostre traditis, ipsa curia nostra, ad inquirendum, super hiis, veritatem, certos commissarios deputavit; qui commissarii, vocatis partibus, super hiis, suam fecerunt inquestam et eamdem inquestam nostre curie remiserunt judicandam; quam inquestam, vocatis partibus, curia nostra recepit : Auditis igitur, super hoc, in curia nostra, dictis partibus, visaque dicta inquesta ac diligenter examinata, cum, per eamdem inquestam, repertum extiterit intencionem dictorum religiosorum sufficienter, super hoc, fuisse probatam, et dictum ballivum intencionem suam, super hoc, non probasse, dicta curia nostra predictos religiosos, ab impeticione predicta dicti ballivi, per suum judicium absolvit, salva nobis in hujusmodi questione proprietatis.

Mercurii post Brandones.

M. Yvo de Veteri-Ponte reportavit.

XXIX. Orta dudum discordia, coram vicario Sumidrii in senescallia Belli-Cadri, inter Berangarium Talonis, minorem viginti quinque annis, cum auctoritate curatorum suorum, ex una parte, et Guillelmum de Fonte de Fontenaisio, ex altera, super eo videlicet quod dictus Berangarius proponebat matrem et avunculos suos, tutores quondam suos, dictum Guillelmum constituisse actorem ad agendum, defendendum et recipiendum debita que dicto Berangario, tunc pupillo, debebantur, dictumque Guillelmum a debitoribus suis plura et diversa debita recepisse, ac sua negocia, circa hoc, virtute dicte actorie, gessisse, dictosque tutores suos in ipsum Berangarium

omne jus et omnem actionem que habebant, contra dictum Guillelmum, occasione premissorum, cessisse et transtulisse, quare petebat dictus Berangarius dictum Guillelmum condempnari et compelli ad reddendum sibi racionem dicte sue administracionis et reliqua cum expensis predicte litis, dictus Guillelmus comparens in jure, coram judice supradicto, obtulit se paratum reddere racionem et compotum de predictis, ac eciam reddidit, confitendo se de debitis dicti Berangarii, per diversas particulas, usque ad summam quadringentarum et duodecim librarum recepisse, et de hoc tutoribus quondam dicti Berangarii trecentas et quaterviginti et septem libras tradidisse et solvisse, prout in duobus publicis instrumentis, super hoc, confectis plenius contineri dicebat, cumque postmodum, dictis partibus coram dicto judice comparentibus, dictus Berangarius assereret dictum Guillelmum plura alia, de bonis suis, recepisse, de quibus nullam racionem reddiderat, petens eum in carcere detineri quousque finalem compotum, super hoc, reddidisset, prout alias, per locum tenentem senescalli Belli-Cadri, ordinatum fuisse dicebat, dictus Guillelmus respondit quod suum compotum bene et legittime reddiderat, negans, per suum juramentum, se alia bona ad dictum Berangarium spectancia recepisse, et incontinenti dictus Berangarius, specificans plura bona que dicebat dictum Guillelmum recepisse et ipsum de illis nullum compotum reddidisse, super dictis bonis sic specificatis produxit plures testes, ac, super premissis, dictus judex dicto Berangario detulit juramentum veritatis, certa itaque die, postmodum, assignata dictis partibus, per dictum judicem, ad audiendum diffinitivam sentenciam, in negocio supradicto, dictus judex suam sentenciam diffinitivam protulit in hunc modum : Nos, judex predictus, considerantes quod dictus Guillelmus de Sancto-Justo, miles, tunc tenens locum senescalli Belli-Cadri, alias ordinavit quod Guillelmus de Fonte in carcere detineretur tamdiu donec racionem et compotum legittimum reddidisset de gestis et administratis per eumdem in officio dicte actorie, in primis decernimus seu pronunciamus dictum Guillelmum de Fonte in carcere domini Regis debere detineri donec plene et in-

PHILIPPE V. 1318.

Philippe V, 1318.

tegre restituerit quantitates pecunie et res superius confessatas. Item, pro dictis rebus et quantitatibus, per eumdem Guillelmum confessatis, in viginti quinque libris parvorum Turonensium, penes eumdem Guillelmum restantibus, de summa peccunie per eumdem Guillelmum superius confessata in hiis scriptis, dicto Berangario solvendis, sentencialiter condempnamus. Item, cum, per acta, appareat dictum Guillelmum maliciose celasse decem et octo boves, sex sextaria olei et duas asinas et unum asinum, ideo, pro premissis sic celatis, dictum Guillelmum dicto Berangario in centum et una libris parvorum Turonensium condempnamus, scilicet, pro dictis bobus, in octoginta, pro asinabus et asino, in quindecim, et pro dictis sex sextariis olei, in sex libris. Item, quare nobis constat dictum Berangarium multa dampna sustinuisse in prosecucione hujusmodi negocii, per maliciam dicti Guillelmi, ideo nos informati, tam per acta quam alias, de dampnis et interesse hujusmodi, delatoque juramento dicto Berangario, super hujusmodi interesse et expensis, qui juravit ea ascendere usque ad ducentas et quinquaginta libras Turonenses, nosque, precedente taxacione judiciali, refrenato dicto juramento usque ad sex viginti libras Turonenses, dictum Guillelmum de Fonte in sex viginti libris Turonensium parvorum, pro hujusmodi dampnis, expensis et interesse, post taxacionem nostram juratis per dictum Berangarium, eidem Berangario condempnamus, dictum Guillelmum ab impeticione dicti Berangarii, quantum ad residuum, absolventes. A quibus omnibus dictus Guillelmus, in quantum contra se faciebant, una voce et incontinenti appellavit ad eum ad quem, de jure, erat appellandum; cumque dictus Guillelmus coram senescallo Belli-Cadri suam appellacionem prosequens, coram ipso, in causa appellacionis hujusmodi, contra dictum Berangarium libellum edidisset, inter cetera continentem quod, cum, in dicta causa principali, nullus fuisset libellus editus nullaque litis contestacio, et sic dictus processus nullus esset, ipso jure, ut ipse dicebat, quare petebat per dictum senescallum pronunciari, si dicta sentencia fuerit aliqua, dictum judicem perperam et iniquam judicasse, aut si nulla reperiretur, per

eumdem pronunciari eam nullam esse et extitisse; dictus senescallus justa de causa impeditus, ut dicebat, dictam causam appellacionis commisit magistro Johanni de Bosco-Veteri, judici Vallanie, qui commissarius, in dicta causa, procedens, per suum judicium, pronunciavit appellacionem, per dictum Guillelmum de Fonte interpositam, fore injustam, ex eo quia sentencia, a qua fuit per ipsum appellatum, non tenuit, ipso jure, declarans, per suam diffinitivam sentenciam, primi judicis sentenciam esse nullam et quicquid secutum est ex eadem, a qua pronunciacione dictus Berangarius ad senescallum Belli-Cadri appellavit; qui senescallus, in dicta causa appellacionis procedens, sentenciam sui commissarii confirmavit, sentenciam primi judicis pronuncians nullam esse, tanquam latam contra solitum ordinem judiciorum, juris ordine non servato; a qua pronunciacione dictus Berangarius incontinenti, viva voce, ad nostram curiam appellavit, et, in causa appellacionis predicte, magistrum Guillelmum Ademari, judicem, a nostra curia impetravit; qui commissarius, cum vellet, in dicta causa appellacionis, procedere, dictus Guillelmus de Fonte dictum commissarium, tanquam sibi suspectum, recusavit, et incontinenti dictus commissarius, scilicet magister Guillelmus Ademari, injunxit dictis partibus ut ipse, super hoc, arbitros eligerent, et eisdem certam diem assignavit ad comparendum coram dictis arbitris, super dicta recusacione et super ea processure; a qua diei assignacione, tamquam injuste facta, per dictum magistrum Guillelmum, cum, per dictam recusacionem, dictum negocium esset, coram dictis arbitris, devolutum, ut idem Guillelmus de Fonte dicebat, idem Guillelmus ad nostram curiam appellavit; cui appellacioni idem commissarius deferens, quantum de jure erat deferendum, partes predictas ad nostram curiam remisit, eisdem diem ad proximum subsequens parlamentum prefigens, ad quem dicte partes in nostra curia compararent, videlicet ad diem senescallie Belli-Cadri; ad quem diem dictus Berangarius comparuit in nostra curia, dicto Guillelmo de Fonte minime comparente, propter quod ipse, per nostram curiam, fuit positus in defectu; mandavit eciam nostra curia predicto magistro Guillelmo

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

Ademari ut ipse processum habitum coram ipso, inter partes predictas, curie nostre remitteret, ut, super hoc, decerneret ipsa curia nostra quid esset racionis, et quod ad hoc diem dicte senescallie parlamenti sequentis dictis partibus assignaret; remisso itaque ad diem predictam dicto processu nostre curie, et dictis partibus, super hoc, adjornatis et in curia nostra comparentibus, et auditis, super hiis, que voluerunt proponere, et demum consencientibus dictum processum per nostram curiam judicari: Viso dicto processu et diligenter examinato, quia repertum est dictum Guillelmum, post dictam suam appellacionem ad nostram curiam interpositam, fuisse positum in defectu, per curie nostre judicium, fuit dictum quod dictus Guillelmus a sua dicta appellacione ad nostram curiam interjecta omnino ceciderat, et esse perinde ac si ipsum dictum magistrum Guillelmum Ademari nullatenus recusasset. Item, cum repertum fuerit dicte cause processum, coram dicto primo judice habitum, et sentenciam ab eo latam, aliquos esse et fuisse, per idem judicium, fuit dictum predictos senescallum Belli-Cadri et ejus commissarium male pronunciasse, pronunciando sentenciam a dicto primo judice latam nullam fuisse, et in hoc dictum Berangarium bene et legittime ad nostram curiam appellasse. Item, cum, per sentenciam dicti prioris judicis, appareat dictum primum judicem condempnasse dictum Guillelmum de Fonte in decem et octo bobus, sub estimacione quaterviginti librarum Turonensium dicto Berangario solvendis, licet non reperiatur, per eumdem processum, dictum Berangarium nisi solum novem boves habuisse, reperiatur eciam in dicta sentencia dictum primum judicem condempnasse dictum Guillelmum in tribus asinis, sub estimacione quindecim librarum Turonensium, dicto Berangario solvendis, licet de dictis asinis nichil inveniatur sufficienter probatum in dicto processu, per idem judicium, fuit dictum predictum primum judicem, quoad novem boves et tres asinos, sub estimacione quinquaginta quinque librarum Turonensium, male judicasse, dictum Guillelmum bene appellasse, dictasque quinquaginta quinque libras esse de condempnacione dicti primi judicis deducendas, et, per idem

judicium, fuit sentencia dicti primi judicis in residuo confirmata. Philippe V. 1318

Tricesima die marcii.

M. J. de Goy reportavit.

XXX. Lite mota, coram majore layco curie secularis ecclesie Sancti-Mederici Parisiensis, inter Girardum de la Celles, ex una parte, et Natalem Duchesnoy, ex altera, super eo quod dictus Girardus dicebat, contra dictum Natalem, quamdam domum, sitam Parisius, in vico qui dicitur Vicus novus Sancti-Mederici, contiguam domui Matildis dicte Lanfent, ex una parte, et domui Guillelmi Cordubenarii, ex altera, infra justiciam predicte ecclesie Sancti-Mederici, de qua, inter ipsas partes, fuit facta ostensio, ad ipsum Girardum, tamquam ad proximiorem heredem sive successorem defuncte Matildis, neptis sue, filie quondam defunctorum Guillelmi de Brunay et Johanne, ejus uxore, sororis dicti Girardi, solum et insolidum, ex successione ipsius Matildis devenisse et ad ipsum ex causa predicta, pluribus racionibus juris et facti, ab ipso propositis et traditis coram dicto majore, pertinere; ideoque petebat a dicto majore quod ipse, per suam diffinitivam sentenciam, declararet dictam domum, cum suis pertinenciis omnibus, et proprietatem ejus, ad ipsum Girardum pertinere, tamquam suam, dictumque Natalem, dictam domum, injuste et in sui prejudicium detinentem, teneri tradere et liberare eidem Girardo saisinam et possessionem ejusdem domus, ita quod idem Girardus de ea posset gaudere et eam explectare pacifice, et ad predicta dictum Natalem compelli, dicto Natali ex adverso et ad finem absolucionis sue, super hoc, obtinende, proponente plures raciones juris et facti ab eo traditas in judicio, coram majore predicto; lite inter ipsas partes, coram dicto majore, super hoc, contestata, jurato de calumpnia, testibus hinc inde productis, examinatis et publicatis, auditis et visis omnibus que dicte partes proponere et tradere, super hoc, voluerunt, dictus major, per suum judicium, pronunciavit dictum Girardum intencionem suam, contra dictum Natalem, sufficienter probasse, condempnans dictum Natalem eidem Girardo in predictis

PHILIPPE V, 1318.

per eum petitis; super quo judicato dictus Natalis peciit correccionem majoris canonici dicte secularis curie ecclesie Sancti-Mederici predicte; qui major canonicus, confirmando predictum judicatum dicti majoris layci, pronunciavit ipsum majorem laycum bene judicasse, et dictum Natalem male suam correccionem peciisse; a quo judicato confirmatorio dicti majoris canonici, tamquam falso et pravo, idem Natalis ad decanum et capitulum Parisienses, superiores justicie secularis dicte ecclesie Sancti-Mederici, appellavit, cujus appellacionis causa commissa fuit a dictis decano et capitulo cuidam canonico ecclesie Parisiensis, per eorum secularem curiam audienda et decidenda; qui commissarius, virtute commissionis sibi facte, super hoc, a dictis decano et capitulo Parisiensibus, per suum judicium, in curia seculari dicte Parisiensis ecclesie, pronunciavit predictum majorem laycum male pronunciasse, pro dicto Girardo, contra dictum Natalem, dictumque majorem canonicum judicatum predictum dicti majoris layci male confirmasse, ac dictum Natalem, super hoc, bene appellasse, absolvens, per idem judicium suum, dictum Natalem ab impeticione predicta dicti Girardi, facta coram majore layco supradicto; a quo judicato dicti commissarii, tamquam falso et pravo, predictus Girardus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus in curia nostra, in causa appellacionis predicte, ac visis diligenter processibus inter dictas partes factis, in causis predictis, per judicium curie nostre, dictum fuit predictum commissarium curie secularis dicte ecclesie Parisiensis male pronunciasse, dictumque Girardum bene appellasse, et quod curia secularis dicte ecclesie hoc emendabit.

Tricesima die marcii.

M. P. de Bona-Valle reportavit.

XXXI. Inquisicionis causa, in curia nostra de Naiaco, senescallie Ruthenensis, presente procuratore nostro, ad denunciacionem Bernardi Capitis-Bovis, servientis nostri, in senescallia Carcassone agitata, contra Remundum Ademari de Naiaco, super hoc quod idem Bernardus denunciando proponebat quod, cum, quadam die, ipse Bernardus

veniret apud Naiacum, dictus Remundus, in itinere publico domini Regis exiit obviam ipsi Bernardo, et animo excogitato, evaginato gladio, impetuose et injuriose irruit contra ipsum, volens eum, ut videbatur, interficere, nisi quidam supervenientes, a casu, ibidem se posuissent inter eos, et quod eciam hiis non contentus, idem Remundus iterum paulo post insidiose, evaginato ense, invasit eumdem, nitens ipsum interficere pro posse, si non fuisset ab astantibus deviatus, super quibus, vocato dicto Remundo, auditis in judicio confessionibus et defensionibus ipsius, inter cetera, proponentis quod, si que de predictis per eum facta fuisse invenirentur, ea ad sui defensionem fecerat, et non alias, necnon dicentis quamdam legem municipalem scriptam esse inter consuetudines de Naiaco, dicentem expresse quod si quis traxerit sive evaginaverit gladium contra aliquem, percusserit sive non, dum tamen mors non sequatur, ipse solvet sexaginta solidos Turonenses, pro emenda, et satisfaciet leso, liteque super hinc inde propositis legittime contestata, jurato de calumpnia, testibus, super hoc, productis, juratis et examinatis, renunciato et concluso in ipsa inquesta, certa die ad diffiniendum, super hoc, precise et peremptorie assignata, qua die presente dicto Remundo in nostra curia de Naiaco, coram senescallo Ruthenensi, et sentenciam fieri cum instancia postulante, idem senescallus suam diffinitivam sentenciam protulit in hunc modum : Quia nobis constat Remundum Ademari excessisse in personam Bernardi Capitis-Bovis, idcirco dictum Remundum in viginti libris Turonensibus domino Regi, et in quinquaginta solidis ipsi Bernardo, pro dampnis sibi illatis et expensis per ipsum factis, et bajulo in sexaginta decem solidis Turonensibus, pro jure suo, et notario dicte curie, in viginti solidis dandis et solvendis, hac diffinitiva sentencia condempnamus. A qua sentencia dictus Remundus, tamquam ab iniqua, ad nostram curiam appellavit : Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et auditis hinc inde propositis, visisque dicti Bernardi denunciacione ac responsionibus et defensionibus ipsius Remundi, viso tocius dicte cause processu, necnon et sentencia ac appellacione

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

predictis, per dictum senescallum curie nostre missis, per curie nostre judicium, dictum fuit bene fuisse judicatum per dictum senescallum, et male appellatum fuisse per dictum Remundum, et quod hoc emendabit idem appellans.

Tricesima die marcii.

Magister Yterius de Fano reportavit.

XXXII. Cum, super eo quod habitatores ville Cathalanensis, ad solvendum nobis decem millia librarum Turonensium, et Girardo de Praellis, quondam preposito nostro Laudunensi, duo millia ejusdem monete, racione emendarum certorum excessuum et rebellionum, necnon et injuriarum eidem preposito, in ejus lesionem et nostri contemptum, factorum, per arrestum nostre curie, fuerunt condempnati, ut in eodem arresto plenius continetur, ipsi habitatores dicerent homines Sancti-Manii prope Cathalanum, in banno episcopi Cathalanensis commorantes, una cum eis contribuere debere ad predicte peccunie summas persolvendas, tamquam illi qui de habitatoribus ville Cathalanensis reputantur, et eorum communitati erant et hactenus fuerant conjuncti, ac, in casibus similibus et aliis talliis sive collectis alias, per ipsos, pro necessitatibus ville Cathalanensis, factis, contribuere consueverant, et conjonctim, una cum eis, fuerant citati, Parisius, pro excessibus antedictis, parte dictorum hominum de Sancto-Manio ex adverso proponente quod ipsi non erant habitatores dicte ville, nec eis erant in aliquo conjuncti, nec consortes, conscii aut culpabiles excessuum predictorum, nec umquam consueverant, aut alias compulsi fuerant contribuere in emendis, talliis aut aliis necessitatibus dicte ville, immo immunes et liberi semper et ab antiquo fuerant de predictis, hiis et pluribus aliis racionibus, ad premissa minime se teneri dicebant: Super quibus, vocatis partibus, et auditis, coram certis commissariis a nobis, super hoc, specialiter deputatis, articulis ab utraque parcium datis, coram eis lite, super hoc, contestata, juratoque de calumpnia hinc et inde, testibus ab ambabus partibus, super hoc, productis, juratis et examinatis, renunciato et concluso in dicta causa,

inquesta per dictos commissarios, super hoc, completa ac curie nostre reportata, procuratoribus dictarum parcium presentibus et auditis, visa et diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit ipsos homines de Sancto-Manio, in banno dicti episcopi commorantes, ad solucionem predictarum duodecim millium librarum contribuere non teneri, eosdem homines de Sancto-Manio ab impeticione predicta dictorum habitatorum de Cathalano penitus absolvendo. PHILIPPE V, 1318.

Tricesima die marcii.

M. Yterius de Fano reportavit.

XXXIII. Cum, coram preposito Parisiensi, mota fuisset controversia inter magistrum Hugonem Rectore, ex una parte, et Adenetum Forre, ex altera, super utilitate seu comodo quorumdam defectuum, ex parte dicti Adeneti factorum, ut dicebat dictus magister, in causa possessionis seu saisine, racione quadraginta librarum annui redditus vel circiter, pendente, coram dicto preposito, inter dictas partes, quod comodum pecierat idem magister habere, et sibi adjudicari contra dictum Adenetum a preposito predicto; dictus insuper magister, pluribus racionibus, peciisset a dicto preposito quoddam memoriale seu quamdam cedulam signatam, ut dicebat dictus Adenetus, signis Richardi Boichier et Berthaudi de Rothomago, notariorum Castelleti Parisiensis, quod seu quam pars dicti Adeneti clandestine et maliciose, decipiendo curiam et partem dicti magistri, ut dicebat idem magister, quando de processu dicte cause fiebat collacio, per modum memoriali in dicto processu posuerat, ab eodem processu amoveri et nullum pronunciari, predicto Adeneto ad hoc se opponente, et dicente quibusdam racionibus, hoc fieri non debere; predictus prepositus, auditis hinc inde propositis, et visis, super hoc, pluribus actis, litteris, processibus et quorumdam testium deposicionibus, necnon cedula seu memoriali predicto, ac quodam memoriali dicti magistri, signis dictorum notariorum signato, sigilloque Castelleti sigillato, et legittime approbato, dicte cedule seu memoriali dicti Adeneti con-

Philippe V, 1318.

trario, exhibitis coram eo, attentoque recordo dictorum notariorum, super hoc, facto et habito, interloquendo pronunciasset, per suum judicium, memoriale dicti magistri validum seu valere, dictumque memoriale dicti Adeneti posuisset ad nichilum, ac dixisset fore procedendum ulterius ad faciendum jus dictis partibus, secundum statum processus ipsarum; prefatus vero Adenetus a dicto judicato, tamquam falso et pravo, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis dicte cause processu ac judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et dictum Adenetum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, dictamque causam principalem, ac partes predictas, ad examen dicti prepositi eadem curia nostra remisit.

Tricesima die marcii.

Reportatum per Gervasium.

Remissus fuit processus preposito Parisiensi.

XXXIV. Cum, in curia parlamenti Parisiensis, tempore karissimi domini et genitoris nostri, causa verteretur inter majorem et scabinos de Monsterolio-supra-Mare, ex una parte, et Johannem de Vauben et procuratorem regium, ex altera, super eo videlicet quod dicti Johannes et procurator dicebant, contra dictos majorem et scabinos, quod, cum ipse Johannes esset feodatarius Regis, racione cambii quod ipse tenebat a Rege, in villa predicta, et, tamquam homo Regis, fecissetque, pro observacione jurium regalium et suorum, quamdam prisiam penes Renerium le Baut, burgensem et scabinum de villa predicta, pro eo videlicet quod dictus Renerius cambiabat, in loco prohibito ad cambiandum, in prejudicium dicti domini progenitoris nostri et suum, dicti major et scabini expulerunt ipsum, et, per vim et justum timorem, ad resaisiendum, ad locum predictum, prisiam antedictam, posteaque quamplurimos excessus, injurias, violencias et dampna intulerant eidem in prejudicium dicti domini progenitoris nostri et ipsius Johannis antedicti, ad finem quod dicti excessus,

injurie, violencie et dampna punirentur, corrigerentur, emendarentur, et ad statum debitum reducerentur, dictusque progenitor noster de dicta prisia resaisiretur, in suaque saisina teneretur, puniendi et corrigendi omnes illos qui, in aliis cambiis quam in suis, cambiare presumerent in futurum; dictis majore et scabinis, ex adverso, plures raciones proponentibus ad finem quod ipsi, ab impeticione predicta dictorum Johannis et procuratoris, absolverentur, et quod facta contra ipsos, ex parte dictorum Johannis et procuratoris proposita, pronunciarentur per eos fuisse rite et juste facta, et quod solverentur manus eorum ad justiciandum dictum Johannem, tamquam eorum subditum, pro facto predicto; tandem dictus dominus progenitor noster, certis commissariis, sub certa forma, dedit in mandatis quatinus, vocatis dictis partibus, et aliquo defensore ydoneo, per ballivum Ambianensem constituendo, et aliis evocandis, secundum articulos dictarum parcium in dicto parlamento traditos, inquirerent cum diligencia veritatem, et inquestam inde factam, sub sigillis suis clausam, remitterent ad futurum tunc proximo parlamentum: Inquesta igitur, per dictos commissarios, super hoc, facta, et ad nostram curiam, ad judicandum, asportata, et, per nostram curiam, partibus auditis, recepta, visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dicti major et scabini ab impeticione predicta dictorum Johannis et procuratoris fuerunt absoluti, et, per idem judicium, fuit dictum facta, ex parte dictorum Johannis et procuratoris, contra dictos majorem et scabinos proposita, per ipsos majorem et scabinos rite et juste fuisse facta, manusque dictorum majoris et scabinorum solute fuerunt, per idem judicium, in premissis.

Philippe V, 1318.

Tricesima die marcii.

M. Richardus de Bosco reportavit.

XXXV. Orta materia questionis, coram preposito Parisiensi, inter Johannem dictum le Braelier, Laurencium, ejus fratrem, filios defuncte Aelipdis la Braeliere, sororis defuncte Alesie dicte des Pavellons, Alanum le Bel, tam nomine suo quam nomine Alesie, uxoris

PHILIPPE V, 1318.

sue, Michaelem le Blont, tam nomine suo quam nomine Petronille, uxoris sue, Aymonem Brithonis dictum des Pavellons, tam nomine suo quam nomine Jaquelote, filie sue, in potestate sua constitute, filie quondam defuncte Johanne de Belsis, uxoris sue et sororis quondam dicte Alesie des Pavellons, ut heredes ejusdem Alesie, Petrum de Pontibus et magistrum Philippum Duval, executores, et quemlibet eorum in solidum, testamenti defuncte Alesie des Pavellons predicte, uxoris quondam magistri Yvonis dicti des Pavellons, cum consilio fratris Johannis dicti Viel, de ordine Fratrum Minorum, et dictum fratrem Johannem, de licencia superioris sui, ex una parte, et magistrum Johannem des Pavellons, canonicum de Roya, in Viromandia, ut heredem dicti magistri Yvonis, patris sui quondam, ex altera, super eo quod dicti heredes et executores dicebant et proponebant, nominibus quibus supra, ut garendizatores Petri dicti le Paumier et Gregorii dicti le Talleur, contra dictum magistrum Johannem, se, nomine quo supra, in possessione et saisina certarum hereditatum et bonorum designatorum in articulis, coram dicto preposito traditis, existentes, esse et fuisse turbatos et impeditos, super hoc injuste et de novo, per Johannem predictum; quare petebant, per dictum prepositum, turbacionem et impedimentum predictos amoveri, de bonis et hereditate predictis, dicto magistro Johanne, nomine quo supra, e contrario dicente et proponente se in possessione et saisina bonorum predictorum, per se vel per alium, nomine suo existente, per predictos heredes et executores, nomine quo supra, turbatum et impeditum fuisse, super hoc, injuste et de novo, et petente, inter alia, turbacionem et impedimentum predicta, per eumdem prepositum, amoveri, et, super hoc, plures articulos proponente, prout hec et alia, in articulis, per dictas partes, coram dicto preposito, traditis, et in processu, coram eodem, super hoc habito, plenius continetur; lite super predictis, coram eodem preposito, contestata, testibus receptis, renunciato et concluso in dicta causa, dieque, ad diffiniendum, super hoc, assignata, dictus prepositus, viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit quod turbacio-

nem et impedimentum que dictus magister Johannes posuerat in bonis predictis, que fuerant dicte Alesie, ipse amovebat, salvo dicto magistro Johanni, jure suo, super proprietate medietatis bonorum magistri Yvonis predicti, patris sui quondam, tam in mobilibus hereditatibus quam eciam aquestibus, et salvis, parti heredum et executorum predictorum, suis defensionibus et racionibus in predictis; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ex parte dicti magistri Johannis extitit ad nostram curiam appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum bene judicasse, et dictum magistrum Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. PHILIPPE V, 1318

Tricesima die marcii.

Bernardus de Albia reportavit.

XXXVI. Significavit nobis Perraudus de Noveray, filius et heres, ut dicebat, Petri de Noveray, quondam civis Remensis, nunc defuncti, quod, cum dictus pater suus, tempore quod ipse vivebat, bona mobilia, usque ad summam seu valorem viginti millium librarum possideret seu haberet, magister Adam dictus Argent, nunc defunctus, Colardus-le-Bec et Milo Erardi, pro executoribus dicti defuncti se gerentes, dicta bona indebite et injuste occuparunt et adhuc detinent occupata, predictum Perraudum in possessione dictorum bonorum, secundum patrie consuetudinem, existentem, perturbando de novo et dicta bona sibi appropriando et in usus proprios convertendo, necnon plures fraudes, circa dicta bona, alias committendo, propter quod, ad instanciam dicti Perraudi, plures inquestas fecimus fieri de premissis, et postmodum dictas partes ad nostrum parlamentum, super hoc, adjornari, juri, super hiis, parituras; constitutis itaque, in nostro parlamento, dictis partibus et eciam auditis super omnibus que ipse proponere voluerunt, et demum consencientibus dictas inquestas per nostram curiam expediri : Visis inquestis predictis et diligenter examinatis, cum, tam per eas quam per inventaria de dictis

PHILIPPE V, 1318.

bonis facta, repertum fuerit dictum defunctum habuisse, tempore quo ipse decessit, tam in debitis quam in rebus aliis, a quindecim millibus librarum usque ad sexdecim millia, sitque repertum dictos Collardum et Milonem, circa dictam execucionem, male et fraudulenter se gessisse, et esse, super hoc, quamplurimum diffamatos, per ordinacionem nostre curie, fuit dictum quod bona, ad dictam execucionem spectancia, de manibus dictorum Collardi et Milonis auferentur, et eligentur duo probi viri de genere dicti defuncti, quibus tradetur dictorum bonorum possessio, nichilominus tamen dicti Milo et Collardus, executores a dicto defuncto constituti, predictis probis viris presentibus, assistentibus et de consilio eorumdem, bonaque predicta dictis executoribus prout expedierit ministrantibus, voluntatem defuncti execucioni debite demandabunt, vocato ad hoc dicto Perraudo, si sua crediderit interesse.

Tricesima die marcii.

M. J. de Goy reportavit.

XXXVII. Cum, per inquestam factam et nostre curie reportatam, super pluribus excessibus, contra gentes nostras et abbatem et conventum de Sacra-Cella, Cisterciensis ordinis, cum bonis eorum omnibus de speciali garda nostra existentes, per dominum de Merevilla et ejus justiciarios et gentes, in prejudicium garde nostre, commissis, in ipsorum religiosorum domo seu grangia que dicitur Quatuor-Valles et ejus terris et pertinenciis, certum judicatum factum fuerit, per curiam nostram, per quod ipsa curia nostra reservavit quod, contra plures personas que non continentur in inquesta predicta et contra quos non fuit, super hoc, inquisitum, que dicuntur in predictis excessisse, ipsa curia mitteret ad inquirendum vocatis evocandis, quamquam existeret parlamentum, tam super dictis excessibus quam super bonorum mobilium et immobilium eorumdem valore; facta igitur super hiis commissione preposito Aurelianensi et missis eidem nominibus dictarum personarum, contra quas, super predictis, debebat inquiri, dictus prepositus, vocatis partibus, suam fecit, super pre-

dictis, inquestam, et eamdem nostre curie misit, cum dictis partibus, judicandam : Recepta igitur, per curiam nostram, presentibus dictis partibus et auditis, inquesta predicta, per quam inventum fuit quod, super predictis, inquisitum fuit contra Symonem de Sancto-Petro Avi, — Aubertum de Gastervilla, — Modinum de Rouvre, — Thomam Bricost, — Johannem le Boichier, — Johannem Chevalier, — Johannem de Pois, — Johannem de Puis, — Johannem le Caron, — Johannem Gorget, — Johannem Bale, — Johannem Provinceau, — Johannem Machaut, — Giletum Moteus, — Guillelmum Aubochier, — Petrum le Closier, — Macotum Lauverghac, — Johannem Guiberti, — Perrotum Boisseau, — Adam Foren, — Stephanum le Mornz, — Guillelmum Rale, — Stephanum le Barbier, — Johannem le Meneu, — Thomam Lauvernhac, — Raimundum dictum de Sancto-Lazaro, — Stephanum Tartari, — Philippum Barilier, — Andream Bariler, — Thomam Tartineu, — Philippum Portreau, — Guerinum Tyon, — Johannem Cation, — Johannem Tion, dictum Bare, — Robinum Binat, — Macotum Bertot, — Perrotum Gile, — Petrum le Baulie, — Guillelmum Filera, — Johannem Gile, — Johannem Gendre, — Johannem Malhardi, — Johannem Bodet, — Thomam le Provinceau, — Stephanum le Barelier, — Michaelem Marri, — Matheum Jaqueti, dictum Gener, — et Guillelmum Galier, visa dicta inquesta et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit quod predicti Symon de Sancto-Petro Avi, Aubertus de Gastervilla et Modinus de Beuvre, scutiferi, qui gentibus nostris inobedientes fuisse inventi sunt in predictis, tenebunt carcerem clausum, in prisione nostra de Yenvilla, per quindecim dies continuos, et ad hoc, per prepositum de Yenvilla, compellentur; ceteras vero personas, superius nominatas, consideratis, tam earum quam dicti negocii, condicionibus, curia nostra, per idem judicium, a predictis absolvit.

PHILIPPE V. 1818.

Sexta die aprilis.

XXXVIII. Cum decanus et capitulum ecclesie Sancti-Quintini in

PHILIPPE V, 1318.

Viromandia, in nostra speciali gardia, cum rebus et bonis suis, existentes, nobis conquesti fuissent quod Radulphus de Claro-Monte, miles, ad quamdam ipsorum decani et capituli grangiam, in domanio et districtu eorumdem existentem, in ballivia Caletensi, associatis secum quibusdam complicibus suis, in hoc facto, ausu temerario, personaliter accedens, bladum, avenam, ordeum et alia grana ipsorum, seu censarii eorumdem, in dicta grangia existencia, violenter capi et extrahi, per complices suos, fecerat et asportari, in eorumdem conquerencium prejudicium et garde nostre contemptum, custodemque dicte grangie, per manus et pedes in cipo posuerat et flagellatores dicti grani, in ipsa grangia existentes, a dicta grangia expulerat, dicta grangia violenter, per eum, occupata, acceptisque violenter ejusdem clavibus, ipsam grangiam firmaverat et dictas claves secum asportaverat, et adhuc detinebat, et de dictis bladis et granis ibidem existentibus suam fecerat voluntatem, per violenciam predictam, nosque, audita hujusmodi conquestione, veritatem, super premissis, vocatis partibus, inquiri per ballivum Caletensem, adjuncto secum aliquo probo viro mandassemus : Inquesta igitur, per dictum ballivum, adjuncto secum Johanne de Montigniaco, super hoc, vocatis partibus, facta et nostre curie reportata, juxta dicti mandati nostri tenorem, et certa die dictis partibus, coram nobis, assignata, ad videndum judicari inquestam predictam, et, propter defectus, in quibus dictus miles, suis exigentibus contumaciis, in nostra curia fuit positus, per arrestum curie nostre, dictum fuerit quod inquesta judicaretur predicta, ac postmodum, visa et diligenter examinata inquesta predicta, cum, per eam, inventum fuerit sufficienter probatum dictos decanum et capitulum sufficienter probasse quod dictus miles, ad dictam grangiam accedens, flagellatores bladorum et granorum ibidem existencium, subreptis dicte grangie clavibus, ab inde violenter expulit, clavesque predictas secum abstulit, omniaque blada ibidem existencia devastavit, et per pauperes et nonnullos alios ibidem convocatos asportari fecit, per dictam violenciam et injuste, ad valorem centum viginti librarum Turonensium, per curie nostre judicium, dictus miles, ad

solvendum et reddendum dictis decano et capitulo, pro ipsis vel eorum dicte grangie censario, centum et viginti libras Turonenses, pro valore dictorum bladi et grani, ac nobis sexaginta libras Parisienses, racione emende nostre, pro premissis excessibus, extitit condempnatus. PHILIPPE V, 1318.

Sexta die aprilis.

XXXIX. Cum, in causa pendente, in nostra curia, super execucione cujusdam littere debitum triginta sex modiorum vini de Govais continentis, quam execucionem Jahansonnus Pilant fieri petebat, in toto vel in parte, contra Acelinam, relictam defuncti Jahansonni le Carcelier, dicta relicta, inter cetera que ipsa, ad sui defensionem, proposuit, super hoc, exhibuisset curie nostre, contra dictum Pilant, quamdam litteram quittacionis, sigillo curie archidiaconis Cathalanensis sigillatam, dicto Pilante contrario proponente predictam litteram, in curia nostra, sufficientem non facere probacionem, dictaque relicta obtulisset se paratam probare, per testes, quittacionem predictam; quibus auditis, curia nostra, per suum arrestum, precepisset veritatem, super hoc, vocatis partibus, inquiri; facta igitur, super hoc, commissione, per curiam nostram, sub certa forma, certis auditoribus, et inquesta, super hoc, vocatis partibus facta, et nostre curie, ad judicandum, remissa, dictis partibus adjornatis ad audiendum jus, super predictis : Tandem auditis, in curia nostra, super hoc, dictis partibus et visa diligenter inquesta predicta, quamquam idem Pilant excepcionem falsitatis contra dictam litteram quittacionis, de novo, in curia nostra, proponeret, curia nostra eumdem Pilant, super hoc, non audivit, pro eo quod dicta Ascelina, per testes suos, sufficienter probaverat quittacionem predictam, quibus diligenter attentis, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dicta relicta, per testes, super hoc, per ipsam productos, sufficienter probaverat intencionem suam, et, per idem judicium, absoluta fuit ab impeticione predicta dicte execucionis contra eam petite, et dicti debiti litteram curia nostra retinuit et cancellavit.

Sexta die aprilis.

Philippe V, 1318.

XL. Cum, lite mota coram preposito Parisiensi, inter Symonem Moreau de Belvaco, ex una parte, et Girardum dictum Bernardim, ex alia, super eo videlicet quod dictus Symon dicebat, contra dictum Girardum, quod, cum ipse Symon a dicto Girardo emisset quatuor dolia et unam caudam vini, Parisius, in Gravia, qui Girardus tunc publice vendebat vina ibidem, quodlibet dolium, pro precio septem librarum, et quia talis erat, ut ipse dicebat, consuetudo in Gravia, quod si foraneus a foraneo emeret vina ibi, et faceret ea transvehi extra Secanam, per desuptus pontem Parisiensem, vina sic empta et transvecta erant commissa seu foreffacta et ad mercaturam Parisiensem acquisita, nisi talis emptor esset hansatus de mercatura, vel nisi ea faceret transvehi in societate hominis hansati, vel nisi hujusmodi vina empta fuissent civis Parisiensis hansati, ipse Symon advertens premissa, pecierat a dicto Girardo, in dicto contractu, cujus erant dicta vina; qui Girardus sibi respondit quod erant cujusdam civis Parisiensis hansati et quod audacter faceret ea ita transvehi, ut dictum est, et quod non erat ibi aliquod periculum, et quod, si accideret quod dictus Symon, ob hoc, incurreret aliquod dampnum, ipse Girardus, super hoc, dedampnificaret eumdem, quodque dictus Symon, confisus de dicti Girardi verbis et promissione predictis, dicta vina transvehi fecit per desuptus pontem Parisiensem, versus scolam Sancti-Germani, quodque hoc devento ad cognicionem prepositi mercatorum aque Parisiensium, idem prepositus mercatorum fecit dicta vina arrestari et in manu sua poni, vocavitque, super hoc, dictum Symonem coram se, dicendo, contra ipsum, quod dicta vina erant commissa et ad mercaturam aque Parisiensem acquisita, racione consuetudinis antedicte, cum ipse Symon non esset hansatus, nec dicta vina fecisset transvehi in societate hominis hansati, nec emisset ea a cive Parisiensi hansato, quodque, hoc audito, dictus Symon adivit dictum Girardum et requisivit ipsum quod ipse veniret dicta vina sibi garentizaturus et deliberaturus, coram dicto preposito mercatorum, alioquin, si ipse ob hoc incurreret aliquod dampnum, dictus Girardus teneretur illud sibi resarcire, prout promiserat eidem,

quodque dictus Girardus eidem Symoni fuerat, super hoc, defectivus, ideoque judicatum fuit dicta vina esse commissa et ad dictam mercaturam acquisita, que quidem vina valebant quadraginta libras Parisienses, ut ipse dicebat, quare petebat dictus Symon, coram preposito Parisiensi, dictum Girardum sibi condempnari, in dictis quadragintis libris, causis et racionibus antedictis, dicto Girardo ex adverso plures raciones proponente, ad illum finem quod ipse ab impeticione predicta dicti Symonis absolveretur; tandem processu diu agitato, super hoc, coram dicto preposito Parisiensi, inter dictas partes, et concluso in causa predicta, certaque die per eum assignata ad jus audiendum in causa predicta, comparentibus, ad dictam diem, coram eo, dictis partibus, dictus prepositus, viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit dictum Symonem sufficienter probasse dictam intencionem suam contra Girardum predictum, et eumdem Girardum, per idem judicium, condempnavit ad solvendum dicto Symoni quadraginta libras predictas; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Girardus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, fuit dictum predictum prepositum male judicasse dictumque appellantem bene appellasse, nec mandabitur execucioni condempnacio predicta.

PHILIPPE V. 1318.

Jovis post Pascha, anno millesimo trecentesimo decimo octavo.

M. Richardus de Bosco reportavit.

XLI. Lite mota, in curia nostra, inter procuratorem nostrum, pro nobis, et Johannem dictum Cregi, ex parte una, et magistrum et fratres domus Sancti-Lazari Meldensis, ex altera, super eo quod procurator noster et Johannes predicti asserebant quod, inclite recordacionis, carissimus germanus noster, Ludovicus, tunc Navarre rex, Campanie Brieque comes palatinus, volens, ut dicebatur, uti jure suo et suam continuare saisinam, in suo jocundo adventu in Campaniam, racione comitatus predicti, unam prebendam talem qualem unus ex

PHILIPPE V, 1318.

fratribus dicte domus in eadem percipere consuevit, eidem Johanni, quamdiu viveret, in quocumque loco et statu existeret, percipiendam ab eo concesserat; dicebant eciam quod magister et fratres predicti, mera sua liberalitate, propter reverenciam dicti germani nostri, ad dictam prebendam receperant eumdem, et eidem ubicumque resideret, tantum quantum unus ex predictis fratribus percipiebat, solvere promiserunt, et quod, per plures annos, idem Johannes in pacifica possessione percipiendi eamdem prebendam, modo predicto, fuerat, per se vel per alium, ab eo deputatum, unde, cum magister et fratres predicti, in percepcione ipsius prebende turbarent et impedirent eumdem, et de novo, ut ipsi dicebant, petebant, hiis et aliis pluribus racionibus, impedimentum et turbacionem hujusmodi amoveri, et, per judicium curie nostre, ad se pertinere jus percipiendi dictam prebendam, declarari, dictosque magistrum et fratres ad restitucionem arreragiorum dicte prebende, quos percipere potuisset, a tempore dicti impedimenti, super hoc, per eos appositi, condempnari et compelli, dictis vero magistro et fratribus proponentibus ex adverso quod, si ipsi unquam dictum Johannem receperunt ad dictam prebendam, ipsi hoc fecerant inviti et eciam per violenciam compulsi, et esto quod, sua mera voluntate, recepissent eumdem, talis tamen concessio seu recepcio in lesionem dicte domus facta, de jure subsistere non poterat nec debebat ut quia, ad vitam facta, sine causa, nulla utilitate dicte domus accedente et absque ulla necessitate urgente, cum dictus Johannes sanus esset, non leprosus, uxorem habens et liberos et in sergenteria nostra Campanie quasi continue insistens, et quod, ex hoc, lederetur miscrabilis domus predicta, et quia idem germanus noster suam nolens conscienciam, super hoc, tenere in suspecto, per suas patentes litteras, declaravit quod non erat intencionis sue quod dictus Johannes, extra domum ipsam, contra voluntatem magistri et fratrum predictorum, prebendam predictam perciperet vel haberet; quare petebant magister et fratres predicti, hiis et aliis racionibus, dictum Johannem a predicta prebenda et percepcione ejusdem penitus amoveri et privari et ad ipsum jus percipiendi dictam prebendam

nullo modo pertinere, per nostrum judicium, declarari, ipsumque ad restitucionem fructuum usque ad estimacionem ducentarum librarum Parisiensium, quos de bonis dicte domus, a tempore concessionis predicte, recepit, contra voluntatem eorumdem, cum dampnis et expensis, quas in dicte cause prosecucione sustinuerant, per factum dicti Johannis, usque ad estimacionem quater centum librarum Parisiensium, condempnari et compelli eumdem; pluribus igitur factis contrariis, super hoc, a dictis partibus propositis, curia nostra certis commisit auditoribus ut ipsi, secundum parcium ipsarum articulos, sibi a dictis partibus, sub contrasigillo nostro tradendos, vocatis evocandis, inquirerent plenius veritatem; qui quidem commissarii, juxta dicti mandati tenorem, vocatis dictis partibus, in hujusmodi procedentes, super predictis, vocatis partibus, inquisierunt veritatem, et inquestam suam, super hoc, completam, curie nostre, sub sigillis suis, remiserunt inclusam : Qua quidem inquesta, vocatis dictis partibus et auditis, per dictam curiam nostram, ad judicandum recepta, tandem ea visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, magistri et fratres predicti, ab impeticione predicta procuratoris nostri et Johannis predictorum absoluti fuerunt, et eidem Johanni, super dicta prebenda et super jure percipiendi eamdem, per idem judicium, silencium fuit impositum, dictusque Johannes, in fructibus quos ipse, a tempore dicte litis, super hoc, contestate, de bonis dicte domus, racione prebende predicte, de facto receperit, de quibus de plano liquere poterit, per idem judicium, extitit condempnatus.

Jovis predicta.

M. G. Droconis reportavit.

XLII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Giletum de Senonis, ex una parte, et Johannem de Tabourt, ex altera, super eo quod dictus Giletus dicebat quod defunctus Theobaldus Raine et Esmelina, ejus uxor, durante matrimonio inter ipsos, acquisiverant duas domos contiguas, sitas Parisius in Bucheria, subtus ecclesiam

PHILIPPE V, 1318.

Sancti Johannis-in-Gravia, cum quadam platea ante dictas domos sita, que quidem domus cum platea, per mortem dictorum conjugum, devenerant ad Petronillam, eorumdem conjugum filiam, uxorem quondam dicti Johannis de Tabourt, cujus Petronille defuncte sine herede proprii corporis, qui tunc viveret, dicebat idem Giletus se esse heredem propinquiorem qui tunc appareret, ex latere dicti defuncti Theobaldi Raine, patris dicte Petronille, quare petebat idem Giletus, coram dicto preposito, medietatem dictarum domorum et platee sibi adjudicari, tamquam proximiori qui tunc appareret de latere predicto, dicto Johanne, ex adverso, proponente quod predicte domus et platea fuerant et moverant de hereditate dicte Esmeline que eas asportaverat cum dicto Theobaldo, marito quondam suo, in contractu matrimonii habiti inter ipsos, per mortem cujus Esmeline, dicte domus et platea devenerant ad Petronillam, filiam et heredem dictorum Theobaldi et Esmeline, uxorem quondam dicti Johannis de Tabourt, et, per mortem dicte Petronille, devenerant ad Johannetam, filiam dictorum Petronille et Johannis, et quia dicta Johanneta decesserat sine herede proprii corporis, dicte domus et platea devenerant ad Johannem Saintisme, fratrem dicte Esmeline, tanquam ad propinquiorem heredem dicte Johannete, ex latere dicte Esmeline, a qua Esmelina moverant dicte domus et platea, unde, cum dictas domos et plateam emisset idem Johannes, ut ipse dicebat, a dicto Johanne Saintisme, ipse Johannes de Tabort petebat se absolvi ab impeticione predicta dicti Gileti; lite igitur, super predictis. coram dicto preposito, contestata, productis hinc inde quibusdam testibus et concluso in causa predicta, dictus prepositus dicens quod dictus Johannes de Tabour melius et sufficiencius probaverat, super hoc, intencionem suam quam dictus Giletus, predictum Johannem de Tabourt ab impeticione predicta dicti Gileti, per suum judicium, absolvit; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dictus Giletus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque et diligenter examinatis processu, super hoc, habito, coram dicto preposito ac judicato predicto, per curie nostre

judicium, dictum fuit bene judicatum fuisse per dictum prepositum et male appellatum per dictum Giletum, non pro eo quod dictus Johannes melius quam dictus Giletus probaverit intencionem suam, sed pro eo quod dictus Giletus, qui erat actor, intencionem suam, super hoc, non probavit, et quod hoc emendabit dictus appellans. PHILIPPE V. 1318.

Jovis predicta.

M. P. Boel reportavit.

XLIII. Lite mota, coram preposito Corbolii, inter Robertum dictum le Borsier de Brenayo, ex una parte, et Reginaldum de Soysi, militem, ex altera, super eo quod dictus Robertus, coram dicto preposito, proponebat, contra dictum militem, quod idem miles, ex officio suo et ad nullius instanciam, eidem Roberto, in curia ejusdem militis citato et comparenti, imposuit quod ipse quemdam jardinum intraverat, non nominando cujus erat, et fructus receperat in eodem, quare volebat miles predictus quod hoc sibi dictus Robertus emendaret, rursus et quod, licet Robertus predictus, coram eodem milite, proponeret, ad sui defensionem, eumdem militem, secundum jus, usum et consuetudinem notoriam patrie et ordinaciones curie, contra eumdem Robertum, actionem non habere, et quod ipse, super hoc, audiri non debebat, jusque sibi, super hoc, fieri acquireret, et se paratum probare offerret quod sibi sufficeret de predictis, si negata sibi forent, miles predictus, juris ordine non servato, nec eciam sibi prius jure reddito super racionibus predictis, dixit et pronunciavit, per suum judicium, quod dictus Robertus debebat, super hoc, facere emendam, et quod ipse hoc sibi emendaret, et quod a dicto judicato, tamquam falso et pravo, extiterat, ex parte dicti Roberti, ad dictum prepositum appellatum, quare petebat idem Robertus pronunciari, per dictum prepositum, dictum militem male judicasse et eumdem Robertum bene appellasse; predicto milite, ex adverso, coram eodem preposito, plura facta contraria, ad sui defensionem, super hoc, proponente, et petente, per dictum prepositum pronunciari bene judicatum, per eumdem militem, et male, ex parte dicti

Philippe V. 1318.

Roberti, appellatum fuisse; predictus prepositus, lite super predictis, coram se contestata, testibusque, super hoc, productis, renunciatoque et concluso in causa predicta, per suum judicium, pronunciavit quod dictus Robertus, a judicato predicto, dato per dictum militem contra eum, appellavit bene et juste; a quo judicato, tamquam pravo et falso, extitit, ex parte dicti militis ad ballivum Corbolii appellatum, qui ballivus, auditis, super hoc, dictis partibus, et viso processu, coram dicto preposito, habito, super hoc, dixit, et pronunciavit prepositum predictum bene judicasse, et dictum militem male appellasse; a quo judicato, tamquam falso et pravo, extitit ad nostram curiam, ex parte dicti militis, appellatum: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicatis, super hoc, habitis, per curie nostre judicium, dictum fuit ballivum predictum bene judicasse, et dictum militem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Jovis post Pascha, anno trecentesimo decimo octavo.

XLIV. Cum, super lite mota, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem nostrum et magistrum Hugonem Restore et Symonem Thibert, cives Parisienses, ex una parte, et Galterum dictum Lovrier, ex altera, super hiis videlicet quod dicti procurator et cives dicebant quod plures malefactores et latrones, videlicet dictus le Viguier et dictus le Charretier, et quamplures alii eorum complices in hac parte, plures roberias racemorum dictis civibus fecerant in eorum vineis et garanna nostra, prope Charentonem et hora prohibita, contra proclamaciones et inhibiciones nostras, et ideo dictus le Charretier, per servientes nostros, in presenti maleficio deprehensus, captus fuerat, et in Castelleto Parisiensi positus, pro justicia exhibenda de ipso, aliique malefactores predicti, licet ad bannum, per prepositum predictum, pluries evocati, pro suis demeritis puniendi, se contumaciter absentaverant, seque suspectos de hiis reddentes, se maliciose in prisione dicti Galteri eis favorabilis reddiderant, dictusque Galterus predictos malefactores, nulla facta dictis civibus de ablatis restitu-

cione, de dicta prisione sua liberavit, absque punicione quacumque, licet pluries, per dictum prepositum, fuisset monitus de reddendo eosdem, et quamquam non ad eumdem Galterum, sed ad nos solum, jure nostro, de illis qui sunt hospites nostri et aliis, ibidem juridicio de dictis malefactoribus pertineret, et licet nos, ut dicebant dicti procurator noster et cives, essemus in pacifica saisina justiciandi ibidem, proponebantque, contra dictum Galterum, quod ipse, apud Charentonem, columbarios, domos et muros civium eorumdem fregerat, et cum armis, et quamdam plateam publicam, apud Charentonem existentem, eisdem civibus, pro suis necessariis, competentem, in qua soliti sunt scobaciones et terralia domorum suarum projicere, interdixerat, et de facto quominus dicti cives de dicta platea, more solito, uti valeant et gaudere, et ramos seu branchas arborum, existencium in viis nostris publicis, asportaverat qui nostri solum et non alterius existebant, manum nostram et plura arresta nostra frangendo, plures inobediencias et rescussas nobis et servientibus nostris faciendo, pluraque impedimenta, et eciam indebitas novitates, super hiis, inferendo, nos eciam ac dictos cives impediendo et indebite perturbando, in nostris et dictorum civium justis possessionibus et saisinis, et in nostri juris et juridicionis nostre contemptum et grave dampnum ac dictorum conquerencium prejudicium et gravamen, prout ista in processibus et articulis, super hiis, factis plenius continentur; quare petebant dicti procurator et cives dictum Galterum, per dictum prepositum, compelli ad reddendum et tradendum eidem preposito dictos prisionarios et malefactores, per eumdem prepositum compellendos ad restituendum civibus predictis dampna que ipsi eisdem intulerant, et, pro predictis, prout esset racionabile, puniendos, et ad cessandum de novis opposicione et perturbacione et impedimento predictis, ad finem quod nos et dicti cives, per dictum prepositum, manuteneri debeamus et defendi, in nostris et eorum justis possessionibus et saisinis, quodque dictus prepositus nobis, pro predictis, condignam faceret prestari emendam, predictaque ad statum debitum reduci, dictoque Galtero ac domina

PHILIPPE V, 1318.

de Mullento que dicebat eumdem Galterum suum esse justiciabilem, contra procuratorem et cives predictos, plures proponentibus raciones, tendentibus solum ad finem quod dicta domina, de predictis omnibus dicto Galtero impositis, curiam, super hiis, rehabeat de eodem, tamquam de suo justiciabili et vassallo, proponens dictum Galterum esse suum justiciabilem et vassallum et in ejus fide et hommagio ipsum esse, de predictis rebus et juridicione et loca predicta contenciosa teneri in feodum de eadem, racione castellanie de Cauda, intra cujus metas et fines dicta loca contenciosa sunt sita, et quod ipsa, de consuetudine, debet habere cognicionem de suo homine nisi in duobus casibus, videlicet in casu appellacionis et defectus juris, facta protestacione, per eumdem Galterum, de respondendo factis et racionibus dictorum conquerencium, si et prout de jure et consuetudine tenebitur respondere, et de proponendo ipsum Galterum esse in bona saisina justiciandi ibidem, asserendoque predicta rite et legittime se fecisse; dictis conquerentibus plures raciones proponentibus ex adverso, et inter cetera dicentibus quod, ex quo procurator noster se facit partem contra aliquem ut in presenti casu et maxime super novis turbacione et impedimento ac manus nostre et arrestorum nostrorum fractione, et super proclamacionibus et defensionibus nostris propositis, et quod nos sumus in pacifica saisina justiciandi ibidem, quod penes nos de talibus, de racione et consuetudine, debet curia remanere, non penes dominam antedictam, et plures alias raciones ad finem predictum; dictis domina et Galtero plures e contrario proponentibus raciones, ad finem quod dicta domina debeat habere curiam de predictis, pecieruntque dicte partes, super premissis, jus sibi fieri, per prepositum antedictum; die certa igitur, per eumdem prepositum, dictis partibus assignata, ad audiendum jus super predictis propositis hinc et inde, ad finem predictum, dictis partibus coram eo comparentibus, per ejusdem prepositi judicium, dictum fuit quod ipse non recipiebat facta, proposita ex parte dictorum domine et Galteri, ad finem curie, super hoc, reddende, immo quod dicto preposito remaneret curia de predictis; a quo ju-

dicato, tamquam falso et pravo, per dictos dominam et Galterum ad nostram extitit curiam appellatum : Auditis itaque dictis partibus in causa appellacionis predicte, et visis, per curiam nostram, de consensu parcium predictarum, processibus et judicato predictis, ac eciam racionibus parcium earumdem et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit prepositum predictum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod hoc emendabunt, tam domina quam Galterus predicti. PHILIPPE V. 1318

Jovis post Pascha, anno trecentesimo decimo octavo.

M. J. Morelli reportavit.

XLV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Johannem de Castellione, militem, dominum de Marrigneio, ex una parte, et Johannem de Gaudeluz, commorantem Parisius, ex altera, super eo quod dictus miles dicebat, contra dictum Johannem, quod ipse Johannes erat homo suus de corpore, servilis condicionis de manumortua, et de foris maritagio, natus apud Marigni, ex quadam serva dicti militis existente condicionis predicte, et petebat dictus miles dictum Johannem talem esse judicari, et talem sibi liberari; dictus vero Johannes, ex adverso litem contestando, confessus fuit se natum fuisse ex quadam ancilla dicti militis, existente de condicione ex parte dicti militis proposita, verumtamen, ad sui defensionem, dicebat quod ipse bastardus erat, et natus extra matrimonium, quare dicebat se acquisitum esse nobis et non dicto militi, quod negatum fuit ex parte dicti militis; lite itaque contestata super premissis, factaque commissione certis commissariis, ad faciendum inquestam, super factis dictarum parcium propositis hinc et inde, procurator noster comparuit coram dicto preposito, dicendo et proponendo, contra dictum militem, quod sua intererat, nomine nostro, defendere dictam causam, et cum ipse proponeret, super hoc, factum suum pro nobis, ipse, tam pro nobis quam pro dicto Johanne de Gaudeluz, conjonctim proposuit plura facta nova, que, in inicio dicte litis, non fuerant, super hoc, proposita; quibus factis propositis et auditis, dictus

Philippe V. 1318.

miles, ad sui defensionem, proposuit quod dictis factis novis, in quantum tangebant dictum Johannem, ipse respondere non tenebatur nec erant admittenda, nec, super hiis, procedi debebat, immo duntaxat super factis ab inicio dicte litis propositis, et super quibus fuerat lis contestata; tandem altercato, coram dicto preposito, super premissis, inter partes predictas, dicte partes voluerunt et pecierunt super hiis, jus sibi reddi; certa igitur die dictis partibus assignata, coram dicto preposito, ad audiendum jus, super premissis, dictus prepositus, viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit quod dictus procurator noster admitteretur ad probandum dicta facta sua per eum proposita, in quantum nos tangebant, et, per idem judicium, pronunciavit quod dictus Johannes de Gaudeluz, ad dicta facta, per dictum procuratorem nostrum, in quantum ipsum Johannem tangunt proposita, non admitteretur; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Johannes de Gaudeluz ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, fuit dictum predictum prepositum bene judicasse, dictumque appellantem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Jovis post Pascha, anno trecentesimo decimo octavo.

M. Richardus de Bosco reportavit.

Ista inquesta fuit tradita preposito Parisiensi.

XLVI. Significavit nobis Petrus de Autissiodoro, major ville Compendii, auctoritate nostra specialiter deputatus, quod, dum ipse ad sedem suam, in qua consuevit dicte ville major sedere veniens, presente communia dicte ville, ad hoc convocata, nostras sue institucionis litteras exhiberet, Johannesque Pouleti qui, anno novissime preterito, major ipsius ville fuerat, ipsum in dicta sede, per tradicionem cujusdam virge instituere, more solito, vellet, et super quodam libro quem tenebat, juramentum consuetum recipere ab eodem, Johannes dictus Larde et Girardus, ejus frater, adversus dictum

Johannem Poleti violenter insurgentes, virgam de manu ipsius rapuerunt et fractam projecerunt, ac dictum librum similiter eidem abstulerunt violenter, verba quamplurima injuriosa et enormia, nos eciam et honorem nostrum tangencia proferentes, impediendo, totis viribus, majorem recipi supradictum. Item, quod postea dictus Johannes Larde, per eumdem Petrum majorem, vocatus, coram dicta communia, computaturus de quibusdam receptis magnis per ipsum factis, multa opprobria dicto majori publice dicere et plures injurias inferre presumpsit, satagens ipsum cum digitis in vultu percutere, nisi multi se ponerent inter eos, dixitque eidem quod sibi in aliquo non pareret, prefato majore ei respondente tantummodo quod dictas injurias recipiebat sicut major, et nobis et officio suo, non sue persone, attribuebat easdem. Idem, quod dictus Girardus et Radulphus le Caron, Petrus Paon dictus Freniau, ejus frater, Petrus le Baquier, Johannes Tretardi, et plures eorum complices, congregata ibidem dicte ville communia, pro mandatis nostris, ipsius regimen communie tangentibus, audiendis, audienciam hujusmodi, cum magno tumultu, impediendo, nisi fuerunt populum dicte communie commovere, precipue ad illum finem quod dictus Radulphus et Johannes Larde compelli non possent reddere, de receptis suis, dicte communie racionem; nos vero certis auditoribus commisimus, ut ipsi, ad dictam villam Compendii, se transferrent, et de predictis excessibus ac eorum circonstanciis, vocato dicto majore, et prenominatis personis, eorumque complicibus et ceteris evocandis, summarie et de plano, inquirerent, cum diligencia, veritatem; dicti vero commissarii, secundum mandati nostri predicti tenorem, vocatis dictis partibus et auditis, super predictis, ex parte dicti majoris propositis, ac super racionibus et defensionibus ceterorum superius nominatorum, inquisiverunt veritatem, et inquestam suam curie nostre, sub sigillis suis, remiserunt inclusam : Qua quidem inquesta, vocatis dictis partibus et auditis, ad judicandum recepta, eaque visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, predicti Johannes Larde, in ducentis libris Parisiensibus, Girardus Larde, in centum

PHILIPPE V. 1318

PHILIPPE V. 1318.

libris Parisiensibus, si solvendo fuerit, alioquin ad tenendum carcerem clausum, per unum annum, in Castelleto Parisiensi; Radulphus Caron, in sexaginta libris Parisiensibus, Collardus de Lulli, in triginta libris Parisiensibus, Petrus Baquier, in triginta libris Parisiensibus, Hanequinus Waure, in triginta libris Parisiensibus, et Petrus dictus Freniau, in triginta libris Parisiensibus, pro emenda predictorum excessuum, nobis condempnati fuerunt; prefato vero majori, predicti Johannes Larde, in quadraginta libris Parisiensibus, Girardus Larde, in sexdecem libris Parisiensibus, Radulphus Caron, in octo libris Parisiensibus, Collardus de Luilli, in quatuor libris Parisiensibus, Petrus Baquier, in quatuor libris Parisiensibus, Hanequinus Waure, in quatuor libris Parisiensibus, et Petrus dictus Freniau, in quatuor libris Parisiensibus, pro dictis injuriis, fuerunt, per idem judicium, condempnati.

Jovis predicta.

M. G. Droconus reportavit.

XLVII. Cum, mota lite, coram custodibus nundinarum Campanie, inter Johannem Courset, de Florancia, suo et sociorum ejus nomine, ex una parte, et Johannem de Villa-Nova, procuratorem majoris et scabinorum ville de Pontisara, procuratorio nomine eorumdem, ex altera, super eo quod dictus Johannes Corseti requirebat quamdam defensam donari et registrari, per dictos custodes, contra majorem et scabinos predictos, propter plures inobediencias eorumdem, super eo quod ipsi, per dictos custodes, sufficienter et pluries requisiti de compellendo Johannem le Marichal, obligatum dicto Johanni Corset, in certa summa pecunie, de contractu nundinarum Campanie, prout in processu, super hoc, facto inter dictos creditorem et debitorem dicebatur plenius contineri, super hoc, inventi fuerant totaliter inobedientes et defectivi, prout apparere dicebat idem creditor, per dictorum custodum requisiciones et mandata, et per dictorum majoris et scabinorum, factas ad ea rescripciones et responsa, quare dicebat idem creditor ipsos debere pro inobedientibus teneri, et ideo pe-

tebat defensam registrari predictam, dicto procuratore plures raciones e contrario proponente, ad illum finem quod ipse reciperetur ad purgandum et excusandum inobediencias predictas, dicto Johanne Corset, creditore, ex adverso replicante quod, secundum notoriam dictarum nundinarum consuetudinem, idem procurator recipi non debebat ad aliquod proponendum, nisi solummodo illa que continebantur in dictis rescripcionibus, quibus ipse usus fuerat et se juvaverat, in causa predicta; tandem auditis hinc inde propositis, dicte partes pecierunt jus, super hiis, sibi reddi; dicti vero custodes, visis mandatis et rescripcionibus predictis, totalique dicto processu, certificatique de consuetudine predicta, per suum judicium, pronunciaverunt quod, secundum dictarum nundinarum consuetudinem, dictus procurator recipi non debebat ad aliqua proponendum nisi illa que continebantur in dictis rescripcionibus, quibus ipse fuerat usus, quodque, secundum processus predictos, dicti major et scabini fuerant inobedientes, et preceperunt defensam registrari predictam; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus procurator ad magistros dierum Trecensium appellavit; dicti vero magistri causam appellacionis hujusmodi, cum totali processu predicto, una cum dictis partibus, ad presens parlamentum, Parisius, remiserunt ex causa: Auditis igitur, in parlamento presenti, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, ac visis quibusdam racionibus, ex parte dictorum majoris et juratorum, super hoc, in scriptis curie nostre traditis, quas raciones magistri curie nostre, virtute cujusdam littere nostre misse eisdem, legerunt et examinaverunt, visoque quodam processu de quo fiebat mencio in dictis racionibus, coram Parisiensi preposito, post dicte defense registracionem et predictam appellacionem facto, racione cujusdam littere a nobis, per dictum debitorem, contra predicta impetrate, quam dictus creditor impugnabat, et anullari petebat, per curie nostre judicium, dictum fuit, non obstantibus omnibus supradictis in contrarium propositis, predictos custodes bene judicasse et dictum appellantem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

Jovis predicta.

XLVIII. Cum, ad denunciacionem amicorum Ysabellis de Leonibus, civis Parisiensis, prepositus Parisiensis, plures articulos criminales, ex officio suo, proposuisset contra Egidium Lamandi de Brabancia, inter cetera, continentes quod dictus Egidius, adjunctis sibi quibusdam suis complicibus armatis, dictam Ysabellim, ad beatum Jacobum, in peregrinacionem honeste incedentem, usque Aurelianum sequtus fuerat, et plures modos et vias, ut ipsam rapere posset, exquisiverat; item, quod dictus Egidius, una cum quibusdam aliis armatis, venit apud Annetum et quamdam domum in qua dicta Ysabellis erat, intravit, per vim, cum armatis, posse suum faciens rapiendi dictam Ysabellim, nisi, per quosdam, ad clamorem, supervenientes, fuisset impeditus; item, quod dictus Egidius, cum quodam alio, quadam nocte, ad domum dicte Ysabellis venerat, et, contra voluntatem ipsius et familie sue, intus intraverat, animo ipsam rapiendi, nec a dicta domo exire voluit, sed ibidem captus extitit per gentes nostras, et plura alia circa premissa commiserat, super quibus lite contestata a dicto Egidio, pluribusque testibus, super predictis, contra ipsum ac super suis defensionibus auditis, et inquesta, super hiis, per dictum prepositum completa, idem prepositus, per suum judicium, a predictis in dictis articulis contentis, dictum Egidium absolvit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, ex parte dicte Ysabellis, ad nostram curiam extitit appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis hujusmodi, visaque inquesta et judicato predictis, ac quatuor testibus, quos pars dicte Ysabellis, post dictum judicatum, auditos asserebat fuisse, rejectis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et partem dicte Ysabellis male appellasse, et quod dicta pars appellans hoc emendabit.

Vigesima die maii.

P. Rubei reportavit.

XLIX. Super querimonia quam, in curia nostra, fecerunt decanus et capitulum ecclesie beate Marie Parisiensis, contra prepositum Parisiensem et quosdam servientes nostros Castelleti Parisiensis, asserentes, inter cetera, quod Guillelmus Quoquerel, Johannes de Bononia et Matheus de Malli, servientes Castelleti Parisiensis, invaserant violenter Johannem dictum le Grant in claustro beate Marie Parisiensis, et ibidem eum verberaverant, nitentes ipsum violenter extrahere de dicto claustro, et cum quidam serviens dicti capituli qui dictum claustrum custodiebat eos, super hoc, increparet, apponendo manus in ipsos, quod sibi faceret[1] licebat, ut dicti decanus et capitulum dicebant, predicti servientes nostri posuerunt se in defensione, et, ensibus evaginatis, dictum servientem capituli vulnerarunt et vestimenta sua lacerarunt, et eum, ut dicitur, jugulassent, nisi ipse habuisset auxilium a quibusdam supervenientibus, qui accurrentes juvaverunt eum ad capiendum malefactores predictos repertos in predicto presenti delicto, quod sibi licere dicebant; item, et quod eadem die, in sero, plures servientes Castelleti Parisiensis, armati, accedentes ad portas dicti claustri, eas frangere et claves carcerum dictorum decani et capituli, ab illo qui eas deferebat aufferre, nisi fuerant; item, et quod dictus prepositus, injuste et sine causa, plures hospites et familiares dictorum decani et capituli et singularium canonicorum dicte ecclesie capi fecerat et captos detineri in Castelleto nostro, et plures ex eis deliberaverat, peccunia exinde recepta, ut ipsi dicebant, que omnia proponebant dicti decanus et capitulum, ad illum finem quod supranominati malefactores, modo quo supra dictum est, per eos capti et de mandato nostre curie recrediti, eis redderentur; item, et ad finem quod dictus prepositus, qui predicta advoaverat, ut ipsi dicebant, condempnaretur et compelleretur ad emendandum injurias predictas decano et capitulo predictis, necnon ad reddendum hospitibus et aliis familiaribus dictorum decani et capituli et singularium canonicorum dicte ecclesie qui injuste, ut supra dictum est, de mandato dicti prepositi,

PHILIPPE V. 1318.

[1] Lisez *facere*.

PHILIPPE V, 1318.

capti fuisse dicebantur, et postea fuerant, per curiam nostram, ad plenum liberati, dampna que ipsi, propter capcionem predictam, incurrisse dicebantur; dicto preposito et procuratore nostro, pro nobis, ex adverso, proponentibus quod servientes nostri predicti per servientes dictorum decani et capituli, temporalem juridicionem ipsorum decani et capituli exercentes, fuerant injuste et sine causa racionabili capti et in vilem prisionem detrusi, et quod, licet dictus prepositus pluries requiri fecisset dictos decanum et capitulum quod sibi dictos servientes redderent, offerens se paratum de ipsis facere quod justicia suaderet, maxime postquam, per curiam nostram ordinatum extitit quod dicti servientes nostri recrederentur, nichilominus dicti decanus et capitulum premissa facere recusarunt, dicendo multas injurias et opprobria illis qui, ad requirendum dictos servientes nostros per dictum prepositum fuerant destinati, claudendo eciam, super eos, impetuose portas dicti claustri, et eos ibidem includendo, que omnia dicebant fuisse facta in nostre magestatis contemptum, quare petebant dictos decanum et capitulum, per curiam nostram, quantum ad ipsam pertinet, condempnari et compelli ad faciendum nobis, de premissis, condignam emendam; super quibus omnibus curia nostra fecit de plano veritatem inquiri : Qua inquesta facta et ad nostram curiam reportata, vocatis dictis partibus et auditis, visaque ea et diligenter examinata, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit quod tres supranominati malefactores, Guillelmus, Johannes et Matheus, eis prius ab officio sergenterie nostre amotis, in prisione dictorum decani et capituli reponentur; item, quod dictus prepositus nullam, pro predictis, contra eum propositis, faciet emendam decano et capitulo predictis; si tamen hospites et alii familiares dictorum decani et capituli ac singularium canonicorum dicte ecclesie velint petere a dicto preposito dampna que ipsi, occasione capcionis predicte, dicent se incurrisse, curia nostra partes audiet, et eis exhibebit justicie complementum. Quantum vero ad ea que fuerunt proposita, ex parte dictorum prepositi et procuratoris nostri, contra decanum et capitulum predictos, dicti decanus et capitulum,

per curiam nostram, quantum pertinet ad ipsam, absoluti fuerunt. PHILIPPE V, 1318.

Vigesima die maii.

M. P. Bouelli reportavit.

L. Cum procurator Bertrandi de Villeta, notarii ville Moysiaci, dictum habentis notarii officium, ut tantum juxta limites et honorem dicti loci, posset facere publica instrumenta, assereret ipsum appellasse ab audiencia magistri Sansonis de Calvo-Monte, quondam archidiaconis Avalonensis, clerici, et Guillelmi de Viriaco, militis nostrorum, ad partes senescallie Petragoricensis et Caturcensis, pro reformacione patrie destinatorum, pro eo quod, per ipsos, injuste fuerat idem Bertrandus, condempnatus, ut dicebat, in quinquaginta libris Turonensibus nobis dandis et in privacione cujuscumque officii nostri tabellionatus, requirens dictam condempnacionem totaliter revocari, predicto milite, ad defensionem suam et dicti archidiaconi jam defuncti, proponente quod idem Bertrandus quamplurima instrumenta confecerat et receperat extra limites et honorem Moysiaci, tam in casibus civilibus quam criminalibus, falso se asserens tale tabellionatus officium habere quod ipse, ubicumque, in regno nostro, recipere et conficere poterat publica instrumenta, et nichilominus, ad probandum tabellionatum suum, usus fuerat quodam falso instrumento, quod falsum apparuit, tam in principio quam in fine, et nichilominus negaverat se dicto instrumento usum fuisse, et deinde, per testes fide dignos, super hoc, extiterat convinctus, et nihilominus, per acta publica, probatum fuerit ipsum fecisse quamplurima instrumenta, extra territorium et juridicionem dicti loci, et, inter alias personas quam essent illi qui de juridicione dicti loci existebant, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos inquisitores bene judicasse et dictum Bertrandum male appellasse, et quod predicta eorum condempnacio mandabitur execucioni.

Vigesima die maii.

LI. Cum Gaubertus de Caturco, notarius noster publicus, con-

PHILIPPE V, 1318.

dempnatus nobis fuisset, per reformatores, ad partes Petragoricenses nuper missos, in centum libris Turonensibus, pro eo quod ipse duo falsa instrumenta fabricaverat, falsam datam ibidem apponendo, videlicet vigesima nona die mensis junii, cum ibidem debuisset apposuisse decimam diem mensis maii, propter quod Poncius de Tornamira, clericus, jus suum et nostrum, quod ipse prosequebatur, contra plures malefactores probare non potuit, immo, racione dicte date false, dicta instrumenta faciebant contra nos et ipsum, et idcirco peteret dictus Poncius dictum Gaubertum, citra penam sanguinis nobis et sibi condempnari, quam falsam datam idem Gaubertus confessus fuit apposuisse in dictis instrumentis, nichil, ad sui defensionem proponens, nisi quia dicebat se, in hujusmodi errasse, dictus Gaubertus, a predicta condempnacione, tamquam injusta, ad nos appellavit, ut dicit: Auditis igitur, in curia nostra, super hoc, dictis partibus, et visis processibus factis per reformatores predictos, per quos apparuit eumdem Gaubertum predictam falsam datam apposuisse in instrumentis antedictis, inquisito eciam, per gentes nostras, super eo quod de quodam alio falso instrumento, alias per ipsum facto, ut dicitur, ipse, cum gentibus nostris, composuerat ad centum libras Turonenses; inquisita eciam fama ipsius qui, per plures testes, de pluribus aliis falsitatibus inventus fuit, in partibus suis, publice diffamatus; audita eciam relacione senescalli Petragoricensis, curia nostra dictam condempnacionem dictarum centum librarum Turonensium, per suum judicium, confirmavit, dicendo ipsum Gaubertum male, super hoc, appellasse, dictosque reformatores bene judicasse, et, quia nostra interest tales falsarios extirpare, et ipsos in nostro officio tabellionatus nullatenus retinere, nos ipsum a dicto officio privamus in perpetuum et eciam removemus.

Vigesima septima die maii.

In auditorio juris scripti.

LII. Cum, de mandato nostro, quedam fuerit facta inquesta, per ballivum Arvernie, super eo videlicet quod procurator noster dicte

ballivie, nomine nostro, coram dicto ballivo, proponebat contra Petrum de Malo-Monte, militem, quod idem miles, cum magna multitudine armatorum, feodalium suorum, ac aliorum plurium, tam peditum quam equitum, usque ad numerum trecentorum et amplius, cum armis prohibitis, in terra et juridicione domini de Bello-Forti plures excessus perpetravit, quasdam furcas ibidem erigi et levari fecit et quemdam hominem, vocatum le Moigne, in dictis furchis suspendi fecit, pluraque dampna, in terra et juridicione dicti domini, intulit; item, et super eo quod dictus procurator noster proponebat, contra dictum Petrum, quod ipse quoddam pilorium seu postellum, per priorem Sancti-Georgii-de-Montibus, in villa sua de Banches, in terra et juridicione ejusdem prioris factum et erectum, et ad requestam dicti prioris, per certum servientem nostrum, ad manum nostram positum, et, ex parte nostra, paillonatum, dictus miles, cum paillone, in eodem, ex parte nostra, per dictum servientem nostrum posito, dirui fecit et destrui, et totum insimul, per gentes suas, in igne fecit comburi, manum nostram et saisinam in ipso positas frangendo, procuratore dicti militis plures raciones, ad sui defensionem, in contrarium proponente : Pluribus igitur racionibus et factis hinc inde, super hiis, propositis, et inquisita diligenter, super hiis, veritate, dictaque inquesta facta et completa, et ad curiam nostram, ad judicandum, remissa, et vocatis predictis milite et procuratore, per curiam nostram recepta, ipsaque visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictus miles, in ducentis libris Turonensibus, pro emenda nostra, racione predictorum excessuum, nobis extitit condempnatus. PHILIPPE V, 1318.

Vigesima septima die maii.

Guiotus de Monte-Acuto reportavit.

LIII. Cum, super mota questione, inter Johannem de Joyaco, quondam gruerium Campanie, ex una parte, et procuratorem clare memorie karissimi domini et germani nostri Ludovici, quondam Navarre regis, Campanie Brieque comitis palatini, antequam ad ipsum regni

PHILIPPE V, 1318.

Francorum gubernaculum pervenisset, ex parte altera, super eo videlicet quod idem Johannes se dicebat habere jus venandi in garenna ville de Capella-Godefridi, in nemoribus de Forestella et de Chesnayo et in toto finagio ville dicte Capelle, nocte dieque, ad cornu et clamorem, per se seu gentes suas, et quecumque ferarum genera capiendi ibidem, malefactoresque ibidem captos puniendi et emendas exigendi ab eis, quociens casus se obtulit in predictis, et eumdem Johannem, seu gentes suas, pro ipso, esse, et a tempore cujus in contrarium hominum memoria non extabat, fuisse in saisina pacifica premissorum, dicenteque se in predictis, per gentes dicti germani nostri, impeditum esse injuste, et cum instancia requirente, super premissis, veritatem inquiri, ad finem illum quod amoveretur impedimentum sibi appositum in predictis, predicto procuratore dicti germani nostri contrarium asserente, et dicente predicta omnia ad ipsum germanum nostrum pertinere, et ipsum esse in saisina omnium premissorum, ac in locis predictis juridicionem exercendi, et omnia alia faciendi que ad dominum garenne et juridicionis pertinere noscuntur, ad ipsum germanum nostrum, non ad ipsum Johannem pertinere, ipsumque germanum nostrum et ejus predecessores esse, tempore litis mote, super hoc, in saisina pacifica premissorum et fuisse, per tantum temporis spacium quod hominum memoria in contrarium non existit, idem germanus noster, per magistrum Johannem de Parvo, Parisius, clericum, et Petrum de Feligniaco, burgensem Pruviniensem, super premissis, vocatis partibus, celeriter et de plano, veritatem inquiri mandasset; tandem, facta per eos, super hiis, partibus vocatis, inquesta et ad nos reportata, nos dilectis et fidelibus nostris magistris Camere inquestarum dictam misimus inquestam, et eis mandavimus ut ipsi eam viderent et judicarent : Visa igitur et diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Johannem, super premissis, intencionem suam sufficienter probavisse, et sibi dictum impedimentum amoveri debere.

Sexta die junii.

M. J. Morelli reportavit.

Istam inquestam tradidi domino Nicholao Bonet, capellano magistri Philippi Conversi, decima octava die julii, anno trecentesimo decimo octavo, qui michi dixit quod ipse mittet eam domino Regi per Philippotum, valletum dicti magistri Philippi. PHILIPPE V, 1318.

LIV. Cum, coram dilectis et fidelibus nostris Laudunensi, Mimatensi et Aniciensi episcopis ac Claromontensi et Foresii comitibus et domino Soliaci, nunciis, pro nostris negociis, nuper ad sedem apostolicam destinatis, inter cetera habentibus potestatem excessus officialium nostrorum corrigendi et eciam puniendi, proposuissent dilectus et fidelis noster Magalonensis episcopus, suo et ejus ecclesie nomine, ac magister Jocelinus de Cassanhis, utriusque juris professor, quantum cujuslibet ipsorum intererat, quod Johannes de Sancero, miles, senescalli Belli-Cadri, Raimundus Marci, judicis nostri Montis-Pessulani, Laurencius Pauli, rectoris loci ejusdem, Petrus Textoris, procuratoris nostri dicte senescallie, loca, ut dicebatur, tenentes, ac Hugo de Porta, judex noster Aquarum-Mortuarum, et alii quidam qui se gerebant pro officialibus nostris seu pro tenentibus loca officialium nostrorum in senescallia predicta, non zelo moti justicie, immo odio et rancore, dictum magistrum Jocelinum, consiliarium et familiarem dicti episcopi, actu ordinarie in Monte-Pessulano, in jure canonico legentem, qui, pro quodam negocio, quod habebat dictus episcopus, cum gentibus nostris, expedire, ad consilium dicti episcopi, venerat ibidem, de aula ipsius episcopi dicti loci, sine causa, manus iniciendo in eum, viliter et nequiter extrahentes, ipsum ceperunt, multas injurias et gravamina irrogantes eidem, ducendo eum tamquam malefactorem captum, per magnos vicos et quadrivia ville Montis-Pessulani, ac ipsum incarceraverunt et in compedibus, ad modum latronis, in nostro carcere turpiter posuerunt, et eumdem incarceratum, per duos dies atque noctes, tenuerunt, nec his contenti, quatuor alios clericos, scilicet Draconetum Piscis, curatum de Banneriis, dicti episcopi sigilliferum, magistrum Guironem Cavallerii, procuratorem generalem ejusdem episcopi, ac

PHILIPPE V, 1318.

Petrum de Duroforti, notarium curie dicti episcopi, qui ad appellandum, pro tantis excessibus sic illatis, necnon Johannem Ragrafredi, dispensatoris aule episcopalis Montis-Pessulani, qui, ad requirendum dictos officiales, ut ipsi a talibus desisterent, venerant, ceperunt et incarceraverunt, ponendo ipsos in compedibus, et detinendo quamdiu eorum placuit voluntati, requirentes iidem episcopus et magister Jocelinus, pro se et pro predictis aliis, exhiberi sibi, super predictis, justicie complementum, ac sibi et dictis passis injuriam, emendam fieri, super hiis, competentem, taliter quod transiret ceteris in exemplum; predicti vero nostri nuncii, ad inquirendum, super predictis, vocatis partibus, veritatem, et sibi remittendum inquestam, super hiis, faciendam, ut, super hiis, posset, quod suaderet racio, ordinari, certos commissarios deputarunt; facta igitur, super hiis, inquesta, vocatis partibus, per dictos commissarios, et per eosdem dictis nunciis reportata, visaque diligenter, per eosdem nuncios et alios probos et discretos viros, ad hec, per ipsos, vocatos, inquesta predicta, et deliberacione concordi, super hiis, habita inter ipsos, duobus ex ipsis nunciis nostris postea, pro quibusdam nostris aliis negociis, absentibus, ceteri nuncii nostri, de consilio proborum et sapientum virorum, consilium suum, super hiis, dederunt et ordinaverunt ac redigerunt in scriptis; quam ordinacionem et eorum consilium, cum inquesta predicta, dicti nuncii nostri, sub suis inclusa sigillis, nobis miserunt, ut, super hiis, quod faciendum videremus, fieri faceremus, dictasque partes adjornari fecerunt, Parisius, ad videndum inquestam judicari predictam; nosque mandavimus dictas partes, per curiam, super hiis, audiri; quibus partibus super hiis, in nostra curia, auditis, per eamdem nostram curiam, dictum fuit quod dicta inquesta videretur et judicaretur; visis igitur, per nos, dictis consilio et ordinacione, auditaque, super hiis, dictorum nunciorum nostrorum relacione, nos dilectis et fidelibus nostris magistris curie parlamenti nostri, Parisius, mandavimus ut ipsi, secundum ordinacionem et consilium predictas, judicarent inquestam predictam : Quibus sic actis, per curie nostre judicium, de speciali mandato nostro, dictum

fuit quod, quia prefato Magalonensi episcopo, ejus ecclesie et juridicioni ecclesiastice, ac toti Montis-Pessulani studio, per hec, injuria facta fuit, in persona dicti Jocelini, tunc in dicto studio, cum comitiva magna et honorabili scolarium, actu regentis, ac in aliorum clericorum predictorum personis, ipsa curia nostra predictos Johannem de Sancero, militem, Raymundum Marci, Laurencium Pauli, Petrum Textoris ac Odinum subvicarium nostrum Montis-Pessulani, repertos in premissis culpabiles, officio nostro regio, privavit imperpetuum, ita quod ipsi nec officiales aut officialium regiorum loca tenentes de cetero possint esse, et dixit quod predicti, qui sunt layci, die certa, sequentur processionem Fratrum Predicatorum Montis-Pessulani, usque ad majus eorum altare, quilibet cum uno cereo unius libre cere, in sua manu accenso, et fateantur, coram clero et populo, se contra dictum episcopum, ejus ecclesiam et dictum studium in hujusmodi deliquisse, et offerent dictos cereos super altari predicto; quod sufficiat pro emenda ecclesie et studii predictorum; item, et quod dicta processione sic facta et oblatis dictis cereis, in dicto altari, predicti layci, quia multum excesserunt in persona dicti Jocelini, veniant ad aulam dicti episcopi, ubi dictus Jocelinus per eos captus fuit, et ibi, per gentes nostras regias, capiantur et fateantur se indebite et contra justiciam in hujusmodi deliquisse, contra prefatum Jocelinum, et postmodum de illo loco ducantur capti publice ad carcerem nostrum, in quo ipsi poni fecerunt dictum Jocelinum, et ibidem ponantur in compedibus ferreis, ubi remaneant per dies aliquos, sub custodia fideli, ita quod, in ipsorum detencione seu relaxacione, fraus non fiat. Item dictum fuit quod dicti delinquentes solvent dicto Jocelino, pro dictis excessibus et injuriis sibi factis, quingentas libras Turonenses et expensas quas, ex hoc, ipse juraverit se fecisse, taxacione legitima precedente, et eciam expensas quas fecerunt dictus Magalonensis episcopus et gentes sue in prosecucione cause predicte, de quibus legitime constiterit. Item, et quia ipsi plurimum contra nos deliquerunt, tales et tantas injurias, sub pretextu nostri officii, committendo et nostram regiam justiciam ad injuriam

PHILIPPE V, 1318.

convertendo, dictum fuit quod ipsi solvent nobis mille libras parvorum Turonensium, pro emenda; ordinatum fuit insuper et pronunciatum quod dicte pecunie quamtitates, de mandato curie nostre, quamtum ad ipsam pertinet, distribuentur inter delinquentes predictos, ut qui melius est solvendo et magis deliquit, portet in solucione dicte pecunie majus onus, et alii qui minus poterunt solvere magis luant in sustinendo detencionem carceris et compedum longiorem, ut in pena fieri compensacio valeat hinc et inde. Item, ordinatum fuit et pronunciatum quod servientes ceteri, qui in excessibus fuerunt predictis, propter suorum superiorum preceptum, super eisdem excessibus, remaneant excusati.

Veneris ante Penthecosten.

M. Yvo Prepositi vidit.

LV. Lite mota, coram senescallo Petragoricensi, inter castellanum et bajulum de Calusio, ex una parte, et bajulum Montis-Scuti, ex altera, super eo quod utraque pars asserebat se esse et fuisse, a tempore a quo de contrario memoria non existit, in saisina exercendi omnem justiciam, tam altam quam bassam, in boeria Gausselini de Varoles et pertinenciis ejusdem, commisissetque dictus senescallus causam predictam magistro Roberto Davi, procuratori nostro substituto, ut ipse, vocatis partibus, veritatem de premissis inquireret et sibi referret; coram dicto commissario dictis partibus comparentibus, et sua facta, ut premissum est, proponentibus, dictus Gausselinus, videns jus suum deduci in judicium per dictas partes, ut dicebat, premissis se opposuit, eoque, de mandato dicti senescalli, ad se opponendum, super hoc, admisso, ipse, coram dicto commissario, proposuit se esse et fuisse, a tempore a quo de contrario memoria non existit in saisina exercendi omnem bassam justiciam in dicta boeria et pertinenciis ejusdem, petens pronunciari se debere remanere in sua saisina predicta, cumque magister Austorgius Payrolerii, asserens se substitutum a procuratore regio, videret jus regium deduci, super hoc, coram commissario predicto, inter dictos bajulos et Gausselinum,

ipse in premissis se opposuit, petens, una cum dictis partibus, diem sibi assignari, super premissis, ad debite, super hiis, procedendi, cumque, per dictum commissarium, fuisset, ad procedendum super premissis, dictis partibus certa dies assignata, dicta die, dictis partibus coram dicto commissario comparentibus, tam dictus substitutus quam castellanus et bajuli predicti, omnia, ex parte Gaussellini proposita, negaverunt esse vera, et vice versa dictus Gausselinus omnia proposita, ex parte dictorum bajulorum et castellani, negavit esse vera; testibus itaque, super premissis, hinc inde productis et facta, super hiis, inquesta et ad judicandum dicto senescallo reportata, dieque assignata, ad audiendum jus, super hiis, partibus supradictis et eis comparentibus coram magistro Bernardo Gervasii, judice majore in dicta senescallia, dictus judex suam sentenciam diffinitivam protulit in hunc modum : « Cum nobis non constet, per dictam inquestam, magistrum Austorgium Payrolerii fuisse substitutum, super hoc, a procuratore regio, sicque processus factus fuerit, super fisci patrimonio, procuratore regio non presente nec legittime vocato, idcirco, hac sentencia nostra diffinitiva, processum predictum pronunciamus esse nullum; » a qua sentencia, tamquam ab iniqua, dictus Gaussellinus ad nostram curiam appellavit, et in dicta causa appellacionis, judicem magistrum Matheum de Curtibus-Jumellis, judicem ordinarium Caturcensem, impetravit; qui magister Matheus ad dictam nostram curiam dictam causam, cum partibus predictis, ex certa causa, remisit, per eamdem curiam terminandam : Viso itaque predicto processu, per curiam nostram et diligenter examinato, auditisque dictis partibus, super hiis que ipse proponere voluerunt, per judicium nostre curie, fuit dictum predictum majorem judicem bene pronunciasse et dictum Gaussellinum male appellasse.

Philippe V, 1318.

Sabbato in vigilia Penthecostes.

Goy reportavit.

LVI. Cum defunctus Johannes dictus Pennoche, civis quondam Parisiensis, tempore quo ipse vivebat, contra Johannem dictum de

PHILIPPE V, 1318.

Sus, prepositum Corbolii, et contra procuratorem Johannis Darsis, militis, garendizatoris dicti prepositi, qui cause hujusmodi defensionem, nomine dicti militis, in se, pro dicto preposito, tamquam ejus garandus, suscepit coram Petro le Cochacier, commissario per karissimam sororem Clemenciam, Francorum et Navarre reginam, dictis partibus dato, ad finem quod dictus prepositus condempnaretur et compelleretur ad restituendum dicto civi novem modios bladi vel precium eorumdem, inter cetera proponeret quod quedam blada vocata metaus que, in quibusdam terris, specificatis in articulis, super hoc, coram dicto preposito, traditis, creverant, et que idem civis in quadam grangia que nunc est magistri Johannis de Templo, apud Orengi, reponi fecerat, quorum quantitas ascendebat usque ad novem modios, et de quibus idem civis erat in bona et pacifica saisina, et partem quorum idem civis jam fecerat excuti, prepositus predictus, injuste et sine cause cognicione, de loco predicto, predicta blada, excussa et non excussa, levavit et levari fecit et eciam asportari, et quod ex toto spoliavit civem predictum de eisdem, commissarius predictus, litem [1], coram eodem, super hoc contestata, testibusque postea, post obitum dicti Johannis, ex parte tutoris filie defuncti predicti, qui pro dicta filia, tutorio nomine, ipsius dicte cause prosequcionem suscepit, productis, receptis et examinatis, renunciatoque et concluso a dictis partibus, in causa predicta, condempnavit, per suum judicium, dictum militem et suum procuratorem, tam suo quam nomine garandizatoris dicti Johannis de Sus, prepositi Corbolii, ad reddendum et restituendum quinque modios cum dimidio bladi dicte filie defuncti Johannis predicti, vel ejus tutori, aut viginti octo solidos Parisienses, pro quolibet sextario dicti bladi; a quo judicato, tamquam falso et pravo, extitit ad nostram curiam, ex parte dicti militis, appellatum: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per quem processum non fuit inventum aliquid de predictis sufficienter esse probatum contra dictum prepositum, cujus prepositi dictus miles

[1] Lisez *lite*.

in se garandiam suscepit, per curie nostre judicium, dictum fuit commissarium predictum male judicasse et dictum militem bene appellasse, et, per idem judicium, miles predictus, ut garandizator dicti prepositi, super hoc, extitit absolutus, jure tamen, si quod alias competit filie predicte, contra dictum militem, in predictis, reservato eidem. PHILIPPE V. 1318.

Sabbato in vigilia Penthecostes.

M. B. de Albia reportavit.

LVII. Cum procurator hospitalis Sancti-Johannis Jerosolimitani curie nostre significasset quod jampridem frater Leonardus, prior Veneciarum, visitator generalis, et locum tenens magistri et conventus dicti hospitalis ultramarini, in partibus cismontanis, per sentenciam officialis Parisiensis condempnatus fuit, ex certa causa, ad solvendum Anthonio Pezani, de Janua, militi, et ejus fratribus, viginti quatuor millia librarum sterlingorum, acto et convento, inter dictas partes, expresse, coram officiali predicto, quod omnia debita que dicti Anthonius et ejus fratres, ex quacumque causa, possent petere a dicto hospitali, usque ad tempus dicte sentencie late, computata et comprehensa erant, et esse debebant in summa condempnacionis predicte, quodque dictus visitator seu dictum hospitale dictis creditoribus de summa predicta solvit, vel earum certo mandato, una vice, sex millia librarum sterlingorum, et postea viginti millia librarum Turonensium parvorum, pro valore quatuor millium et quingentarum librarum sterlingorum, que soluciones ascendunt ad summam decem millium et quingentarum librarum sterlingorum, ut ipse dicebat, qua deducta de summa condempnacionis predicte, restant ad solvendum tantummodo tresdecim millia et quingente libre sterlingorum; dictus tamen visitator, per errorem facti et calculi, dictam deductionem in tanta summa non estimans esse faciendam, errans in compoto deductionis predicte, confessus fuit se debere dictis creditoribus suis, facta deductione predicta, viginti millia librarum sterlingorum remanencia ad solvendum, de summa condempnacionis predicte, de qua confessione, quam ipse dicit fuisse erroneam, factum fuit publicum instrumentum,

PHILIPPE V, 1318.

et sic in hujusmodi dictus visitator erravit, ut ipse dicebat, in sex millibus et quingentis libris sterlingorum, quare dictus procurator, offerens se paratum fidem facere de predictis, instanter peciit, quod curia nostra, cognito de errore predicto, deductionem faceret de dictis sex millibus et quingentis libris sterlingorum de summa confessionis remanencie supradicte; parte adversa plures raciones e contrario proponente, ad illum finem quod dicta deductio fieri non deberet, dicteque partes, quelibet pro intencione sua, plures raciones proposuerunt et tradiderunt in scriptis, et plures litteras, processus et instrumenta, super hiis, nostre curie tradiderunt, et finaliter concordaverunt, quod curia nostra, super hiis, per eas traditis, exhiberet eis justicie complementum; que omnia curia nostra recepit, et ad requisicionem dictarum parcium, collacionem fecit de predictis omnibus cum eisdem; cum autem hujusmodi cause expedicio, propter occupacionem nostre curie, et gencium nostrarum ipsius curie nostre fuerit aliquanto tempore prorogata : Tandem visis processibus, litteris et instrumentis, super hoc, a dictis partibus, curie nostre traditis, refutatoque, per nostram curiam, quodam instrumento, super hoc, in causa hujusmodi producto, cui, ex causa, non fuit fides adhibita, cum ejus data prothocollo, unde sumptum extitit, non concordaret, diligenterque examinato totali negocio supradicto, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod dictum hospitale sufficienter docuit de errore predicto et quod dicta deductio de sex millibus et quingentis libris sterlingorum quam ipsi petunt sibi fieri de summa predicta, fiet eisdem, et quod, in dictis sex millibus et quingentis libris sterlingorum, qui deducendi sunt, ut premissum est, de summa predicta, curia nostra execucionem non faciet fieri contra hospitale predictum.

Sabbati in vigilia Penthecostes.

M. Guido de Percon reportavit.

LVIII. Cum inter abbatem et conventum monasterii Sacri-Portus, ex una parte, et prepositum mercatorum Parisiensium, ac mercatores aquam Secane frequentantes, ex altera, super debato quod erat inter

dictas partes, racione vie ante portam dicti monasterii, pro transitu mercaturarum, ad instanciam dictorum prepositi et mercatorum, facte de novo, quoddam judicatum, per curiam nostram, novissime datum fuerit, inter cetera continens quod, pro dampnis que dicti religiosi dicebant se sustinuisse in molendino suo quod ipsi, ab antiquo, dicebant se habere in loco predicto, et in aliis suis hereditatibus seu redditibus annuis, per dictam viam occupatis seu destructis, prepositus et mercatores predicti religiosis eisdem recompensacionem sufficientem facient de sexaginta libris Turonensibus annui redditus, et, pro aliis ipsorum religiosorum bonis amissis, occasione dicte vie, de novo constructe, solvent eisdem religiosis ducentas libras Turonenses una vice; nosque ad instanciam dicti prepositi mercatorum Parisiensium, pro se et aliis mercatoribus aquam Secane frequentantibus, supplicantis et dicentis quod erratum extitit in judicato predicto, graciam fecerimus specialem eidem preposito dicendi contra dictum judicatum, et ostendendi predictum errorem: Constitutis postea, super hoc, in nostra curia, dictis partibus, auditisque racionibus, ex parte dictorum prepositi et mercatorum propositis, super errore predicto, ac dictorum religiosorum defensionibus, ex adverso, visoque dicto judicato, predictisque omnibus diligenter examinatis, per curie nostre judicium, moderatum fuit et restrictum, prout sequitur, judicatum predictum, videlicet quod, quamtum ad dampna, per hoc, dictis religiosis illata, in bonis, tam mobilibus quam immobilibus, que ipsi, super terram, habebant, sufficiens recompensacio fiet eisdem, et quamtum ad dampna que ipsi dicunt se, super hoc, sustinuisse in cursu aque Secane, valor materie fustarum, lignorum, pallorum et aliorum mobilium, que ipsi habebant ibidem, reddetur eisdem, per partem adversam, nisi jam fuerit eis, super hoc, satisfactum, quodque ipsi nullam recompensacionem habebunt de redditibus, quos ipsi dicebant se percipere, racione sedium seu fundamentorum que ipsi edificaverant, ut dicebant, in cursu aque predicte; in ceteris articulis vero, qui dictam modificacionem non tangunt, judicatum predictum in suo robore remanebit.

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

Sabbato in vigilia Penthecostes.

Inquesta ista est in sacco novissime preteriti parlamenti, in quo parlamento redditum fuit aliud arrestum, et est correctum, prout continetur in isto arresto.

LIX. Cum, lite mota, coram preposito de Tornodoro, inter Guillelmum Gaudifer, ex una parte, et Perrinum Gelboim, ex altera, super saisina cujusdam domus site apud Espinex, que quondam fuit Stephani dicti Lescuier, idem prepositus, cognito de dicta causa, saisinam dicte domus, per suum judicium, adjudicasset dicto Perrino contra Guillelmum predictum, et idem Guillelmus, a dicto judicato, tamquam falso et pravo, ad ballivum Senonensem appellasset, dicte partes, tam coram dicto ballivo quam coram certis arbitris seu amicabilibus compositoribus, super hoc, ab eisdem, sub certa forma electis in hujusmodi, processerunt; in qua causa, magister Johannes de Molesmes, solus arbiter seu amicabilis compositor, finaliter a dictis partibus electus, procedens, cognito de dicta causa, judicatum predictum dicti prepositi approbando, dicte domus saisinam, per suam sentenciam arbitralem, adjudicavit Perrino predicto; quo negocio ad audienciam dicti ballivi postea deducto, idem ballivus, auditis, super hoc, dictis partibus, predictam arbitralem sentenciam dicti magistri Johannis, per suum judicium, confirmavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Guillelmus iterato ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque dictis processibus ac quorumdam testium deposicionibus, qui, super hoc, de novo producti et ex causa recepti et examinati fuerunt, habitaque, super hoc, deliberacione diligenti, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Guillelmum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Sabbato in vigilia Penthecostes.

G. Droconis reportavit.

LX. Inter dilectum et fidelem nostrum episcopum Lingonensem et Ansellum de Alba-Rippa, gardiatorem specialem a nobis dicto episcopo deputatum, ex parte una, et capitulum Lingonense et Henricum de Malleyo, a nobis similiter gardiatorem specialem dicto capitulo deputatum, ex parte altera, lite mota super eo quod dictus episcopus et predictus Ansellus, gardiator suus, dicebant dictum Henricum, gardiatorem dicti capituli, ad carcerem dicti episcopi existentis, cum bonis suis, in nostra gardia speciali accessisse, et dictum carcerem fregisse, et Clementem, majorem dicti capituli ville de Jurqueyo, ibidem, propter delictum ab eo perpetratum, detentum, cum pluribus aliis malefactoribus, de dicto carcere violenter extraxisse, in nostra et dicti episcopi speciali gardia existentis, prejudicium non modicum et gravamen, propter quod petebant dictum carcerem resaisiri, et dictum Henricum, gardiatorem predicti capituli, propter hoc, per nostram curiam puniri; respondebatur autem, ex adverso, dictum Henricum, predictum Clementem, majorem dicti capituli, pluribus et justis racionibus motum, ut dicebant, de dicto carcere extraxisse, dicebantque procurator capituli supradicti et dictus Henricus eumdem Henricum in nullo delinquentem, in nostri contemptum et eorum prejudicium, captum fuisse fraudulenter, et eciam violenter sine causa per Ansellum dicti episcopi, gardiatorem supradictum, ductumque fuisse, per eum, in dicti episcopi carcerem, et ibidem turpiter vinculis mancipatum, propter quod petebant procurator dicti capituli dictusque Henricus dictum Ansellum, gardiatorem predictum, propter premissa, puniri; processibus igitur, per commissarios a nostra curia deputatos, qui, super premissis, diligenter inquisiverunt veritatem, factis super hoc, et ad judicandum ad nostram curiam remissis, visis ac eciam diligenter examinatis, quia repertum fuit utrumque gardiatorem in predictis deliquisse, per judicium nostre curie, fuit dictum utrumque gardiatorem fore privandum ab officio dicte gardie, fuitque dictum utrumque emenda pecuniaria, taxanda per nostre curie judicium, puniendum.

Tercia die junii.

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

LXI. Cum, inter abbatem et conventum de Joyaco, ex una parte, et procuratorem Campanie, ex altera, super eo quod dicti religiosi dicebant se habere, et ab antiquo habuisse, questam bladorum in villa Pruvini, racione molendinorum suorum, que dicuntur Rubea Molendina, ad illos duntaxat qui molendinorum nostrorum bannerii non existunt, pro qua questa dicti religiosi solvunt nobis, ut dicitur, certum redditum annuatim, quodque justiciarii nostri Campanie religiosos ipsos impediebant, super hoc, indebite, et de novo, que quidem inquesta facta fuit per certos commissarios, a karissimo germano nostro Ludovico, tunc comite Campanie, karissimo domino et genitore nostro vivente, super hoc, deputatos, dicteque partes inquestam predictam curie nostre tradiderint videndam, ad illum finem ad quem videri deberet : Tandem visa diligenter inquesta predicta, cum plures defectus ibidem fuerint inventi, propter quos non potuit judicari, inquesta predicta, per curie nostre judicium, fuit totaliter anullata, et, si dicte partes vel earum altera, velint aliquid dicere vel petere, curia nostra ipsas partes audiet, et eis faciet quod fuerit racionis.

Sexta die aprilis, anno trecentesimo decimo septimo.

LXII. Cum, coram ballivo Matisconensi, causa pendente inter Odetum Perretum, et Guillelmum Boneti, fratres, ex una parte, et Perronetum Marestini et Johannem Guioti, ex altera, racione quorumdam domus et vinee sitarum in villa et finagio Sancti-Jangulphi, dicte partes, coram eodem ballivo, in assisia Sancti-Jangulphi constitute, concordaverunt et voluerunt, quod idem ballivus, tam super possessione quam super proprietate dictarum domus et vinee et fructibus earumdem, cognosceret summarie et de plano, prout causarum hujusmodi natura requirit, predictaque omnia sine debito terminaret, postea vero dictus ballivus, partibus vocatis, in hujusmodi procedens, et primo, super dicta possessione, auditis dictis partibus, super hoc, judicatum suum, sub certa forma, tulit, pro dictis fratribus, super possessione domus et vinee predictarum, salvo jure dictis

Perroto et Johanni, super proprietate rerum earumdem, super quo ipse obtulit se paratum dictas partes audire summarie et de plano vel alias, prout esset racionis, et eisdem, super hoc, exhibere celeris justicie complementum; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicti Perronetus Marestini et Johannes Guioti, ad parlamentum, Parisius, appellarunt: Constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus in causa appellacionis predicte, et auditis racionibus, super hoc, propositis hinc et inde, visisque accordo, processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictos appellantes male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt, nisi patrie consuetudo repugnet. PHILIPPE V. 1318.

Sexta die aprilis, anno trecentesimo decimo septimo.

LXIII. Cum, super pluribus excessibus, injuriis, violenciis et gravaminibus factis et illatis priori seu preposito monacho de Villa-Dominica, domino ejusdem ville, necnon servientibus et gentibus ejusdem prioris, per Henricum de Bosco, militem, et gentes suas ac nonnullos alios suos complices, ipso priore in nostra speciali gardia, per certum gardiatorem, ex parte nostra, sibi datum, existente, ut dicebat, virtute litterarum nostrarum, ballivo Viromandensi, super hoc, directarum, per Jordanum de Lauduno, commissarium, super hoc, per dictum ballivum Viromandensem, deputatum, quedam fuerit facta inquesta, et ad curiam nostram, ad judicandum, de mandato nostro, asportata, dicta inquesta et processibus super eadem factis, visis et diligenter examinatis, propter plures defectus in eadem inquesta repertos, curia nostra, per suum judicium, dictam inquestam penitus anullavit, et precepit quod, super predictis excessibus et aliis, quos dictus prior, contra dictum militem et gentes suas ac suos complices tradere voluerit, per certos commissarios, ex parte nostra, super hoc, deputandos, vocatis qui fuerint evocandi, veritas inquiratur.

Vigesima tercia die junii, anno decimo octavo.

G. de Monte-Acuto reportavit.

PHILIPPE V, 1318.

LXIV. Lite mota, in nostra curia, Parisius, inter Guillelmum de Bello-Regardo, armigerum, ex una parte, et Johannem Ayme, ex altera, super eo quod petebat dictus armiger quoddam judicatum, pro eo et contra dictum Johannem, latum per magistrum Johannem de Halis, clericum nostrum, et Robertum de Villa-Nova, per karissimum dominum et germanum nostrum Ludovicum, quondam dictorum regnorum regem, inquisitores, super certis articulis, ad partes Arvernie deputatos, execucioni demandari, dicto Johanne ex adverso proponente dictam execucionem fieri non debere, pro eo maxime quod, a dicto judicato, ut ipse dicebat, per procuratorem dicti Johannis, ad nos legittime fuerat appellatum; prefato Guillelmo replicante quod si, per predictum procuratorem, de facto, fuerat appellatum, predicta appellacio recipi non debebat, pro eo quod potestatem appellandi non habebat procurator predictus, et, ob hoc, dicti judicati execucio minime retardari debebat; tandem, in curia nostra, super hoc, auditis dictis partibus, ballivo Arvernie mandavimus ut ipse, vocatis partibus, inquireret veritatem, si dictus procurator potestatem habuerat appellandi, et inquestam, quam inde faceret, ad diem ballivie Arvernie subsequentis proximo parlamenti curie nostre mitteret, sub sigillo suo fideliter interclusam, ac partes ipsas adjornaret ad dictam diem visuras inquestam judicari predictam, curiamque nostram, de adjornamento predicto, certificare curaret: Missa igitur, ad nostram curiam, inquesta predicta, et auditis, super hoc, dictis partibus, ac visa et diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit quod procurator dicti Johannis Ayme qui, a dicto judicato appellaverat, a dicto Johanne appellandi, super hoc, potestatem habebat, et quod dicte partes, in causa appellacionis predicte, ulterius, in curia nostra, procedent, et quod, pendente dicte appellacionis causa, predicti judicati execucio tenebitur in suspenso.

Vigesima tercia die junii.

M. Petrus Mallardi reportavit.

LXV. Cum Gaufridus Beleti, miles, et Guillelmus de Vaux, ar-

miger, Johannem dictum Ayme, coram magistro Johanne de Halis et Roberto de Villa-Nova, inquisitoribus, per karissimum dominum et germanum nostrum Ludovicum, quondam Francorum et Navarre regem, super certis articulis, in ballivia Arvernie, deputatis, fecissent ad judicium evocari, super quibusdam peccunie summis, quas ipse, ex certa causa, contractum usurarium sapiente, ab eodem Johanne repetere intendebant, ac, in dicta causa, in tantum processum fuisse diceretur, quod productis, super hoc, testibus, eorumque deposicionibus in scriptis redactis, non restaret nisi quod sentencia, super hoc, proferretur, prout hec, dictis milite et armigero referentibus, nostre curie sunt relata, ad supplicacionem militis et armigeri predictorum, ballivo Arvernie mandavimus, et ex causa, ut ipse processus inde factos recuperaret, curieque nostre, ad diem sue ballivie subsequentis proximo parlamenti, eos mitteret, sub suo sigillo fideliter interclusos: Missis igitur curie nostre dictis processibus, auditisque, super hoc, dictis partibus, ac visis et diligenter examinatis eisdem processibus, per quos inventum fuit quod processus ipsi coram Roberto Guardele et Stephano Esqueti, pro majori parte fuerunt facti, qui dicebant in eisdem processibus se commissarios esse, super hoc, per supradictos inquisitores deputatos, licet de commissione sibi facta, super hoc, non liqueat in processibus antedictis, considerato eciam quod, ex dictorum tenore processuum non apparet quod testes, per dictos militem et armigerum, in dicta causa producti, coram dictis inquisitoribus, vel coram aliis qui, super hoc, potestatem haberent, juramentum prestiterint de dicenda, super hoc, veritate, per curie nostre judicium, dicti processus fuerunt, ex causis predictis, totaliter anullati, et inquiretur iterato, cum diligencia, veritas per certos commissarios, a nostra curia deputandos, super articulis dictorum militis et scutiferi, eisdem sub contrasigillo nostro tradendis, ac super defensionibus dicti Johannis, si aliquas tradere voluerit, et inquesta que, super hoc, fiet ad nostram curiam remittetur, prout ad eam pertinuerit, judicanda ad diem ballivie Arvernie futuri proximo parlamenti, et interim execucio litterarum obligatoriarum dicti Johannis tenebitur in suspenso.

PHILIPPE V, 1318.

Vigesima tercia die junii.

M. P. Mallardi reportavit.

Processus fuit traditus M. P. Maillardi ad perficiendum.

LXVI. In causa appellacionis ad nos interposite, a quodam judicato lato per prepositum Parisiensem, in nostra curia, lite mota, inter dictum prepositum et Renerium de Trabe, seniorem, in quamtum tangit quemlibet predictorum, ex una parte, et Johannem de Dinanto, tutorem Robini de Gandavo, minoris annis, nomine tutorio ipsius, ex altera, super eo quod dictus Johannes, dictum judicatum latum, per prepositum supradictum, contra ipsum, nomine quo supra, et pro dicto Renerio, super anullacione cujusdam littere obligatorie, sigillo prepositure Parisiensis sigillato, qua cavebatur dictum Renerium in mille libris Turonensibus fore, predicto Robino, obligatum, racione cujusdam composicionis facte de quibusdam bonis que fuerant communia inter ipsos, ut plenius, per tenorem dicte littere, apparere dicebat, nullum esse proponebat, propter plures defectus qui poterant apparere per processum dicte cause, sicut ipse dicebat, propter quod petebat idem Johannes dictum judicatum pronunciari fore nullum, vel, si esset aliquod, petebat dictum judicatum, tamquam falsum et pravum, retractari, petebatque insuper dictus Johannes, quia, ut ipse dicebat, dictus prepositus eum imprisionaverat, multaque obprobria sibi dixerat propter hoc quod ipse a dicto suo judicato appellaverat, nolens eum, de dicta prisione, liberare, nisi primo emendaret sibi quod a dicto judicato suo appellaverat, et nisi eciam renunciaret sue appellacioni predicte, super hoc, per nostre curie judicium, emendam sibi fieri competentem; respondebat autem, ex adverso, dictum Johannem, ad prosequendum dictam appellacionem, admitti non debere, cum, quia, ut ipse dicebat, expresse renunciaverat appellacioni supradicte, tum eciam quia, post latum dictum judicatum, ad ejus peticionem, fuerat sibi dies assignata, ad dicendum quicquid ipse vellet contra dictos processum et judicatum, predicto Johanne premissa negante, hiis itaque sic, in nostra curia, a dictis

partibus propositis, dati fuerunt a nobis certi commissarii, qui, super premissis, vocatis partibus, diligenter inquirerent veritatem, et inquestam, super hiis factam, ad nostrum parlamentum remitterent judicandam, qua inquesta, super hiis facta, et ad judicandum curie nostre remissa, vocatis ad hoc dictis partibus, presentibus et auditis, dicta inquesta fuit, per nostram curiam, tradita ad videndum : Visis igitur processibus et inquesta predictis, tam in appellacione quam in principali causa factis, per curie nostre judicium, fuit dictum predictam appellacionis causam, non obstantibus, ex parte adversa, propositis, ad nos fore devolutam, ac, propter plures defectus in processu dicte cause principalis, manifeste repertos, predictum prepositum male judicasse et dictum Johannem bene appellasse, et quod dicte principalis cause questio in nostra curia remanebit.

Philippe V. 1318.

Vicesima tertia die junii.

M. Thomas de Nonencourt reportavit.

LXVII. Lite mota, coram custodibus nundinarum Campanie, inter Edelinam, uxorem Thome le Selier, cum auctoritate dicti Thome, ex parte una, et Egidium de Curia-Roberti, militem, quondam, ex altera, super eo quod dicta Edelina petebat amoveri impedimentum appositum, ad requestam militis predicti, in certis hereditatibus pertinentibus ad eamdem, et moventibus de latere suo, quas emisse dictus miles dicebatur, ad usus nundinarum Campanie, et vendicionem quarum, eidem militi, de dictis hereditatibus, factam, dicta Edelina petebat irritari, milite predicto, ex adverso, plures raciones, ad finem quod hereditates predicte quas ipse emerat, ad usus nundinarum predictarum, sibi pacifice remanerent, proponente, prout in articulis, per dictas partes, coram dictis custodibus, traditis, plenius continetur, custodes predicti, lite, super predictis, coram eisdem, contestata, testibus receptis et examinatis, renunciato et concluso in dicta causa, per suum judicium, pronunciaverunt quod, secundum usus et consuetudines dictarum nundinarum, predicta Edelina sufficienter probaverat intencionem suam, et quod dicta empcio, facta a predicto Egi-

PHILIPPE V, 1318.

dio, anullaretur; a quo judicato, tamquam pravo et falso, extitit, ad dies Trecenses, ex parte dicti Egidii, appellatum, et tandem, defuncto dicto milite, auditis Hugone de Curia-Roberti, herede dicti militis, causam hujusmodi prosequente, et Edelina predicta, super appellacione hujusmodi, per dilectos et fideles nostros magistros qui dies Trecenses novissime tenuerunt, per eorum judicium, dictum fuit custodes predictos bene judicasse et dictum Egidium male appellasse, et quod hoc emendaret heres predictus; a quo judicato ad nostrum parlamentum fuit, ex parte dicti Hugonis, appellatum : Auditis igitur, in parlamento nostro, dictis partibus ac magistris predictis, super judicato predicto et ejus confirmacione, non racione appellacionis predicte, cum eamdem non admiserimus, sed de speciali gracia, visisque processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos magistros bene judicasse et partem adversam male appellasse, et quod hoc emendabit dictus heres.

Vicesima tercia die junii.

M. Bernardus de Albia reportavit.

LXVIII. Cum, coram custodibus nundinarum Campanie, procurator Hugonis de Curia-Roberti, heredis defuncti Egidii de Curia-Roberti, quondam militis, contra Thomam dictum le Selier et Edelinam, ejus uxorem, proponeret quod, post quoddam judicatum, per dictos custodes, pro predictis conjugibus et contra militem predictum, tempore quo ipse vivebat, latum, super quibusdam hereditatibus, per dictos custodes, venditioni expositis et emptis per dictum quondam militem, et de quibus idem miles erat in saisina et possessione, ut dicebatur, tempore judicati predicti, et saisitus de eisdem mortuus fuerat, ac, post appellacionem, ex parte dicti militis, a dicto judicato, ad dies Trecenses emissam, conjuges predicti, appellacione predicta pendente, per modum attemptati, portaverunt et levaverunt, de fructibus et exitibus hereditatum predictarum, usque ad valorem quingentarum librarum, peteretque, nomine quo supra, per eosdem custodes condempnari et compelli conjuges predictos ad reddendum sibi bona pre-

dicta, sic, per modum attemptati de hereditatibus predictis, per eosdem levata et portata, et ex adverso predicti conjuges, attemptatum predictum negantes, proposuerunt plures raciones, ad finem quod turbacio et impedimentum que apposita fuerant, ut ipsi dicebant, in bonis Thome predicti et hereditatibus moventibus de latere uxoris dicti Thome, ad requestam Hugonis predicti, heredis dicti quondam militis, removerentur et dampna, per hoc, sibi illata eisdem restituerentur; custodes predicti, lite coram eisdem super hoc contestata inter partes predictas, testibus receptis et examinatis, renunciato super predictis et concluso in causa predicta, per suum judicium, pronunciaverunt quod, secundum usus et consuetudines nundinarum Campanie, dicti Thomas et ejus uxor bene probaverant, super hoc, intentionem suam, quare adjudicaverunt eisdem saisinam dictarum hereditatum; a quo judicato, tamquam falso et pravo, extitit ad dies Trecenses, ex parte dicti Hugonis, appellatum, et, tandem partibus predictis auditis super appellacione hujusmodi, per dilectos et fideles nostros magistros qui dies Trecenses novissime tenuerunt, per eorum judicium, dictum fuit custodes predictos bene judicasse et dictum Hugonem male appellasse, et quod ipse hoc emendaret; a quo judicato fuit ad parlamentum, Parisius, ex parte dicti Hugonis, appellatum : Auditis igitur, super hiis, in parlamento nostro, dictis partibus ac magistris predictis, non racione appellacionis, cum eamdem non admiserimus, sed de gracia speciali, visisque processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos magistros bene judicasse et dictum Hugonem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Philippe V. 1318.

Vicesima tercia die junii.

M. B. de Albia reportavit.

LXIX. Cum, in causa que pendebat, coram ballivo Arvernie, inter Petrum Quoci et capitulum cathedralis ecclesie Claromontensis, ex una parte, et collectores subvencionis, racione ultimi Flandrensis exercitus, levate, in villa et civitate Claromontensibus, ex altera, dice-

Philippe V, 1318.

retur adeo processum fuisse quod inquesta, super hujusmodi parcium predictarum discordia, erat completa, de mandatoque nostro, ad nostram curiam, ad judicandam, remissa, adjornatis dictis partibus ad diem ballivie Arvernie parlamenti presentis, ad videndum judicari dictam inquestam; constitutis, in curia nostra, super hoc, dictis partibus, per collectores predictos et nostrum procuratorem dicte ballivie Arvernie quedam raciones et judicata, ad finem quod dicta inquesta judicari non deberet, allegata fuerunt, propter que ipsa curia nostra ordinavit quod predicta aperiretur inquesta, et sciretur si, per predictos collectores et procuratorem nostrum proposita, in dicta continebantur inquesta: Visa igitur et diligenter examinata inquesta predicta, inventum fuit raciones et judicata, per predictos collectores et procuratorem nostrum proposita, in ipsa inquesta minime contineri, quo circa curia nostra precepit quod dicti collectores et procurator noster dictas raciones et judicata curie nostre tradent, et exhibebuntur parti adverse, et dictis partibus, hinc inde, super hiis, auditis, curia nostra predictis partibus exhibebit justicie complementum.

Vicesima tercia die junii.

Processus est inter reliquias hujus parlamenti.

LXX. Lite mota, in curia nostra, inter thesaurarium Sancti-Frambaldi, Silvanectensis, ex parte una, et abbatem et conventum Sancti-Dyonisii in Francia, ex altera, super eo quod dictus thesaurarius dicebat se et predecessores suos esse et fuisse in pacifica saisina, a tempore cujus memoria non existit, et, per tantum temporis quod sufficit ad bonam saisinam acquirendam, justiciandi solum et in solidum, in omni casu justicie, in villa de Palliaco, in locis contenciosis de quibus facta fuit ostensio, quousque dicti abbas et conventus indebite et de novo ipsum, super hoc, impedierunt, quare petebat idem thesaurarius predicta impedimenta amoveri et explecta dicte justicie, propter debatum dictarum parcium, in manu nostra apposita, in sua manu reponi, dictamque manum nostram inde amoveri, predictis abbate et conventu in contrarium proponentibus se, no-

mine suo et ecclesie sue, esse in saisina justicie tocius terre quam predictus thesaurarius habet, in villa et territorio de Palliaco, excepta simplici justicia bonorum mobilium et census et justicia gallice nominata fonciere, quare petebant, per curiam nostram, pronunciari dictum thesaurarium de predicta petitione sua cadere debere, manumque nostram inde amoveri, ad ipsorum religiosorum utilitatem : Auditis igitur, in nostra curia, dictis partibus, visisque processu et inquesta, super hoc, factis ac diligenter examinatis, quia, per eos repertum extitit dictum thesaurarium intencionem suam, super hiis, melius probasse, alta dumtaxat justicia dictorum locorum excepta, curia nostra saisinam predictorum eidem adjudicavit, dicte alte justicie saisina excepta; verum, quia dictos religiosos melius probasse intencionem suam super dicte alte justicie saisina, inventum extitit, pronunciatum fuit, per idem judicium, ipsos debere in saisina dicte alte justicie remanere, salva dictis partibus hinc inde, super hiis, questione proprietatis. PHILIPPE V, 1318.

Vicesima tercia die junii.

M. Yvo de Veteri-Ponte reportavit.

LXXI. Cum, super discordia mota inter Elienordim, comitissam Vindocinensem, ex una parte, ac Bernardum, comitem Convenarum, et Guidonem, ejus fratrem, ex altera, super institucione et destitucione senescalli, receptoris et aliorum officialium, in terra Albigesii et Nerbonesii que quondam fuit Philippi de Monte-Forti, patris quondam dicte Alienordis, et super modo regendi dictam terram, necnon et super pluribus injuriis, violenciis, armorum portacionibus, inobedienciis et dampnis datis, ut dicitur, per dictos comitem et Guidonem ac Amalricum, vicecomitem Lautricensem, et quosdam alios suos complices, in terra predicta, ac super quibusdam verbis contumeliosis que, per predictos, dicta fuerant de nobis, ut dicebatur, prius, per curiam senescalli Carcassonensis, et, de mandato suo seu ejus locum tenente, quidam facti fuissent processus, ac deinde, per commissarios nostros, videlicet Poncium de Omeliaco,

PHILIPPE V, 1318.

militem nostrum, et Aymericum de Croso, militem sibi adjunctum, et postea, per dilectos et fideles P. priorem de Karitate, magistrum Guillelmum Arrenardi, clericos, et Johannem de Arreblayo, militem nostros, qui prior et magister Guillelmus, licet diu, una cum dicto Johanne, in dicto negocio processissent, ipsi tamen, propter longam absenciam dicti Johannis et gravem infirmitatem que dictum priorem arripuit, non volentes ultra procedere, dictum negocium, in statu in quo tunc erat, ad nostram curiam remiserunt, adjornando dictas partes coram nobis vel gentibus nostris parlamentum, Parisius, tenentibus, ad diem festi beati Andree, apostoli, nuper preteritum, audituras id quod nos seu parlamentum nostrum, super premissis et premissorum singulis, duceremus ordinandum; comparentibus igitur, in curia nostra, partibus predictis, ex parte dicte comitisse, fuit instanter requisitum quod processus, coram dictis commissariis facti, viderentur, et per nostram curiam judicarentur; ex parte vero dictorum comitis et Guidonis fuerunt multa proposita ad finem quod dicti processus non viderentur nec judicarentur, cum non essent in statu judicandi, ut ipsi dicebant, et pro eo maxime quod dicti processus, pro parte ipsorum non erant completi, cum ipsi plures testes, super hoc, haberent, pro parte sua, producere ac reprobaciones suas proponere contra testes partis adverse; auditis igitur, super hoc, dictis partibus, curia nostra, per arrestum suum, dixit quod dicti processus viderentur ad finem ad quem possent videri : Visis igitur dictis processibus et ad curiam nostram reportatis, ipsa curia nostra suum, sub certa forma, protulit, super hoc, judicatum; cum autem datum fuisset nobis intelligi dictum judicatum errorem continere, nos dilectis et fidelibus nostris magistris parlamenti Parisiensis mandavimus ut, viso dicto judicato, si ipsi invenirent super hoc erratum fuisse, ipsi corrigerent errorem predictum; dicti vero magistri, visis iterato, cum diligencia, tam processibus quam judicato predictis, et audita relacione cujusdam de commissariis predictis ac recordo quorumdam de magistris curie nostre qui alias presentes fuerunt in examinacione dicti negocii, et deliberacionem suam,

super hoc, redigi fecerunt in scriptis, que non fuit visa, quando datum fuit judicatum predictum, liquido invenerunt quod erratum fuerat in predictis, quocirca curia nostra, recedens a pronunciacione predicta et inveniens dictos processus non esse completos, per suum judicium, pronunciavit quod omnes processus, super hoc inchoati, vocatis partibus ac procuratore nostro, in eo quod nos tangit, complebuntur, et producent dicti fratres testes suos, super eorum articulis quos ipsi in dictis processibus proposuerunt, et dabuntur eis nomina testium, pro parte dicte comitisse, productorum, ut eos possint, si voluerint, reprobare; quorum reprobaciones, et eciam reprobaciones quas dicta comitissa, contra testes dictorum fratrum, super dictis eorum articulis, productos et producendos, proponet, commissarii, super hujusmodi negocio, per nostram curiam, deputandi, recipient, et, super dictis reprobacionibus, quas ipsi viderint, secundum stilum curie parlamenti nostri, debere recipi, ipsi testes et probaciones dictarum parcium recipient, et quod ipsi commissarii, de articulis aliis traditis, coram senescallo Carcassone, ex suo officio procedente, contra dictos comitem, Guidonem et Amalricum et eorum complices, super dictis verbis contumeliosis, injuriis, violenciis, armorum portacionibus, inobedienciis et dampnis datis, qui articuli extrahentur de dictis processibus, copia fiet eisdem, et ipsi facient defensiones suas ad dictos articulos si velint, et, super eisdem articulis et defensionibus eorumdem, quas ipsi proponere voluerunt, vocatis procuratore nostro et dictis partibus, ex officio nostro, veritatem inquirent, et deputabuntur, per curiam, ad premissa, tres idonei commissarii, qui tres vel ex eis duo, non expectato tercio, inquirent, super premissis omnibus, summarie et de plano, veritatem, et complebunt omnes processus predictos, et inquestam et processus quos ipsi inde facient, remittent, Parisius, sub sigillis suis fideliter inclusos, ad diem senescallie Carcassone, futuri proximo parlamenti, et ex nunc reservat curia nostra deposiciones omnium testium, in causa hujusmodi productorum, ac processus, super hiis, factos, et instrumenta hinc inde producta in causa predicta ut vi-

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V. 1318.

deantur et judicentur, cum inquesta que, super premissis, reportabitur completa, et poterunt dicti commissarii procedere in dicto negocio, usque ad dictam diem, non obstante quod diu ante inceptum fuerit parlamentum, et quod hoc pendente, manus nostra, in terris predictis apposita, remanebit ibidem.

Quarta die julii.

Istud arrestum fuit postea correctum, prout continetur in rotulo hujus parlamenti, et habeo partem processus inter reliquias hujus parlamenti, et commissarii habent aliam partem, ad perficiendum.

LXXII. Cum, inter Aelipdim de Verneto, relictam defuncti Ludovici de Royere, quondam militis, ex una parte, et Poncium de Virsaco, militem, tamquam procuratorem heredis dicti Ludovici et tamquam contra personam suam, in curia nostra, ex altera, controversia mota fuisset, super eo quod dicta Aelipdis dicebat quod dictus Ludovicus, in tractatu matrimonii facti inter eos, promiserat, donaverat et assignaverat, in dotalicium, dicte Aelipdi, uxori sue, centum libratas terre redditus annui, secundum usum et consuetudinem patrie, in territoriis suis de Royere de Tournuele et de Sancto-Bandilio assidendas, et, si dicta loca ad hoc non sufficerent, ipse voluit et concessit quod, in locis suis proximioribus dictorum territoriorum, per heredes suos, dicte centum librate terre, predicte uxori sue, integraliter assiderentur, dicebat eciam dicta Aelipdis se, in assignacione et perceptione dictarum centum libratarum terre, per dictum Poncium indebite perturbari, quare petebat predicti dotalicii assignacionem, juxta promissionem sibi a dicto marito, super hoc, factam, sibi debite fieri et compleri, necnon de arreragiis dicti dotalicii, a decem et septem annis citra, sibi responderi ac turbacionem et impedimentum dicti dotalicii, in territoriis predictis, per dictum Poncium, sibi apposita, amoveri, et ad hoc ipsum, quibus supra nominibus, condempnari et compelli, predicto Poncio, ex adverso, proponente quod alias, inter dictam Aelipdim et heredes predictos, super dicto dotalicio et super aliis in quibus dicti heredes dicebant dictam Aelipdim sibi

teneri, in Johannem d'Argal, militem, fuerat factum compromissum, et per dictum arbitrium, super predictis omnibus, pronunciatum fuerat; que quidem pronunciacio finem liti inter eos mote, super predictis, totaliter imponebat; tandem hiis et aliis pluribus hinc inde propositis, curia nostra commisit certis auditoribus ut ipsi, super articulis dictarum parcium, vocatis evocandis, inquirerent veritatem; dicti vero commissarii, vocatis dictis partibus, inquisiverunt veritatem super predictis, et inquestam, super hoc, completam, sub sigillis suis, curie nostre remiserunt inclusam : Qua quidem inquesta, auditis dictis partibus, ad judicandum recepta, eaque visa et diligenter examinata, per curie nostre judicium, dictus Poncius, in quantum procurator dictorum heredum, ad assidendum eidem Aelipdi dictas centum libratas terre, in locis et territoriis predictis, necnon ad reddendum eidem dicti dotalicii arreragia, a tempore obitus dicti mariti sui, extitit condempnatus, eumdemque Poncium, in ejus persona, ad amovendum turbacionem et impedimenta predicta, per ipsum, in dictis locis et rebus dotalicii predicti, eidem Aelipdi apposita, curia nostra, per idem judicium, condempnavit. PHILIPPE V. 1318.

Septima die julii.

M. G. Droconis reportavit.

LXXIII. Dudum, in quadam causa, in curia nostra mota, inter Audam, dominam de Tyranno, filiam et heredem defuncti quondam Gombaldi de Tyranno, ex una parte, et Alesiam, dominam de Urnone, novercam suam, ex alia, in parlamento nostro quod fuit anno duodecimo, certum judicatum seu arrestum latum fuit, super fraccione cujusdam arche, ad manum nostram posite, et quibusdam aliis in dicto judicato contentis; in quo judicato, inter cetera, continentur quod dicta noverca fractionem dicte arche nobis emendabit et manum nostram resaisiet de bonis, in dicto judicato, declaratis que fuisse dicuntur dicti Gombaldi, et quod scietur veritas de quantitate et valore dictorum bonorum, prout, in casu hujusmodi, erit racionabiliter faciendum; continetur eciam quod, super eo quod dicta Auda peciit dicta

PHILIPPE V, 1318.

bona sibi reddi, cum dampnis, propter hoc, sibi illatis, partibus predictis curia nostra exibebit justicie complementum; ceterum, post judicatum predictum, per certos commissarios, per curiam nostram deputatos, presentibus dictis partibus, super quantitate et valore bonorum predictorum et super condicione et facultatibus parcium predictarum et defuncti Gombaldi, dum viveret, et temporis quo decessit, inquesta facta fuit, et per dictos commissarios eidem curie remissa, et per eamdem recepta, partibus auditis, ac demum tradita, ad videndum: Verum quia, ex inspectione ejusdem inqueste, curie nostre predicte constitit, articulis hinc inde, a dictis partibus, coram dictis commissariis, traditis, quibus hinc inde responderi fuit petitum, non fuisse responsum, sed ordinacioni curie predicte, per dictos commissarios, an responderetur articulis predictis vel non, fuisse, de consensu dictarum parcium, reservatum, et eciam an dicta Halesia admitti deberet ad producendum quosdam testes, quos in Romana curia et Anglia tunc esse dicebat, et quosdam alios quos citatos fuisse, per dictos commissarios, et in defectu positos dicebat, quorum testium et aliorum nomina sunt in inquesta predicta inserta, per ejusdem judicium, dictum fuit quod articulis predictis hinc inde respondebitur, per dictas partes, per sua juramenta, et quod illi testes quos Halesia producere voluerit, admittentur et recipientur, infra festum instans Omnium-Sanctorum, pro omni dilacione producendorum testium, et de jam nominatis, in inquesta predicta, coram certo commissario, per curiam nostram, ad hoc, deputando, prestito, per eamdem Halesiam prius juramento, sicut in processu inqueste paratam jurare se obtulit quod hoc, ex malicia, non peciit, processu super premissis habito, in suo robore permanente.

Septima die julii.

Magister B. de Albia reportavit.

M. B. de Albia habet processum ad perficiendum.

LXXIV. Cum Guillelmus Nivardi de Pruvino, campsor, captus, in Castelleto nostro, Parisius, ad quod ipse, de mandato nostro, pro

suspicione false monete, adductus fuerat, detineretur, prepositus Parisiensis, inqueste cujus, per ipsum vel deputatos ab eodem, faciende, se idem Guillelmus supposuerat, ut idem prepositus asserebat, per Johannem de la Breteiche et Clementem de Villa-Nova-Regis, super suspicione predicta et alias super vita, conversacione et fama ejusdem, fecit veritatem, eodem Guillelmo vocato et audito, inquiri, cumque, in curia nostra, prepositus predictus, presente dicto Guillelmo et querelam de dicto preposito proponente, peteret ipsam inquestam videri et per eamdem curiam judicari, dictus Guillelmus hoc fieri non debere dixit, pro eo quod, si ipse umquam inqueste dicti prepositi se supposuerit, hoc vi et tormentorum terrore, in quibus, per dictum prepositum illicite positus fuerat, hoc fecerat, ut dicebat, quare petebat dictam inquestam, per dictos commissarios factam, penitus anullari, preposito predicto ex adverso, pluribus racionibus, inquestam predictam videri et judicari debere dicente; auditis igitur hinc inde propositis, curia nostra inquestam predictam, ad videndum, ad illum finem ad quem videri et judicari deberet et posset, recepit: Visis igitur, in curia nostra, contentis in inquesta predicta, consideratisque considerandis, super eisdem, quia, ex ejusdem inspectione et eciam ex relacione quorumdam de consilio nostro, qui, super facto monetarum, contra ipsum, non est diu, inquisiverunt, curie predicte constitit predictum Guillelmum innocentem esse de sibi impositis supradictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictus Guillelmus, super predictis, extitit absolutus, et eciam, per idem judicium, dictum fuit quod bona dicti Guillelmi que, occasione predictorum, capta vel saisita fuerant, eidem Guillelmo integre restituentur et liberabuntur.

Philippe V. 1316.

Duodecima die julii.

G. de Monte-Acuto reportavit.

LXXV. Cum, oblato nobis, ex parte religiosorum virorum abbatis et conventus monasterii Sarlati, pro quadam nova construenda bastida, loco suo de Sancto-Sacerdote in Agenesio, faciendo, ex

PHILIPPE V, 1318.

parte nostra, recumpensacionem condignam religiosis eisdem, ipsisque religiosis supplicantibus ut eidem bastide et ibi habitantibus, libertates, usus et privilegia aliis concessa novis bastidis, vellemus concedere, et specialiter quod ipsa bastida extra manum regiam et coronam Francie nequeat umquam poni, senescallo Petragoricensi et Caturcensi vel ejus locum tenenti dederimus in mandatis ut ipse, ad dictum locum accedens, nostro procuratore vocato et aliis evocandis, se diligenter informaret si locus ipse, pro facienda dicta bastida, sit aptus, et de valore et condicionibus dicti loci et quod commodum vel incommodum nobis et locis vicinis esset, ex edifficacione dicte bastide et de franchisiis, usibus et libertatibus quas ipsi petebant, eidem concedi, et ubi et in quibus rebus eidem monasterio recumpensacio fieri posset de dicto loco, cum nostro minori incommodo, necnon de omnibus aliis circonstanciis universis, nobis inquestam quam, super hoc, faceret, sub suo mitteret inclusam sigillo, ut, ea visa, super hoc ordinare possemus, et dicta inquesta, per dictum locum tenentem facta, nostre curie ad judicandum missa et, auditis partibus, recepta, visaque, per nostram curiam, diligenter, per eamdem inquestam repertum est quosdam testes examinatos fuisse in turba et alios, secundum examinacionem, concordatos : Per eamdem curiam nostram ordinatum fuit predictos defectus fore supplendos, ac testes in dicta inquesta productos et coram partibus juratos, sic minus sufficienter examinatos, iterato debere examinari et interrogari, juxta predicte curie nostre stilum, quemlibet eorum per se secreto et sigillatim, et cujuslibet dictorum testium deposicionem debere, de verbo ad verbum, redigi in scriptis.

Septima die julii.

M. Yvo Prepositi reportavit.

Tradita fuit inquesta M. B. de Albia, ad perficiendum.

LXXVI. Constitutis, coram Theobaldo dicto le Bourgoignon, castellano nostro Lauserte, a Stephano Fereoli, milite, senescallo Vaschonie, et Raymundo Peleti, judice majore Agennensi, pro dilecto

et fideli nostro rege Anglie, duce Aquitanie, ac a Bernardo Gervasii, judice majore et locum tenente senescalli nostri Petragoricensis, virtute quarumdam litterarum, a nostra curia, ut dicebatur, emanatarum, commissario dato, ad faciendum teneri et observari consuetudines et libertates concessas habitatoribus bastide de Culeo castri de Lunacio, prout eidem legittime easdem servatas fuisse constaret, bajulo et consulibus Portus-Sancte-Marie, nomine universitatis dicte ville, et proponentibus sua interesse, contentis in commissione eidem Theobaldo facta, se opponere, ac ab eodem requirentibus commissionis predicte copiam, necnon libertatum, de quibus in eadem, mencio habebatur, eisdem fieri, et hoc fieri debere, per plures raciones in processu incertas, dicentibus, et sibi, per eumdem, jus, super predictis, reddi petentibus, memoratus Theobaldus jus et justiciam facere denegando, prout, ex parte dictorum bajuli et consulum, extitit propositum, predictorum copiam eisdem dare et facere recusavit et denegavit; a quibus recusacione et denegacione, ex parte dictorum bajuli et consulum, extitit ad nostram curiam appellatum, et, per eamdem curiam, dicta appellacionis causa senescallo nostro Petragoricensi commissa, qui senescallus, super causa predicta, vices suas primo magistro Martino de Cossolliis commisit; deinde, illo sublato de medio, magistro Stephano Laschouz, coram quibus, ex parte dictorum bajuli et consulum, petitum fuit se bene et legittime appellasse pronunciari, et dictum castellanum perperam premissa, ab eodem petita et requisita, dare et facere denegasse, et innovata, post et contra appellacionem hujusmodi, ad statum debitum reduci; lite tandem in dicta appellacionis causa, inter dictos bajulum et consules Portus, nomine quo supra, ex una parte, et consules de Aculeo castri de Lunacio, et bajuli regii ejusdem loci, factum dicti Theobaldi, defendentes, contestata, racionibus parcium auditis, renunciatoque, in causa predicta, a dictis partibus et concluso, per judicium dicti magistri Stephani, dictum et pronunciatum fuit, Theobaldum, commissarium predictum, copiam predictam dictis bajulo et consulibus Portus quorum se opponere predictis intererat perperam

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

facere denegasse et recusasse, et, ob hoc, fuisse ad nostram curiam legittime appellatum, attemptata post et contra appellacionem predictam revocando, et nulla esse decernendo, neutramque parcium, et ex causa, ut dixit, in expensis minime condempnando; a quo judicato, quelibet parcium, in quantum contra se faciebat, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia predicta, in causa appellacionis predicte, dictis partibus, visisque cum diligencia processibus habitis supra predictis, et consideratis considerandis, per curie nostre judicium, dictum fuit bene judicatum per dictum magistrum Stephanum, et per partes predictas male appellatum fuisse.

Septima die julii.

M. J. de Borbonio reportavit.

Traditus fuit processus, de mandato curie, partibus.

LXXVII. Lite mota, in curia nostra, inter Katherinam de Royere, filiam defuncti Ludovici de Royere, quondam militis, ex una parte, et Poncium de Vissaco, militem, ex altera, super eo quod dicta Katherina dicebat se, constante matrimonio inter Ludovicum, patrem suum, et ejus uxorem Aelipdim de Vernoto, matrem suam, natam fuisse, et quod immediate, post mortem dicti Ludovici, patris sui, ipsa in domo de Marsaco, que fuerat dicti patris sui, et de qua idem pater suus saisitus mortuus fuerat, morabatur, et quod secundum usum et consuetudinem Arvernie, ubi sita est dicta domus, per quos dicitur quod mortuus saisit vivum, ipsa de dicta domo et tota terra, quam dictus pater suus, tempore obitus sui, in Arvernia possidebat, tamquam filia et heres proximior dicti Ludovici, patris sui, insolidum vel saltim pro parte media, cum fratrem haberet, saisita remanserat et vestita, et quod ipsa sic existente in saisina dicte domus de Marsaco et terre predicte, ballivus Arvernie, dicto Poncio procurante, per quosdam servientes dicte ballivie, domum et terram predictas, ac personam dicte Katherine ad manum suam posuerat, manuque predicta in domo et terra predictis existente, idem Poncius domum et terram predictas occupaverat violenter, dictam Katherinam in sua

justa possessione predictorum injuste perturbando. Item dicebat dicta Katherina, contra dictum Poncium, se in saisina bonorum hereditariorum que fuerant Ludovici de Royere, quondam canonici Brivatensis, patrui sui, cui, virtute dicte consuetudinis Arvernie, tamquam neptis et heres dicti canonici proximior, ipsa successerat, per eumdem Poncium, a tempore obitus dicti canonici, injuste et indebite perturbatum esse, et quod fructus et proventus, tam de terra dicti patris sui, a tempore dicte manus apposite in eisdem bonis, ac occupacionis predicte, quam de terra et bonis dicti patrui sui, usque ad summam quindecim millium librarum Turonensium, idem Poncius perceperat, in sui grande prejudicium et gravamen; quare petebat dicta Katherina, hiis et aliis pluribus racionibus, saisinam domus et bonorum predictorum declarari ad se pertinere et impedimenta et turbaciones predictas amoveri, ac predictum Poncium sibi ad restitucionem predictorum fructuum condempnari, predicto Poncio ex adverso proponente, saisinam dicte domus de Marsaco, que censetur esse castrum, ut dicebat, ad Henricum, filium primogenitum dicti Ludovici, racione primogeniture sue, precipue virtute consuetudinis Arvernie, et tamquam ad heredem universalem dicti Ludovici devenisse; quam quidem domum dictus Poncius, cum ejus pertinenciis, ex causa donacionis inter vivos a dicto Henrico, tamquam bene merito, sibi facte possederat, per sex annos et ultra pacifice, ut ipse dicebat, plures alias raciones pro parte sua proponendo, quare dicebat petita contra ipsum fieri non debere; hiis igitur et aliis racionibus et consuetudinibus contrariis, super hoc, hinc inde propositis, curia nostra certis auditoribus commisit, ut ipsi, super dictarum parcium articulis, vocatis evocandis, inquirerent veritatem; qui quidem commissarii, in hujusmodi procedentes, inquisiverunt, super hoc, veritatem, et inquestam suam, super hoc, completam curie nostre miserunt inclusam : Qua quidem inquesta, vocatis dictis partibus et auditis, per curiam nostram recepta, et ad judicandum tradita; tandem ea visa, et diligenter, cum predictis processibus, examinata, per curie nostre judicium, dictum fuit possessionem et saisinam dicte

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

domus de Marsaco, et tocius terre seu bonorum hereditariorum dicti Ludovici, patris dicte Katherine, in Arvernia existencium, pro media parte, ad dictam Katherinam pertinere, et sibi reddi debere, cum medietate fructuum et emolumentorum tocius terre predicte, a tempore manus dicti ballivi ac occupacionis et impedimenti predictorum in domo et bonis predictis appositorum, per dictum Poncium perceptorum, et quasi percipi potuerunt; dictumque Poncium ad hoc debere compelli, ac turbacionem et impedimenta predicta in domo et bonis predictis, tam per nos seu ballivum nostrum Arvernie quam per dictum Poncium eidem Katherine apposita, amoveri debere, salvo, super hoc, illi cujus interesse potest, de consuetudine vel de jure, jure proprietatis in omnibus, et aventagio in domo de Marsaco, seu manerio aut castro, alias racione primogeniture in bonis hereditariis dicti Ludovici, patris Henrici et Katherine predictorum, necnon saisinam bonorum hereditariorum predicti Ludovici, patrui dicte Katherine, cum fructibus et emolumentis dictorum bonorum, a tempore mortis dicti patrui, a dicto Poncio, vel alio, ejus nomine, perceptis, et qui percipi potuerunt, pro media parte, ad dictam Katherinam pertinere, et sibi reddi debere, ad quorum fructuum et emolumentorum predictorum omnium, ut premittitur, restitucionem, predictus Poncius, per idem judicium, extitit condempnatus, et quia ipse manum dicti ballivi predictam fregit, ipse hoc emendabit.

Septima die julii.

M. G. Droconis reportavit.

LXXVIII. Cum, tempore inclite recordacionis, karissimi domini et genitoris nostri, procurator ejusdem, pro ipso, et abbas de Bello-Loco in Argona, conjunctim ad finem quod idem dominus genitor noster, ut rex Francie, esset et remaneret in saisina garde dicte abbacie ac pertinenciarum et habitatorum ejusdem, sicut se comportant dicta abbacia et ejus pertinentie, ultra terminos comitatus Campanie, versus Verdunum, in articulis, super hoc, confectis designatos, et quod dicta abbacia, pertinencie et habitatores earumdem remanerent in

saisina quod gardiarentur, per dictum genitorem nostrum, racione Francie, et non in garda comitis Campanie, ex parte una, et procurator karissimi germani nostri Ludovici, tunc comitis Campanie et Brie, ad finem quod idem comes esset et remaneret in saisina gardiandi abbaciam predictam, pertinencias et habitatores ejusdem, sicut se comportant, et situate sunt, ab antiquo, infra terminos et metas Campanie comitatus, et quod, tam dicta abbacia, cum ejus pertinenciis, quam habitatores ejusdem in gardia dicti comitis Campanie, et non in gardia Francie, remanerent, ex altera, plures raciones et facta proposuissent, idem dominus genitor noster, per certos commissarios ab eo deputatos, super predictis fecit, vocatis partibus, veritatem inquiri, et inquestam super hoc factam, curie predicte mandavit, ad judicandum remitti; tandem inquesta predicta curie nostre fuit remissa, et, per eamdem, dictis partibus vocatis et auditis, ad judicandum, recepta, et tradita ad videndum : Visa igitur et diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit inventum fuisse sufficienter probatum, per inquestam predictam, quod dictus dominus genitor noster, ut rex Francie, erat in saisina garde abbacie predicte et ejus pertinenciarum predictarum, et quod dicta abbacia erat in saisina quod ipsa gardiaretur, racione Francie, per eundem, et quod nos qui ejusdem sumus successores remanebimus in saisina predicta gardiandi, racione Francie, dictam abbaciam, cum ejus pertinenciis supradictis, et quod dicta abbacia, pro se et ejus dictis pertinenciis, in saisina quod, per nos, racione Francie, gardientur, remanebit, et, per idem judicium, procuratorem nostrum et dictum abbatem, ab impeticione predicta dicti procuratoris Campanie, super dicta saisina, absoluti fuerunt, questione proprietatis illis quorum interest, super hoc, reservata.

PHILIPPE V. 1318.

Nona die augusti.

M. B. de Albia reportavit.

LXXIX. Cum Matheus Chambellain, prepositus noster de Roya, nuper, in curia nostra, proponeret quod quidam malefactores dicte

PHILIPPE V, 1318.

prepositure, subditi nostri, quorum nomina inferius continentur, qui ad Castelletum, Parisius, adducti fuerant, et ibidem capti detinebantur, pro quibusdam injuriis eidem preposito, suum officium exercenti, illatis, et excessibus in ejusdem persona, spreta reverencia nostri officii, per eosdem commissis, ballivo nostro Viromandensi emendam gagiaverant, et requireret, tam pro nobis quam pro ipso preposito, emendam predictam taxari; predictis reis, ex adverso, pluribus racionibus, predicta fieri non debere, proponentibus; auditis, super hoc, hinc inde propositis, per nostram curiam dictum fuit, quod ipsa curia nostra, de totali facto predicto, pro utraque parte, faceret, vocatis partibus, veritatem inquiri, de plano, et quod inquesta que, super hoc, fieret, curie nostre, ad judicandum, remitteretur, quamquam non esset parlamentum, sane cum, de mandato dicte curie nostre, inquesta super predictis, per certos commissarios, ad hoc, a nostra curia, deputatos, contra Johannem Levasseur de Villiers, Petrum Levasseur, Odinum Levasseur, Johannem Levasseur de Biaufort, Hemonem Levasseur dictum Biaufort, Collardum Herneus, Johannem Malhy, Renaudum Chapelain, Odardum Coffin, et Johannem Truiete de Fresnoy, vocatis partibus, facta fuerit, et, ad judicandum, curie nostre remissa, et, per eandem curiam nostram, vocatis partibus et auditis, recepta, et tradita ad videndum : Visa igitur cum diligencia inquesta predicta, visisque aliis processibus antedictis, per curie nostre judicium, prefati Johannes Levasseur de Villiers, et Petrus Levasseur in quingentis libris parvorum Turonensium, et, pro eo insuper quod juxta dicti delicti qualitatem, pena predicta non est sufficiens, quod, ipsi in Castelleto, Parisius, capti, quamdiu nobis placuerit, tenebuntur, et, post eorum exitum de dicto Castelleto, ipsi de regno nostro bannientur, ad voluntatem nostram; predicti vero Odinus, et ceteri alii, superius nominati, in mille libris Turonensibus nobis, pro emenda predictorum excessuum, solvendis, et tam prefati Johannes, et Petrus, quam alii superius nominati, omnes insimul, in trecentis libris Turonensibus, solvendis dicto preposito, pro suis injuriis, fuerunt sentencialiter condempnati.

Nona die augusti. PHILIPPE V, 1318.
M. B. de Albia reportavit.

LXXX. Cum Hanequinus Vaure, de Compendio, pro quibusdam injuriis et excessibus, in personam Petri, aurifabri, majoris nostri ville Compendiensis, per quosdam habitatores ipsius ville perpetratis, per inquestam, super hiis, factam, in quadam summa peccunie, pro emenda nostra, condempnatus fuisset, ipseque postea, ad nos accedens, proposuerit quod, ad faciendum dictam inquestam, ipse presens non fuit nec vocatus, quodque, tempore quo perpetrati fuerunt dicti excessus, et per quindecim dies ante et post, continue ipse absens fuerat a dicta villa Compendii, per quinquaginta leucas et ultra, apud Autissiodorum et circa; quibus auditis, nos eidem graciam fecimus de proponendo et probando predicta, contra condempnacionem predictam, et ballivo Silvanectensi mandavimus, ut ipse, super hiis, inquireret veritatem: Facta igitur, super hoc, inquesta, et, per curiam nostram, visa, inspectaque iterato dicta priori inquesta, inventumque non fuerit, quod dictus Hanequinus, ad eam faciendam, fuerit vocatus, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod predicta condempnacio, contra ipsum facta, non mandabitur execucioni.

Dicta die.

LXXXI. Cum Reginaldus de Fayello, miles, curie nostre conquestus fuisset, super eo, ut ipse dicebat, quod Johannem de Vaux et Johannem Langlois de Borguel qui, pro raptu filii sui, capti tenebantur in Castelleto, Parisius, et dictum factum, ut ipse dicebat, confessati fuerant, Henricus de Taperello, prepositus Parisiensis, et Philippus le Bescot, ejus familiaris, vel alter eorum, recrediderant, seu largicionem prisionis concesserant eisdem, dictique prepositus et Philippus, pluribus racionibus, se super excusarent, dicendo, inter cetera, quod quicquid ipsi, super hoc, fecerant, ipsi hoc fecerant de mandato gencium nostrarum, ad reportum et mandamentum magistri Petri Rubei, quod reportum et mandamentum dictus Petrus

PHILIPPE V, 1318.

Rubei negavit, et tunc curia nostra dicto Petro, qui ad patriam suam ire volebat, precepit, quod ipse de Parisius non recederet, quousque de innocencia sua, super hoc, curie nostre constaret : Datis igitur per curiam nostram, super hoc, certis commissariis, auditaque, super predictis, dicti Philippi confessione, per suum juramentum, visisque deposicionibus testium, super hoc, productorum, habitaque, super hoc, deliberacione diligenti, curia nostra dictum Petrum Rubei, super hoc, inveniens innocentem, a predictis sibi impositis, per suum judicium, absolvit eumdem, et liberavit omnino, salva, curie nostre, super dicta relaxacione, prosecucione sua, contra predictos prepositum et Philippum, ad finem civilem, prout fuerit racionabiliter faciendum.

Istud judicatum, de mandato curie, pronunciavit dictus Philippus de Pesseleriis, decima nona die augusti. Ad hoc fuerunt presentes Sancti-Germani de Pratis, Sancte-Genovefe Parisiensis, et de Karrofio abbates, Bernardus, comes Convenarum, magister Droco de Karitate, magister Yvo Prepositi, magister Petrus Droconis, magister Beraudus de Voissiaco, magister Bernardus de Albia, magister Gervasius de Ponte-Arsi, magister Petrus de Bituris et alii quamplures; et fuit bene dictum dicto cancellario, quando recedebat de curia, quod dictum judicatum daretur, ad deliberacionem dicti magistri Petri.

Nunc recuperavi istam inquestam, et credo quod dominus Philippus de Pesseleriis habet eam.

LXXXII. Cum, ex parte dilecti et fidelis nostri Helye, Eduensis episcopi, nobis fuisset conquerendo monstratum, quod, cum ipse, homines et burgenses sui, ville et castra ipsius, cum tota terra sua, essent et sint in nostra gardia speciali, nichilominus Geraldus, Hugolinus, Guiotus de Brasseio, fratres, Hugo dictus Dacy, et dictus Modart, armigeri, cum pluribus aliis suis complicibus, cum armis, pensatis insidiis, quosdam mercatores habitatores ville de Sauleu, que villa et juridicio ejusdem, ad dictum episcopum, solum et insolidum dicuntur pertinere, in itinere publico, venientes, de nundinis Sancti-Johannis et aliunde, ad villam predictam invaserunt,

et, de eisdem, usque ad numerum duodecim, necnon et Hugonem Dormeau, servientem nostrum, in gardiatorem habitatoribus dicte ville, per senescallum nostrum Matisconensem, seu de ejus mandato, datum, qui in dicto itinere erat, cum dictis hominibus et eisdem malefactoribus, ex parte nostra, inhibebat ne predictis hominibus dampna vel injurias inferrent, graviter vulnerarunt, in nostrum et salve garde nostre predicte contemptum, dictorumque episcopi et habitancium prejudicium atque dampnum, nos certos deputavimus commissarios quibus, inter cetera, commisimus ut ipsi, super predictis, vocatis evocandis, inquirerent, cum diligencia, veritatem, et illos quos ipsi, per eorum inquestam, culpabiles, super hoc, invenirent, taliter, juxta eorum demerita, punirent quod pena eorum transiret ceteris in exemplum, sane prefatis Gerardo, Hugolino, et aliis malefactoribus superius nominatis, de mandato commissariorum predictorum, legittime, coram eis, evocatis et non comparentibus, ac, per eosdem, pro veris contumacibus, exigente justicia, reputatis, et deinde, in predictorum contumaciam, super quibusdam articulis, ex parte procuratorum senescallie nostre Lugdunensis et Matisconensis, et episcopi memorati, ad finem civilem, eisdem commissariis, super predictis, traditis, testibus receptis et examinatis et eorum deposicionibus publicatis et postea predictis reis, ad audiendum, super hoc, sentenciam, coram ipsis citatis, deinde per nos fuit commissariis predictis, certis ex causis, et per nostras litteras, inter cetera, mandatum, ut ipsi inquestam, super predictis, factam, si completa erat, nobis aut gentibus nostris, Parisius, mittere non tardarent, et omnes illos quos tangeret inquesta predicta, ad novissimam diem tunc instantis mensis junii, coram nobis, aut gentibus nostris, Parisius, adjornarent, visuros inquestam judicari predictam et, secundum eamdem, justiciam recepturos, ceterum malefactoribus predictis sufficienter, ad dictam diem, adjornatis, et die predicta, nec eciam postea, comparere curantibus, procuratoribus nostro et episcopi predicti comparentibus. et inquestam predictam, per curiam nostram, recipi, videri et judicari petentibus, curia nostra, dictos citatos reputans contumaces,

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

recepit et tradidit, ad videndum inquestam predictam : Visa igitur inquesta predicta, et nostre curie reportata, quia, per eamdem, curie nostre constitit evidenter predictos Gerardum et Guiotum, fratres, ac dictum Modart, quamplures homines ville predicte de Sauleu et in itinere publico, spreta inhibicione servientis nostri predicti, gardiatoris eorumdem, invasisse, et cum armis, et in invasione predicta Hugonem dictum Dormeaux, servientem nostrum predictum,— Henricum Usurarii, dictum Beaushuels, — Henricum, filium Garini, — Perinetum Marineti, — Johannem de Joy, — Johanninam, filiam Daguacal, — Hugonetum, filium Bochier, — Galterum Probi-hominis, — Guillelmum, ejus fratrem, — Renaudum Cholomini, — Johannem, ejus filium, — Colardum, filium a la Destinee, — Henricum le Gastelier, — et dictum Piceaul, vulneratos fuisse, per curie nostre judicium, dictos malefactores, propter excessus eorum predictos, ipsa curia nostra, de toto regno nostro, bannivit, et precepit ipsos publice banniri, et dictum bannimentum solempniter publicari, et, per idem judicium, pronunciavit omnia eorum bona mobilia et immobilia, tamquam commissa, nobis applicari debere; de quibus bonis dicto episcopo, pro emenda et satisfaccione injuriarum et dampnorum, que ipse, occasione predictorum, sustinuit, duo milia librarum parvorum Turonensium persolventur ac predictis injuriam passis, pro satisfaccione injuriarum et dampnorum suorum predictorum, mille et ducente libre Turonenses reddentur, de quibus serviens noster predictus, ducentas libras Turonenses habebit, et residuum distribuetur inter alios proxime nominatos, per senescallum Matisconensem vel deputandum ab eo, consideratis majoritate et minoritate dampnorum et injuriarum predictorum et dictarum condicionibus personarum, rursus, quia eidem curie nostre constitit malefactores predictos ac dictum Hugonem Dacy, cum pluribus aliis suis complicibus, cum armis et hostiliter, homines ville predicte de Sauleu, quorum aliqui sunt in dictis articulis nominati, videlicet : Johannes Malyvenez, — Peronus Bouder, — Johannes Cholligat, — Radulphus Longieure, — liberi Girardi Surdi, fabri, — Hugo

Dormeau, serviens predictus, — Maria la Chambellengne, — Johannes Robelini, — relicta Simonis Renier, — liberi Billardot, — Johannes Macart, — Johannes Morelli, — Johannes de Chateville, — Guillelmus Malefoi, — liberi Baulerie, — Guillelmus le Tachier, — Johannes Alabouq, — magister domus-Dei de Sauleu, et quosdam alios non nominatos ibidem, fugasse, cepisse et violenter boves, vacas, jumenta, oves, mutones, res alias et bona eorumdem secum duxisse, per idem judicium, fuit dictum quod, cum, de violenciis predictis, liquido constet super rebus predictis ablatis, hominum dicte ville, in predictis articulis nominatorum et aliorum ville predicte qui, per violencias predictas, res suas perdiderunt que et quales et quot fuerunt dicte res ablate, et consideratis personarum hominum predictorum condicionibus et aliis in talibus considerandis, taxacione premissa, per senescallum nostrum predictum vel deputandum ab eo, super dictarum rerum sic ablatarum numero et valore, prestitoque, super hiis, dictorum hominum juramento, post taxacionem predictam, dictorum hominum stabitur juramento, et rerum predictarum sic ablatarum valor, sic taxatus et juratus eisdem hominibus, de bonis predictis, reddetur, quibus solucionibus factis, ut premissum est, residuum totale dictorum bonorum nobis integre remanebit. PHILIPPE V, 1318.

Lune post Nativitatem beate Marie virginis.

M. B. de Albia reportavit.

Nomina vero illorum qui, per inquestam, culpabiles inveniuntur, et contra quos non est inquisitum, sunt ista: Petrus de Vesenhi, — Guiotus, ejus frater, — et dictus Chambarlene.

LXXXIII. Lite mota, coram ballivo Trecensi, inter magistrum, fratres et sorores leprosarie de Duobus-Aquis, prope civitatem Trecensem, ex una parte, et omnes carnifices Trecenses, ex altera, super eo quod, cum dicti magister, fratres et sorores, ut ipsi dicebant, sint ac eorum predecessores fuerint, ab antiquo, videlicet a tanto tempore quod de contrario memoria hominum non existit, in posses-

PHILIPPE V. 1318.

sione pacifica percipiendi et habendi, quolibet anno, inter festum Nativitatis Domini et Purificacionem beate Marie, a carnificibus Trecensibus predictis unum currum oneratum porcis, bovis et competentibus, inter viginti et triginta porcos continentem, nichilominus dicti carnifices, dictum currum, porcis predictis oneratum, anno decimo sexto, non solverunt eisdem in dictorum magistri, fratrum et sororum prejudicium atque dampnum, eosdem sua possessione predicta spoliando indebite et de novo, quare petebant dictos carnifices sibi, ad solucionem dicti currus, ut predicitur, onerati, condempnari et compelli; ex adverso vero, inter cetera, proponebatur quod, licet ipsi carnifices, pluribus annis, unum carrum, porcis oneratum, ad predictam leprosariam duxerint et obtulerint, hoc tamen, ex devocione sua et sola voluntate, fecerunt, et, ob hoc, retrahere se poterant, ut dicebant, quando sibi placebat, a solucione predicta; cumque postmodum certis commisissemus personis ut ipsi, resumpto processu, super hoc, per dictum ballivum, facto, dictum negocium audirent et examinarent, et predictum negocium, sufficienter instructum, curie nostre, sub suis sigillis, quamcicius possent remitterent, fine debito terminandum, dicti commissarii, processum factum super hoc et completum, nostre curie, remiserunt una cum partibus antedictis; recepto igitur dicto processu et auditis omnibus que dicte partes, super hoc, proponere voluerunt, curia nostra precepit dictum processum videri : Viso igitur et diligenter examinato processu predicto et nostre curie reportato, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos magistrum, fratres et sorores, in possessione dicti currus, ut predicitur onerati, esse et remanere debere, dictosque carnifices, ad reddendum currum predictum, ut premissum est, oneratum, pro anno supradicto, dictis magistro, fratribus et sororibus debere compelli, questione proprietatis predictis carnificibus, super hoc, reservata.

Lune post Nativitatem beate Marie.

LXXXIV. Cum, super quibusdam peccuniarum summis, quas Ja-

cobus de Chartaut, a Johanne Prepositi de Castro-Nanthonis, ex certis causis, pecierat, dicto Johanne solucionem plenariam, super hoc, opponente, partibus auditis, testibus receptis, visisque deposicionibus eorumdem, litteris et instrumentis, super hoc, a dictis partibus productis, certum judicatum, per curiam nostram, tempore karissimi domini genitoris nostri, latum fuisset, pro dicto Johanne, contra Jacobum predictum, et deinde dicto Jacobo eidem genitori nostro asserente quod erratum fuerat in compoto, super hoc, facto, inter partes predictas, et obtenta licencia quod raciones ejus iterato, super hoc, audirentur, vocatisque partibus et auditis, et deliberacione, super hoc, habita diligenti, per arrestum dicte curie, dictum fuisset quod, non obstantibus propositis ex parte dicti Jacobi, predictum judicatum ratum maneret et firmum et ex integro mandaretur execucioni, ac quod dictus Jacobus hoc emendaret; postea vero memorato Jacobo dicto genitori nostro asserente dictum Johannem, ad probandum solucionem predictam, in priori judicato, ab eodem, contra dictum Jacobum, oppositam, subornatos et falsos testes produxisse, dictosque testes in dicta causa, per subornacionem falsum deposuisse, per quorum falsam deposicionem, datum fuerat judicatum predictum, asserens idem Jacobus falsitatem et subornacionem predictas ad sui noticiam devenisse, post prolacionem judicati predicti; unde karissimus genitor noster predictus certis personis commisit ut ipsi, vocatis evocandis, super premissis, inquirerent, cum diligencia, veritatem, et inquestam quam inde facerent dicte curie remitterent, ad certam diem, sub sigillis suis inclusam : Inquesta igitur, super premissis, per dictos commissarios, vocatis partibus, facta et completa et dicte curie nostre remissa, partibusque presentibus et auditis, ad judicandum tradita et recepta, tandem visa et diligenter examinata inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum Jacobum intencionem suam, super predictis ab eo propositis, minime probavisse, et quod, eisdem propositis non obstantibus, judicatum predictum, contra dictum Jacobum latum, ex integro mandabitur execucioni.

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

Lune post Nativitatem beate Marie.

Ad hoc fuerunt presentes et concordes : Episcopus Briocensis, — abbas Sancti Germani, — magister P. Bertrandi, — decanus Carnotensis, — magister P. de Moncy, — M. J. de Halis, — magister Guido de Perçon, — magister J. de Divione, — magister B. de Albia, — magister Johannes de Borbonio, — magister Ivo Prepositi, — comes Convenarum, — dominus H. de Cella, — dominus G. Corteheuse, — dominus Guichardus de Marziaco, — dominus Philippus de Pesselieres, — dominus Bertrandus de Ruppe-Negata, — dominus J. de Varenis, — Freminus Coquerel, — abbas Karrofensis, sub dubio respondit, — dominus Thomas de Marfontanes, nichil dixit, ex causa, — magister Gervasius de Ponte-Arsi, respondit, de juris rigore, contra Jacobum, sed, de equitate, pro ipso (35).

LXXXV. Cum, in causa, coram reformatoribus dudum, ad partes Arvernie, per carissimum dominum et germanum nostrum Ludovicum, quondam Francie et Navarre regem, destinatis, auctoritate cujusdam commissionis, per eumdem dominum, specialiter eis facte, super saisina ac jure instituendi preceptorem seu rectorem in domo leprosarie d'Erbes, juxta Montem-Ferrandi, mota inter Stephanum Tibilonc, fratrem dicte domus, pro preceptore seu rectore ejusdem domus se gerentem, pro se et dicte domus fratribus, ex una parte, asserentem, suo et fratrum dicte leprosarie nomine, predictos fratres esse et fuisse in saisina eligendi sibi preceptorem, per se et ex se, quociens dicta domus caruit preceptore, a nemine, super hoc, petita licencia, sed propria auctoritate, et sic institutum, quociens eisdem fratribus visum fuit expediens, per se et sine cujuscumque licencia, amovendi, et consules Montis-Ferrandi, ex parte altera, proponentes se, tam super saisina quam super proprietate institucionis et destitucionis preceptoris seu rectoris dicte domus, suo et communitatis dicte ville nomine, jus habere, ac procuratorem nostrum ballivie Arvernie, pro nobis, ex parte altera, proponentem institucionis et destitucionis preceptoris dicte domus, jus proprietatis, ad nos, a lon-

ginquis temporibus, pertinere, in tantum processum extiterit quod, de mandato curie nostre, inquesta, super hoc, facta, ad judicandum curie nostre, cum dictis partibus, fuit remissa, ad diem ballivie Arvernie novissime preteriti parlamenti; ad quam diem, dictis partibus in judicio comparentibus et auditis, predicta inquesta recepta fuit et tradita ad videndum : Dicta igitur inquesta et ejus inqueste processibus visis et examinatis ad plenum, attento et considerato quod fratres predicti saisine, si quam habebant, instituendi et destituendi preceptorem in dicta leprosaria, non tantum semel sed pluries renunciaverunt, ac eciam novissime consenserunt in institucione facta, per dictos consules, de Oliverio Malverii in preceptorem domus ejusdem, prout per litteras, sigillo fratrum dicte domus sigillatas, quarum tenor in inquesta predicta continetur, potest liquido apparere; item et quod predicti consules intencionem suam, quoad saisinam predictam, melius quam fratres predicti et quam eciam procurator noster Arvernie, probaverunt, per curie nostre judicium, predicti consules, ab impeticione predicta dictorum Stephani Tibelonc et fratrum dicte domus absoluti fuerunt, et predicta saisina, contra predictos fratres et dictum procuratorem nostrum fuit eisdem consulibus adjudicata, salva, super hoc, questione proprietatis predictis fratribus et Stephano, si, super dicte proprietatis jure, contendere sibi visum fuerit expedire, salvaque procuratori nostro prosecucione per eum inchoata, super proprietate predicta; verum, cum, per inqueste et processuum predictorum inspectionem, appareat dictam inquestam, super jure dicte proprietatis, de qua contenditur inter nostrum procuratorem et consules antedictos nondum esse completam, per ejusdem curie judicium, dictum fuit quod certis personis, per nostram curiam deputandis, committetur ut ipsi dictam inquestam, quantum ad hoc, compleant et ad diem ballivie Arvernie futuri proximo parlamenti completam reportent, fine debito terminandam. In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, die septima octobris, anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo.

Philippe V. 1318.

165.

PHILIPPE V, 1318.

M. P. Mallardi reportavit.

Ad complendos defectus qui secuntur, repertos in inquesta domus leprosarie d'Erbes, quantum ad articulum de jure proprietatis institucionis et destitucionis rectoris seu magistri domus ejusdem, super quo pendet lis inter procuratorem regium, ex una parte, et consules Montis-Ferrandi, ex altera, restat inquirere de hiis que secuntur.

Primo, si fratres dicte domus habent cartas, instrumenta, cirografa, seu alia munimenta de fundacione dicte domus; et idem a consulibus predictis.

Item, quia dominus Rex tenetur dicte domui in septem et decem sextariis bladi annuatim, inquiratur et sciatur ex qua causa ipse ad hoc tenetur, et querantur littere et carte de hoc.

Item, quia dominus Rex vel ille qui causam habet ab ipso recipit, a fratribus dicte domus, annuatim sexaginta solidos, inquiratur et sciatur ex qua causa dicti sexaginta solidi solvantur, et querantur similiter de hoc littere et carte.

Et, pro scienda et reperienda melius veritate dictarum cartarum et litterarum, ut possint melius inveniri, recipiantur, super hoc, juramenta ad sancta Dei evangelia, fratrum et sororum omnium dicte domus, tam sanorum quam infirmorum, et eciam consulum predictorum, et quecumque, super hiis, invenientur, inquisitor recipiat et, sub suo sigillo, asportet ad diem ballivie Arvernie futuri proximo parlamenti, et significet partibus quod ipse, ad dictam diem, veniant visure judicari dictam inquestam, quantum ad articulum predictum, si et prout nostre curie videbitur faciendum. Damus autem, etc.

LXXXVI. Cum dilecta et fidelis nostra Mathildis, comitissa Attrebatensis, in curia nostra, graviter de Johanne de Malhi, milite, conquesta fuisset, super eo quod, ut ipsa dicebat, idem miles, in prejudicium cause seu causarum, inter dictam comitissam, ex una parte, et dictum militem, ex altera, in curia predicta pendencium, plures

excessus, injurias, prisias et expleta justicie, violenter et cum armis facere et attemptare presumpserat in ejusdem comitisse non modicam lesionem, nos gardiatori comitatus predicti commisimus, ut ipse, super predictis ac eorum circonstanciis universis, necnon et super quibusdam aliis, postmodum, per dictum militem, attemptatis, vocatis evocandis, inquireret cum diligencia veritatem, et inquestam quam inde faceret, ad tunc instantem quindenam festi novissime preteriti beate Marie Magdalene, predicte curie, sub suo clausam sigillo, Parisius mitteret, judicandam, ac eumdem militem, ad diem et locum predictos, adjornaret visurum inquestam judicari predictam, sane cum miles predictus, per dictum gardiatorem, super predictis, et virtute dicte commissionis adjornatus, et coram eo comparens, contumaciter procedere recusaret, idem gardiator, in ejusdem militis contumaciam, super quibusdam articulis eidem, per procuratorem dicte comitisse, super hoc, traditis, continentibus spoliacionem et injurias, prisias et attemptata predicta, et tendentibus ad fines certos in eisdem contentos, veritatem inquisivit, et inquestam quam inde fecit, curie predicte, sub suo sigillo inclusam, judicandam remisit, ac militem predictum, modo et forma, quibus eidem fuerat injunctum, adjornavit ad diem et locum predictos, ad videndum inquestam judicari predictam, prout de predictis, tam per dictorum articulorum quam litterarum gardiatoris predicti ac cujusdam instrumenti publici, super hoc confecti, tenores, curie nostre constitit evidenter; ad quam diem dictarum parcium procuratoribus, Parisius, in curia nostra, comparentibus et auditis, inquesta predicta, curie nostre tradita fuit, ad judicandum : Recepta igitur dicta inquesta per curiam nostram, visisque, per eamdem curiam nostram, cum diligencia, contentis in eadem inquesta, quia, ex inspectione ejusdem, curie nostre constitit militem predictum de domo dicte comitisse, vocata de Gennes, sita apud Yvernhi, gentes dicte comitisse, qui ibidem nomine ejusdem existebant et eamdem tenebant et possidebant, expulisse violenter et cum armis, ac ipsum dictam domum, cum juribus et deveriis spectantibus ad eamdem, per dictam violenciam

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

occupasse, inhibuisseque et mandasse generaliter illis qui, racione dicte domus eidem comitisse, pro predictis juribus aut deveriis, in aliquo tenebantur, ut ipsi eidem militi vel deputato per eum, tantummodo de predictis omnibus respondent et non dicte comitisse, rursus et eumdem militem vel deputatum ad hoc ab eodem in annis decimo quinto, decimo sexto et decimo septimo novissime preteritis, de bladis, avenis, censivis, avoariis, feno, fructibus et quibusdam aliis in dictis articulis expressis, que bona excreverunt in terris dicte domus et que, racione dicte domus, eidem comitisse debebantur, tantum recepisse, quod computatis de tercio, racione terrarum predictarum, culpa ejusdem militis proveniente, et habita insuper racione de eo quod percipi, ex dictis terris, potuit, valor predictorum bonorum usque ad summam septingintarum sexaginta tresdecim librarum quindecim solidorum et quinque denariorum Parisiensium ascendit, et insuper Petrum de Rochafay, militem, pro quibusdam que ipse a dicta tenebat comitissa et, racione quorum, ipse in ejusdem erat fide et homagio, ad faciendum sibi homagium compulisse, predictus Johannes de Malhi, ad reddendum et restituendum eidem comitisse possessionem domus predicte jurium et pertinenciarum ejusdem, per eumdem, ut premissum est, occupatorum, et in summa predicta septingintarum sexaginta tresdecim librarum quindecim solidorum et quinque denariorum Parisiensium danda et solvenda, et ex causis predictis, fuit eidem comitisse, per curie nostre judicium, condempnatus, ac, per idem judicium, inhibiciones predicte, seu mandatum ac dictum homagium, dicto Johanni de Malhi sic factum, nulla existere declarata fuerunt, et insuper fuit dictum quod dictus Johannes de Malhi hoc nobis emendabit.

Septima die octobris, trecentesimo decimo octavo.

M. B. de Albia reportavit.

LXXXVII. Processus inter Johannem de la Coste, ex una parte, et socios societatis des Angoissolles, ex altera, judicatus; et est judicatum scriptum in rotulo hujus parlamenti.

LXXXVIII. Item, processus inter Johannem des Bans, curatorem Philippi Rouy, ydiote, ex una parte, et Guillelmum et Guidonem Guenauz, milites, ex altera; et est arrestum, super hoc factum, in rotulo hujus parlamenti. Philippe V, 1318.

LXXXIX. Item inquesta inter Annam de Pictavia, relictam Henrici, comitis quondam Ruthenensis, ex una parte, et Ysabellim, relictam defuncti Gaufridi de Ponte, ex altera, judicata in auditorio juris scripti; et est judicatum scriptum in rotulo dicti auditorii hujus parlamenti.

XC. Item inquesta inter procuratorem Regis senescallie Petragoricensis et Ysarnum de Lusegio, ex una parte, et Helenam de Rossilione et ejus liberos, ex altera, judicata in auditorio juris scripti; et est judicatum scriptum in rotulo dicti auditorii hujus parlamenti.

INQUESTE ET PROCESSUS

PER CURIAM JUDICATI IN PARLAMENTO QUOD INCEPIT DIE LUNE POST HYEMALE FESTUM BEATI-MARTINI.

ANNO DOMINI MCCCXVIII.

I. Cum, ad manum regiam, ex certa causa, bonis Huardi Hapart positis, supplicasset curie nostre idem Huardus quod sibi fieret recredencia de eisdem, cum non haberet unde posset vivere, nec unde posset prosequi causas suas, nostraque curia, annuens supplicacioni predicte, mandasset ballivo Viromandensi quod ipse dictam recredenciam sibi faceret, prout hec, in mandato, super hoc, facto, plenius continentur, idemque ballivus executionem hujusmodi commisisset Johanni Gosse, majori de Velli, qui Johannes, ad faciendum dictam recredenciam procedens, per suum judicium, precepit procuratori hominum ville

PHILIPPE V, 1318.

de Suppi quod, quia dicti homines, per triennum, solvere defecerant viginti libras reddituales ad vitam debitas a dicta villa de Suppi dicto Huardo, ipse solveret dicto Johanni Gosse sexaginta libras, pro defectu solucionis dicti triannii, de quibus ipse faceret recredenciam dicto Huardo, juxta mandatum predictum, cui judicato seu precepto dicti Johannis, se, in nostra curia, opponentes dicti homines, proposuerunt inquestam, super hoc, contra ipsos, per dictum Johannem, factam et judicatam fuisse, post ipsorum hominum appellacionem legittimam et contra formam predicti mandati, dicentes se, diu ante dictum mandatum factum dicto ballivo de dicta recredencia, a magistro Petro dicto Dugraphe, super hoc deputato, per litteras regias, solempnitate debita, juxta morem patrie, super hoc, observata, emisse et pacifice, empcionis titulo, tenuisse, viginti libras redditus antedictas, petentes quicquid, per dictum Johannem, super hoc, factum fuerat annullari, proponendo, super hoc, raciones quamplures, dictis vero ballivo Viromandensi et Huardo proponentibus, ex adverso, quod de speciali mandato dicti ballivi Viromandensis facta fuerat dicta inquesta, et eciam judicata, vocatis ipsis hominibus, et, per procuratorem suum, ad audiendum, dictum judicatum sufficienter comparentibus, a quo non fuerat appellatum; tandem auditis, super hoc, in nostra curia, dictis partibus, ipsa nostra curia precepit dictam apperiri inquestam, et videri commissionem dicti Johannis, appellacionemque et judicatum predictas, et videri si ad hoc vocati fuerant dicti homines et per procuratorem presentes, ad audiendum dictum judicatum, et cum hoc commissionem illis factam qui dictum redditum vendiderunt, necnon et litteras vendicionis predicte, ut sciret eadem curia nostra in quo statu esset dictum negocium, et super hoc faceret ulterius, quod foret racionabiliter faciendum: Aperta igitur dicta inquesta, et viso toto processu predicto, per nostram curiam, diligenter, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit illud quod, per dictum Johannem Gosse, super hoc, pronunciatum seu preceptum extitit, fore nullum, et illud nostra curia et quicquid ex eo sequtum extitit totaliter anullavit.

Decima nona die decembris. PHILIPPE V, 1318.

M. I. Prepositi reportavit.

II. Lite mota, coram ballivo Parisiensis episcopi, inter matricularios ecclesie Sancti-Severini de Parisius, ex una parte, et magistrum Guillelmum, cirurgicum Anglicum, et Henricum, ejus filium, ex alia, super eo quod dicti matricularii dicebant, quod tam ipsi, nomine predicte ecclesie, quam illi a quo ipsi causam habent, erant et fuerant in saisina pacifica percipiendi, habendi et levandi, quinquaginta sex solidos censuales seu reddituales annuatim, super quadam domo magistri Guillelmi predicti, sita Parisius, in eorum peticione seu articulis declarata, sibi aut eorum certo mandato, terminis, Parisius, consuetis, persolvendos, quodque ipsi, per tantum tempus, receperunt dictum redditum, quod sufficit ad acquisicionem juris proprietatis et saisine percepcionis redditus supradicti, quare, cum, ut ipsi dicebant, predicti magister Guillelmus et Henricus, eisdem dictum redditum minus juste solvere denegarent, petebant, per judicium dicti ballivi, declarari jus percipiendi dictum redditum, super domo predicta, ad ecclesiam predictam pertinere, quoad proprietatem et saisinam, quodque, ad solucionem dicti redditus, ipsi compellerentur, pro tempore in quo eumdem redditum solvere cessaverunt; ex adverso vero fuit, inter cetera, propositum quod dicta domus magistri Guillelmi et Henrici predictorum, super quam petebant dicti matricularii dictum redditum seu censivam, libera erat et quitta a dicto redditu et censiva, et quod, sicut liberam et quittam a dicto redditu, eam tenuerant et habebant, per justum titulum, loco et tempore declarandum, absque hoc quod dicti matricularii, vel hii a quibus ipsi se dicunt causam habere, aliquid, super dicta domo, recepissent seu jus aliquid recipiendi haberent; lite itaque, coram ballivo predicto, super hoc, contestata, et facto, super hoc, coram eo, in dicta causa, processu, et concluso in eo, visoque et examinato diligenter processu predicto, dictus ballivus, per suum judicium, pronunciavit dictos matricularios, nomine ecclesie predicte, intencionem suam, super hoc,

PHILIPPE V, 1318.

ad finem, ad quem ipsi tendebant, sufficienter probasse, et eisdem, nomine quo supra, dictum redditum adjudicavit pertinere; a quo judicato, tamquam falso et pravo, fuit, ex parte dictorum magistri Guillelmi et Henrici, ad nostram curiam appellatum : Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, et visa inquesta, super hoc facta, processuque predicto dicti ballivi diligenter examinato, per nostre curie judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse, predictosque magistrum Guillelmum et Henricum male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Decima nona die decembris.

Magister J. de Borbonio reportavit.

III. Dudum mota controversia inter procuratorem abbatis et conventus Frigidi-Montis, garentizatorum Radulphi Perier et ejus uxoris, ex parte una, et Petronillam, relictam Firmini de Ambianis, ex alia, coram Stephano Barbete, preposito mercatorum de Parisius, super eo quod, cum procurator dictorum religiosorum, nomine quo supra, assereret quod quedam domus, sita Parisius, versus Sanctum-Benedictum, vocata Aus-Quatre-Fiz-Hemon, erat et pertinebat ad dictos religiosos, a tanto tempore quod de contrario memoria hominum non existit, et quod, tam ipsi quam causam habentes ab eisdem sunt et fuerunt in saisina domus predicte, per tantum tempus quod sufficit ad bonam saisinam acquirendam, quodque predicti Firminus et Petronilla dictam domum, ad vitam suam dumtaxat, ceperunt, pro certa pensione sibi solvenda annuatim, quodque, tandem predicto Firmino mortuo, dicta Petronilla requisivit dictos religiosos quod eam quittarent de dicta pensione, asserens se dictam domum amplius nole tenere, et ad finem dimittendi jus totale quod ipsa habebat in eadem, et renunciavit, coram judice competenti, dicti judicis, super hoc, litteras concedendo, clavesque dicte domus eisdem reddendo, ac de eadem recedendo, ut dicebant, postque omnia dicti religiosi domum predictam dictis Radulpho et ejus uxori, ad vitam eorum, pro certa pensione, presente et sciente dicta Petronilla, tradiderunt;

quare, cum in dicta domo dicti conjuges stetissent, a festo sancti Johannis-Baptiste, quod fuit anno millesimo trecentesimo decimo septimo, usque post subsequens festum Assumpcionis beate Marie virginis, quousque ipsi, per servientes dicti prepositi, fuerunt expulsi de eadem, qui eciam Petronillam predictam in saisina domus predicte posuerunt minus juste, in prejudicium dictorum conjugum, ut ipsi dicebant, non modicum atque dampnum; petebant agentes predicti, nomine quo supra, quod dictum novum impedimentum, per dictam Petronillam appositum in dicta domo, penitus amoveretur, ita quod ipsi, de domus predicte saisina, possent pacifice gaudere; ex adverso vero fuit, inter cetera, responsum quod dicta Petronilla est et fuit in saisina dicte domus et pertinenciarum suarum, per octo vel decem annos, et quod, tam ipsa quam res sue semper steterunt in dicta domo, a dicto tempore, absque eo quod aliquid fecerit per quod possessionem domus predicte amittere deberet, sique inveniretur quod contrarium fecisset, nullum sibi deberet prejudicium generari, pro eo quod ipsa, extra suam discrecionem existens, hoc fecisset; quare petebat quod ipsa, in dicta sua saisina, teneretur, dictique procurator et Radulphus compellerentur a cessacione impedimenti predicti; lite vero, coram dicto preposito, super hoc, contestata, testibus productis, conclusoque in dicta causa, pronunciavit idem prepositus, per suum judicium, quod illud quod fuit factum, per suos servientes, de mandato suo, de ponendo extra domum predictam dictos conjuges, anullabitur, et illud penitus anullavit, quodque dicti conjuges reponerentur in dicta domo, in tali statu saisine dicte domus in quo ipsi erant, tempore quo ipsi, extra dictam domum, positi fuerunt per dictos servientes, salvo jure predictis partibus, super hoc, in proprietate et saisina; a quo judicato, tamquam falso et pravo, fuit, per dictam Petronillam, ad nostram curiam appellatum; auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, precepit dicta curia nostra, quod obmissa et sine emenda appellacione predicta, per dictam Petronillam interposita, processus eorum in causa principali, coram dicto preposito, factus et judicatum predictum vide-

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

rentur : Viso igitur dicto judicato, examinatoque diligenter processu predicto, dictum fuit, per nostre curie judicium, predictum prepositum male judicasse, adjudicavitque curia nostra, dicte Petronille, saisinam domus predicte, et precepit quod amoveatur impedimentum appositum, per dictos religiosos et conjuges, in domo predicta, non obstantibus propositis per eosdem.

Decima nona die decembris.

Magister J. de Borbonio reportavit.

IV. Cum procurator prepositi, decani et capituli Suessionensis ecclesie conquereretur de pluribus prisiis in eorum terra factis, per majorem et juratos Suessionenses, post et contra arrestum factum, in parlamento nostro, inter partes predictas, super saisina prisiarum que in terra dictorum prepositi, decani et capituli, justiciando, fiunt, ac de pluribus rescussis, per eosdem majorem et juratos factis, in terra predicta, de prisiis quas servientes dicti capituli fecerant ibidem, arrestum curie exhibendo, et requirendo prisias et rescussas hujusmodi sibi reddi, et facta predicta, tam nobis quam dictis preposito, decano et capitulo emendari; auditis in nostra curia partibus antedictis, viso eciam arresto predicto, curia nostra mandavit, super predictis, inquiri, cum diligencia, veritatem, vocatis partibus antedictis, et aliis evocandis: Inquesta igitur, super hoc, facta, et completa, et ad judicandum, nostre curie reportata, presentibus et auditis partibus antedictis, et visa ac diligenter examinata, visis eciam racionibus hinc inde propositis, viso eciam arresto predicto, quia, per dictam inquestam, repertum est, plures prisias, per dictos majorem et juratos vel eorum servientes, fuisse factas, in terra prepositi, decani et capituli predictorum, scilicet in domo Colardi dicti le Sauvage, de sex culcitris et coessinis, item in domo Petri de Sequehart, de uno supertunicali, ac unam rescussam cujusdam hominis, qui vocabatur Robinus, capti per servientem dicti capituli, in eorum terra, scilicet in furno ecclesie prelibate, factam fuisse per majorem et juratos predictos, post et contra nostrum arrestum predictum, per curie nos-

tre judicium, dictum fuit quod dicti major et jurati predictas prisias et rescussam ex integro reddent et restituent capitulo supradicto; item, per idem judicium, predicti major et jurati, dicto capitulo, in ducentis libris, et nobis, pro emenda, in quingentis libris Turonensibus, occasione excessuum predictorum, fuerunt sentencialiter condempnati. PHILIPPE V, 1318.

Decima nona die decembris.

R. de Sancto Benedicto reportavit.

V. Cum quedam appellacionis causa, ad nostram curiam interjecte, verteretur, inter Johannem Marescalli, burgensem Pontissare, ex parte una, et ballivum Silvanectensem et homines assisie de Pontissara et magistrum Jacobum de Remis, tutorem Johannete, filie et heredis defuncti Johannis Francisci, ex altera, super eo quod idem Johannes Marescalli, in nostra curia proponebat, quod ipse pecierat, coram preposito Pontissare, quamdam litteram ballivie, continentem summam centum et sexdecim librarum, execucioni demendari contra dictum Johannem Francisci, qui tunc vivebat, usque ad sexaginta libras, residuas ad solvendum, de totali summa predicta; ad quod respondit idem Johannes Francisci quod dictus Johannes Marescalli sine causa petebat dictas sexaginta libras, quia procurator suus fecerat certum compotum, cum procuratore dicti Johannis Marescalli, usque ad quindecim libras, et hoc obtulit se probaturum, et, post dictum compotum dictarum quindecim librarum, computaverat procurator dicti Johannis Francisci, cum portitore dicte littere, usque ad viginti sex solidos, super quibus idem Johannes Marescalli habuerat quemdam equm dicti Johannis Francisci conducticium, per viginti duas dietas; quare dicebat idem Johannes Francisci quod ipse liberari et absolvi debebat a totali summa contenta in littera predicta, quod negavit idem Johannes Marescalli, dicens quod ipse nunquam fecerat compotum de sexaginta libris usque ad quindecim, nec cum procuratore suo nec cum alio; ad quod compotum quindecim librarum probandum, idem Johannes Francisci produxit plures

PHILIPPE V, 1318.

testes, quibus productis, defecit in probando dictum compotum, et fuit dictum, per prepositum Pontissare, quod ipse defecerat in probando dictum compotum, et de hoc fecit emendam; postmodum procurator dicti Johannis Francisci peciit se admitti ad probandum ultimum compotum de quindecim libris, usque ad viginti sex solidos, dicto Johanne Marescalli se opponente in contrarium, quod non debebat ad hoc admitti, et, propter debatum hujusmodi, dictus prepositus Pontissare remisit dictam causam ad assisiam dicti ballivi, ad judicandum, per dictum ballivum et homines regis; in qua assisia, pluribus racionibus, proposuit dictus Johannes Marescalli quod procurator Johannis Francisci non debebat admitti ad probandum ultimum compotum, pro eo maxime quod idem Johannes Francisci proposuerat duos compotos predictos, per intervalla et separatim; quibus non obstantibus, dicti ballivus et homines judicaverunt quod procurator dicti Johannis Francisci admitteretur ad probandum ultimum compotum de quindecim libris usque ad viginti sex solidos; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Johannes Marescalli ad nostram curiam appellavit, quare petebat idem Johannes Marescalli, per nostram curiam, pronunciari dictos ballivum et homines assisie male judicasse, et ipsum Johannem Marescalli bene appellasse, parte adversa in contrarium, pluribus racionibus, proponente dictos ballivum et homines bene judicasse, et dictum Johannem Marescalli male appellasse: Auditis igitur in nostra curia, in dicta appellacionis causa, partibus antedictis, visaque inquesta facta, de mandato curie nostre, in dicta appellacionis causa, visoque toto processu ipsius cause appellacionis, per judicium nostre curie, dictum fuit predictos ballivum et homines bene judicasse et dictum Johannem Marescalli male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Decima nona die decembris.

Magister Rogerius reportavit.

VI. Pendente, in parlamento nostro, causa appellacionis, inter Audam, dominam de Tiranno, ex parte una, et dilectum et fidelem

nostrum ducem Acquitanie seu ejus senescallum Vasconie, ex altera, super eo quod dicta Auda dicebat et proponebat se esse et fuisse in bona et pacifica saisina, per tantum tempus quod sufficiebat ad bonam saisinam acquirendam, cujusdam molinaris seu saltus molendini de Chanteluop et ejus pertinenciarum; item, quod, sicut licebat dicte Aude levare et reficere, in dicto molinari, unum molendinum, providit sibi dicta Auda de operariis qui, cum, de mandato ipsius, in dicto molinari operarentur, de mandato dicti senescalli et ad requestam Bertrandi Cailliau, Henricus dictus Chevalier, serviens dicti senescalli, precepit dictis operariis quod ipsi cessarent, et ipsos a dicto opere ejecit, ipsam impediendo indebite et de novo in sua saisina dicti molinaris; item, quod dicta Auda, sufficienter auctorizata, premissis sic factis, ad dictum senescallum accessit, et ipsum pluries requisivit quod predicta impedimenta sibi amoveret, maxime cum parata esset stare juri, coram eo, contra omnes de ipsa conquerentes, super quibus dictus senescallus dicte Aude plures terminos seu dies assignavit, et postea, ipsa inscia et non vocata, domino de Blancafort cognicionem dicte cause remisit, coram quo seu ejus locum tenente, dicta Auda pluries comparuit et ipsum cum instancia pluries requisivit, faciendo, de premissis, plenam narracionem, quod sibi faceret jus, aut diceret si jus sibi facere teneretur vel non, qui dominus de Blancafort seu ejus locum tenens jus super premissis sibi facere denegavit; propter que dicta Auda, ab audiencia dicti domini seu ejus locum tenentis, a defectu juris, ad ducem Acquitanie seu ejus senescallum Vasconie, appellavit; propter quod dicta Auda, ad audienciam dicti senescalli reversa, coram ipso seu ejus locum tenente, comparuit et sibi significavit suam appellacionem predictam, et eciam significavit eidem quod dominus de Blancafort possessionem dicti molinaris, attemptando, contra et post appellacionem suam predictam, tradiderat dicto Bertrando in ipsius Aude prejudicium; quare peciit pluries ipsa Auda, sufficienter auctorizata, ut dicebat, faciendo plenam narracionem facti predicti, quod idem senescallus premissa ad statum debitum reduceret, et requestas suas predictas faceret, et sibi, super hiis,

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

jus redderet, vel jus sibi diceret, si, super sua requesta, jus facere teneretur an non, quod facere idem senescallus pretermisit, et eciam denegavit expresse, ut ipsa dicebat, propter quod dicta Auda, ab audiencia dicti ducis seu ejus senescalli aut ejus locum tenentis, a defectu juris, ad parlamentum, Parisius, appellavit, et, in curia nostra peciit pro se pronunciari ipsam bene et sufficienter a defectu juris appellasse; procuratore dicti ducis seu ejus senescalli, ex adverso, contra dictam Audam asserente quod, illo tempore quo dicta Auda asseruit senescallum predictum seu ejus locum tenentem sibi defecisse in jure reddendo, seu jus reddere denegasse, idem senescallus seu ejus locum tenens obtulit eidem se paraturum jus facere et reddere; item, quod, quociens dicta Auda peciit jus sibi fieri vel reddi, super hiis, que ipsa petebat et suplicabat, respondebatur sibi, per eos, quod jus fieret eidem; item, quod quociens ipsa Auda peciit attemptata, post quamdam appellacionem, quam a domino de Blancafort, a defectu juris, ad senescallum Vasconie se fecisse dicebat, per ipsum senescallum seu ejus locum tenentem, ad statum debitum reduci, fuit sibi responsum quod, facta fide de dicta appellacione, et vocatis evocandis, fieret sibi, super hiis, justicie complementum, necnon plures alias raciones proponente, tandentes ad illum finem quod curia nostra dictam Audam pronunciaret male et perperam, a juris defectu seu denegacione juris, appellasse, appellacionemque suam nullam fore, aut si aliqua sit, frivolam seu injustam esse, dictumque senescallum et locum suum tenentem eidem, de jure reddendo, non defecisse, ipsamque Audam in penam temere appellancium a juris denegacione sive defectu incidisse: Lite igitur, in curia nostra, super predictis, a dictis partibus contestata, processibusque super predictis, coram commissariis, a curia nostra deputatis, habitis, et attestacionibus testium, hinc inde, coram ipsis, productorum, auditis et in scriptis redactis, curie nostre reportatis, visis et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum senescallum, in jure reddendo dicte Aude, minime defecisse, et ipsam Audam a dicto defectu juris male appellasse.

Decima die februarii. PHILIPPE V, 1318.
Magister Thomas de Remis reportavit.

VII. Lite mota, coram majore terre Morinensis, Parisius, inter Gaufridum Piffe et Katherinam, ejus uxorem, cum auctoritate mariti sui, ex una parte, et Petrum Paine, et Robergam, ejus uxorem, ex alia, super eo quod ipsi Gaufridus et Katherina dicebant quod, cum Radulphus, filius Petri de Brugis, fraterque dicte Katherine, quartam partem cujusdam domus, site Parisius, prope fontem Sanctorum Innocentium, vocate A-La-Panne-Vaire, in juridicione dicti majoris existentis, que, ex successione materna, eidem Radulpho devenerat, predictis Petro et Roberge, pro precio viginti librarum Parisiensium, vendidisset, ipsisque emptoribus pluries dicta Katherina, de auctoritate sui predicti mariti, tamquam proximior de genere, infra annum, bursam obtulisset et adhuc, in presencia dicti majoris, offerret competenter, ut dicebat; quare petebant dictam quartam partem domus predicte, jure retractionis, de consuetudine notoria, sibi, pro bursa predicta, racione proximitatis generis, adjudicari; ex adverso vero, inter cetera, proponebatur quod, si dicta quarta pars dicte domus unquam eisdem emptoribus a dicto Radulpho vendita fuerat, hoc fuit, pro precio centum librarum Turonensium, de quibus fuit, ab ipsis, dicto Radulpho legittime satisfactum; quare dicebant quod si dicti Gaufridus et Katherina erant ita proximi dicto Radulpho quod ipsi dictam vendicionem possent habere, jure retractionis predicte, verumptamen ipsi, ante omnia, dictam peccunie summam centum librarum Turonensium, cum omnibus costamentis, sibi reddere tenebantur, suppositoque sine prejudicio, quod dicta quarta pars domus predicte ad dictos Gaufridum et Katherinam, jure dicti retractus, spectare deberet, ipsi tamen minus sufficienter bursam eisdem, super hoc, offerebant, ulterius eciam asserentes quod, si convenciones alique inite interfuerunt inter ipsos emptores et Radulphum predictum, super vendicione dicte quarte partis dicte domus, pro precio viginti librarum Parisiensium, in totum tamen postea fuerunt anullate, fuitque

PHILIPPE V, 1318.

in veritate dicta quarta pars eisdem emptoribus a dicto Radulpho vendita, si vendita fuit, pro centum libris Turonensibus, quare dicebat se ab eorum peticione absolvi debere; lite vero, in causa predicta, coram predicto majore, contestata, testibus productis et juratis, conclusoque, in negocio supradicto, pronunciavit idem major, per suum judicium, quod dicta quarta pars, super quo litigabatur coram eo inter partes predictas, dictis Petro et Roberge remaneret, nisi pars adversa vellet eam habere pro centum libris Turonensibus, jure retractionis predicte, pro quibus centum libris, et non alias, ipse predictis Gaufrido et Katherine dictam quartam partem adjudicavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, fuit, per dictos Gaufridum et Katherinam, ad prepositum Parisiensem appellatum; comparentibus itaque, coram preposito predicto, majore et partibus supradictis, in causa appellacionis predicte, visoque et examinato diligenter per eum processu predicto, idem prepositus pronunciavit, per suum judicium, male pronunciatum fuisse per dictum majorem, beneque fuisse, per Gaufridum et Katherinam predictos, appellatum; a quo judicato, tamquam falso et pravo, fuit, per dictos Petrum et Robergam, ad parlamentum, Parisius, appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque et examinatis diligenter processibus et judicatis predictis, per nostre curie judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse dictosque Petrum et Robergam male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Decima die februarii.

Magister J. de Borbonio reportavit.

VIII. Lite mota, in curia domini de Varannis, apud Brunum-Campum, inter Johannem de Tamques, armigerum, ex parte una, et Colaiam, relictam defuncti Johannis de Novione, quondam militis, ex parte altera, super eo quod dictus Johannes dicebat quod dicta relicta, injuste et sine causa, detinebat quamdam terram, que vocatur terra de Bruno-Campo, cum dictus Johannes de Novione legasset dictam terram dicto Johanni de Tenques, nepoti suo, in suo testa-

mento, quare petebat idem Johannes de Tanques dictam terram de Bruno-Campo sibi adjudicari, per curiam supradictam, et dictam relictam ad eam dimittendam compelli, plures raciones, qu re hoc sibi debebat fieri, proponendo, et, si predicta sibi negarentur, per dictam relictam, offerebat dictus Johannes de Tanques ea se probaturum; dicta relicta predicta negante, ac plures raciones et consuetudines in contrarium allegante, et, inter cetera, dicta relicta proponebat quod dictus Johannes de Tanques, super premissis, non poterat suam intencionem probare, nisi per homines curiales dicte curie domini de Varennis, secundum consuetudinem dicti loci, dicto Johanne contrarium asserente; auditis partibus, in curia supradicta, per ejusdem curie judicium, dictum fuit quod dictus Johannes, in causa predicta, per quoscumque testes ydoneos, suam poterat intencionem probare; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicta relicta ad curiam de Domarcio appellavit; qua relicta postea defuncta, Egidius de Malliaco, miles, tamquam successor ejusdem, in dicta curia de Domarcio resumpsit et repeciit, cum parte adversa, totum litigatum et processum predictum; quibus partibus, super hoc, auditis, dicta curia de Domarcio, per suum judicium, pronunciavit, per curiam dicti domini de Varennis bene judicatum fuisse, et per dictam relictam male appellatum fuisse; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Egidius de Malliaco ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, super hoc, in nostra curia, partibus antedictis, et plura facta contraria super hoc proponentibus, mandavimus super predictis factis inquiri, cum diligencia, veritatem: Inquesta igitur, super hoc, facta, et vocatis partibus et auditis, nostre curie reportata, visa ac diligenter examinata, cum per eam repertum fuerit quod, de consuetudine dicti loci, dictus Johannes de Tanques in agendo, licet eciam proponeret factum dicte curie, ipse tamen, per quoscumque testes curiales vel alios de predictis per eum propositis, poterat suam intencionem probare, per curie nostre judicium, dictum fuit quod, tam in curia domini de Varennis quam in curia de Domarcio supradictis, bene extitit judicatum, et male, per dictum Egidium, appellatum fuisse, et quod ipse hoc emendabit.

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

Decima die februarii.

Magister R. de Sancto-Benedicto reportavit.

IX. Lite mota, in curia nostra, inter episcopum Parisiensem, ex una parte, et abbatem et conventum Sancti-Dyonisii in Francia, ex altera, super eo videlicet quod dictus episcopus dicebat et proponebat se esse et fuisse solum et insolidum, a tempore sufficienti ad bonam saisinam acquirendam, in saisina justiciandi et exercendi omnem justiciam, magnam et parvam, in feodo suo, quod appellatur feodum terre Sancte-Crucis juxta Sanctum-Dyonisium, dicebatque dictus episcopus quod dicti religiosi impediverant et adhuc impediebant eumdem episcopum in sua saisina predicta, et specialiter capiendo nuper et de novo justiciando, in domo Johannis de la Sale, situata in feodo predicto, unum dolium plenum vino de Belna, et eum secum portaverant, seu fecerant asportari, eo pretextu quod, post et contra proclamacionem factam ex parte dictorum abbatis et conventus, in villa Sancti-Dyonisii, ne quis venderet sextarium vini plus quod octo solidos, idem Johannes vendiderat decem solidos, dictum episcopum sic impediendo et turbando in sua saisina predicta, occasione cujus impedimenti dictum dolium captum fuit et positum in manu domini Regis, tamquam superioris, propter debatum parcium predictarum; quare petebat dictus episcopus se custodiri et manuteneri in sua saisina predicta, et dictum dolium in manu nostra, tamquam superiori, positum sibi reddi, et impedimentum, ex parte dictorum religiosorum, super hoc appositum, amoveri, et dictos religiosos compelli domino Regi hoc emendare, et dampna, per hoc illata, dicto episcopo reddi eidem; dictis religiosis, ex adverso, proponentibus ad finem quod justicia predicti feodi Sancte-Crucis, in manu domini Regis posita, racione debati predicti, eisdem deliberetur, manusque predicta inde amoveatur, ut ipsi libere justiciare possint in feodo predicto, quodque ipsi sunt et fuerunt in bona saisina justiciandi et exercendi omnem justiciam, altam et bassam, in feodo predicto, per tantum tempus quod sufficit ad bonam saisinam acquirendam : Tan-

dem, traditis articulis in nostra curia, super dictis factis hinc inde propositis, factisque responsionibus ad eosdem, datisque commissariis ad inquirendum veritatem super predictis, productisque testibus hinc inde, super hoc, coram eis, et inquesta, super hoc, facta, nostre curie ad judicandum reportata, auditisque partibus in nostra curia, super hoc, visaque inquesta predicta et diligenter examinata, cum, per inquestam predictam, repertum fuerit dictum episcopum longe melius suam intencionem probasse, per judicium nostre curie, dictum fuit quod dictus episcopus, in saisina justiciandi in loco predicto, et ibidem exercendi omnem justiciam altam et bassam, remanebit et in ea tuebitur, manusque regia et impedimentum, ex parte dictorum religiosorum, super hoc appositum, amovebuntur, dictumque dolium ipsi episcopo ad plenum deliberabitur, parti adverse questione proprietatis, super hoc, reservata. PHILIPPE V, 1318.

Decima die februarii.

Magister Thomas de Remis reportavit.

X. Cum gentes episcopi Briocensis contra Robertum dictum le Breton, militem, et Gaufridum, ejus filium, in curia nostra, proposuissent quod dictus Gaufridus, cum quibusdam suis complicibus, militis predicti domum exiens, ad hospicium cujusdam servientis episcopi predicti ejusque geolarii, et in ejus juridicione alta et bassa, venerat et hostia domus predicte violenter fregerat, et exinde Guerinum, fratrem ejusdem Gaufridi, qui, pro suspicione mortis cujusdam clerici, quondam vocati Michaelis, qui, de mandato officialis Briocensis, captus inibi detinebatur, abstraxerat, et de vinculis, in quibus detinebatur, vulnerando custodes ejusdem, liberaverat ac ad domum dicti militis eumdem Guerinum adduxerat, et ibidem pernoctaverat; et insuper quod ballivo et aliis gentibus dicti episcopi, venientibus ad domum predicti militis et requirentibus domum aperire predictam, infra justiciam altam et bassam dicti episcopi situatam, ad finem quod ipsi malefactores capere possent predictos, dictus miles et ejus complices aditum denegaverant, quodque dictus miles ratos habuerat et

PHILIPPE V, 1318.

de facto, approbaverat excessus predictos, et peciissent, tam nobis quam dicto episcopo, emendari excessus et injurias predictos, ac, virtute cujusdam consuetudinis, allegate per easdem gentes, dictum militem hiis, que ipse a dicto episcopo tenebat in feodum, privari, et ea eidem episcopo adjudicari, ac prisionarium predictum sibi restitui, certis commissariis mandatum extitit, per curiam nostram, ut ipsi, super articulis, per gentes dicti episcopi, contra eosdem, patrem et filium, traditis tantummodo, cum, per partem adversam, nulli fuissent curie nostre traditi articuli, quamvis pluries, super hoc, requisitam, inquirerent, vocatis partibus, veritatem, et inquestam completam et perfectam, super hoc, nostre curie remitterent judicandam; facta igitur et ad nostram curiam, ad judicandum, reportata inquesta predicta, partibus predictis sufficienter ibidem comparentibus, gentes ipsius episcopi inquestam predictam videri pecierunt et judicari; pars vero adversa quasdam proposuit raciones per quas ipsa dicebat dictam inquestam non debere videri nec judicari; quas raciones ipsa, de mandato nostre curie, per modum memorialis, tradidit in scriptis; gentes vero dicti episcopi, ex adverso proposuerunt quod, per apercionem et visionem inqueste predicte, curie nostre constare posset, si vere essent vel non raciones predicte proposite per dictam partem adversam; quibus auditis, curia nostra precepit quod dicta inquesta, una cum memoriali dictarum racionum, videretur, ad illum finem ad quem videri posset et judicari: Visa igitur, per curiam nostram, dicta inquesta cum memoriali predicto, ac diligenter examinato processu predicto, per curie nostre judicium, predictus Gaufridus, ad faciendum tres solempnes processiones, infra instans festum Penthecostis, diebus solempnibus, hora immediate ante magnam missam, duas, in parrochiali ecclesia, loci de quo dictus prisionarius fuit abstractus, veniendo de loco predicto, in camisa et brachiis, discalciatus et sine capucio, portando unum postem super humeros suos et tenendo unum cereum ardentem in manu sua et dicendo se predictam agere emendam, propter excessus predictos, et aliam processionem, modo consimili, in cathedrali ecclesia Briocensi, et dictus

miles, in centum libris Turonensibus nobis et dicto episcopo in aliis centum, pro emenda predictorum, condempnati fuerunt, et in residuo quod petitum contra ipsos fuerat, absoluti. PHILIPPE V, 1318.

Decima die februarii.

Magister Raynaldus de Meseto reportavit.

XI. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem habitancium ville de Louvres-em-Parisis, nomine procuratorio ipsorum et pro ipsis, ex parte una, et Guillelmum le Thiais, armigerum, ex parte altera, super eo quod dictus procurator, nomine quo supra, dicebat quod, cum dicti habitantes dicte ville de Louvres essent et fuissent in saisina et possessione vel quasi, per triginta annos et per tantum tempus cujus in contrarium memoria hominum non existit, ducendi animalia sua ad pasturandum necnon et venandi ad omnes bestias, quecumque sint, quociens eis placebat, in locis de quibus lis erat, inter partes predictas, et de quibus ostencio facta fuerat absque eo quod unquam ibi fuisset Garenna, de quibus locis constare potest, per ostencionem eorumdem locorum, super hoc, factam, prout contineri dicitur in processu, super hoc, habito, inter dictas partes, coram preposito predicto, Guillelmus le Thyas, turbando et impediendo dictos habitantes in sua saisina pasturagiorum et venacionum predictarum indebite et de novo, nitebatur eicere et expellere animalia dictorum habitancium a locis predictis, in quibus ducebantur pro pasturando, et prohibere eos venari ibidem, quodque ipse verberaverat aliquos de familia dictorum habitancium, necnon et venatus fuerat, in dictis locis, manum regiam infringendo, que in dictis locis contenciosis, propter hoc, apposita fuerat, quare petebat idem procurator, nomine quo supra, per dictum prepositum, pronunciari quod dicti habitantes remaneant in sua saisina ducendi animalia sua pasturanda et venandi in dictis locis, et impedimentum predictum amoveri; pars vero dicti Guillelmi, ex adverso, proponebat quod ipse et loca contenciosa predicta erant infra metas et sub juridicione prepositi de Gonnessia, quare dicebat quod ad dictum prepositum Parisiensem

PHILIPPE V, 1318.

non spectabat nec spectare debebat curia nec cognicio, super istis, sed pocius debebat, super hiis, remittere curiam et cognicionem ad dictum prepositum de Gonnessa, et plures alias raciones, tendentes ad finem declinandi, super hoc, curiam dicti prepositi Parisiensis; tandem auditis racionibus, super hoc, hinc inde propositis, dictus prepositus Parisiensis, interloquendo, per suum judicium, pronunciavit quod ipse facta proposita per dictum Guillelmum le Thyas, ad finem declinandi curiam suam, contra dictos habitantes dicte ville de Louvres, non recipiebat, eo modo quo proposita erant, et quod curia et cognicio penes ipsum prepositum Parisiensem, super hoc, remaneret; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Guillelmus le Thyas ad parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum Guillelmum le Thyas bene appellasse, et remisit curia nostra dictam causam ad prepositum de Gonnessa predictum.

Decima die februarii.

Magister Rogerius de Turonis reportavit.

XII. Cum olim, ex parte Bartholomei Toldi ac Betini, fratrum, karissimo genitori nostro, significatum fuisset quod, cum ipsi, ante capcionem Templariorum, a perceptori domus Templi de Dozinchiis, pro certo precio ab eis soluto, redditus domus Templi de Burcafollis, cum suis juribus emissent, usque ad certum tempus, essentque, tempore capcionis dictorum Templariorum, in possessione percipiendi dictos redditus, deputati ad custodiam bonorum Templi, in senescallia Carcassonne, dictos fratres, de possessione predicta, indebite spoliarunt, durante tempore predicto, genitor noster predictus mandavit, per suas patentes litteras, curatoribus bonorum Templi predicti ut, si eis constaret legittime ita esse, dictis fratribus, super predictis, condignam facerent satisfactionem impendi, justicia mediante, mandavitque senescallo Carcassonne quod nisi dicti curatores hoc

facerent dictis fratribus, super premissis, vocatis evocandis, exhiberet celeris justicie complementum, cumque Arnaldus Barrani, senior, curator bonorum ordinis dicti Templi, in toto regno Francie, ad nominacionem dicti genitoris nostri, auctoritate apostolica, una cum quibusdam aliis, insolidum deputatus, auctoritate mandati predicti, commisisset et mandasset Arnaldo Helie, regenti judicaturam majorem Carcassonne, ut ipse, una cum Bernardo Aycredi, priore beate Marie burgi novi Carcassonne, curatore deputato bonis dicti Templi per episcopum Carcassonne, in dyocesi Carcassonne, contenta in predictis litteris, complerent et execucioni debite demandarent, prout continebatur in ipsis, et ad se noscerent pertinere; comparentibus igitur, coram dictis Arnaldo et Bernardo, predicto Bartholomeo, procuratorio nomine dicti Tholdi et ut conjuncta persona Betini predicti, fratrum suorum, ac Richardo Hubertini, tutore liberorum defuncti Alrici Junitte, tutorio nomine eorumdem, ex parte una, et procuratore curatorum dictorum bonorum dyocesis Carcassonne, ex altera, predicti Bartholomeus et Richardus, nominibus quibus supra, recitantes et plenius declarantes factum predictum, alias, ut dictum est, dicto genitori nostro expositum, pecierant se restitui et reponi in possessione seu quasi predictis, et condignam satisfactionem, de predictis ac de dampnis certis et interesse ab eis declaratis eis impendi; lite vero, premissis quibusdam protestacionibus a procuratore curatorum predicto, coram Arnaldo predicto ac Chaberto, curatore dictis Templi bonis dato, una cum Arnaldo Aycredi predicto, in dicta dyocesi, per episcopum Carcassonne, super premissis, legittime contestata, pluribus racionibus, juris et facti, hinc inde propositis, factis hinc inde posicionibus et certis responsionibus subsequtis, nonnullis litteris et instrumentis hinc inde exhibitis, tandem prefatus Bernardus et quidam alii generales curatores dictorum bonorum, ad se causam hujusmodi revocantes, eamdem commiserunt Bernardo Johannis complendam et fine debito terminandam; qui Bernardus, publicatis deposicionibus plurium testium hinc inde productorum, tam coram ipso quam coram Bernardo Aycredi et Ar-

PHILIPPE V, 1318.

naldo predictis, coramque commissariis, ab eis, super hoc, deputatis, diffinitivam sentenciam, in parte, pro Tholdo et tutore predictis, contra procuratorem predictum, et, in parte, pro dicto procuratore contra dictos Tholdum et procuratorem, promulgavit; a qua quidem sentencia, tamquam ab iniqua, fuit, ex parte dictorum Tholdi et tutoris, quatenus contra ipsos lata extiterat, ad curatores dictorum bonorum appellatum; quam appellacionis causam curatores hujusmodi commiserunt Fulconi de Tornaco, judici majori senescallie Carcassonne, audiendam et fine debito terminandam, qui Fulco, post multos processus et varios, factos et habitos inter dictas partes, coram eo, in causa appellacionis predicte, diffinitivam tulit sentenciam, confirmando, in parte, et, in parte, infirmando predictam primam sentenciam, plura supplendo, addendo et detrahendo in ea; a cujus quidem Fulconis sentencia, ex parte fratris Emerici de Tyneyo, militis, preceptoris predicte domus de Dozinchiis et de Ruchafolio, ordinis Hospitalis Sancti-Johannis Iherosolimitani, asserentis, ex dicta sentencia, se gravatum et sua interesse, ex eo quia dicte domus et omnia bona ordinis dicti Templi fuerant et erant donata, concessa et applicata, ab apostolica sede, eciam ante tempus sentencie dicti Fulconis necnon et prime sentencie principalis predicte, ordini Hospitalis predicti, quodque idem preceptor ad hec omnia presens non fuerat nec vocatus, fuit ad dictum genitorem nostrum appellatum, quam appellacionis causam idem genitor noster commisit Hugoni Girardi, militi, judici curie appellacionum Tholose, decidendam et fine debito terminandam; cum autem dictus preceptor, ex una parte, ac dictus Tholdus et tutor liberorum predictus, curatorque datus alteri ex eisdem liberis, jam adulto, ex parte altera, coram dicto Hugone, in causa appellacionis hujusmodi diucius processissent, ac procurator dicti tutoris et curatoris nollet amplius causam appellacionis hujusmodi prosequi, coram eodem Hugone, contra preceptorem predictum, quatenus ipsa causa tangebat tutorem et curatorem predictum, quia, super premissis, erat compromissum inter dictas partes, ut ipse dicebat, dicto preceptore post hec causam appellacionis hujusmodi solum contra dictum Thol-

dum prosequente, demum, concluso in dicta appellacionis causa, memoratus Hugo, motus pluribus racionibus, in sua sentencia expressis, dictam cause principalis sentenciam per Bernardum Johannis latam, necnon sentenciam prime cause appellacionis, latam per Fulconem predictum, declaravit per suam diffinitivam sentenciam et decrevit, tamquam latas per non competentes judices, nullas esse; a qua quidem sentencia, tamquam iniqua, fuit, ex parte dicti Tholdi, ad predictum genitorem nostrum et ejus curiam iterato appellatum : Auditis igitur, in causa appellacionis hujusmodi, predictis partibus in nostra curia, tempore karissimi germani nostri, visisque postmodum, tempore nostro, et diligenter inspectis processibus et sentenciis supradictis, curia nostra predictos excessus omnes ac sentencias et quicquid ex eis vel ob eos sequtum est, declaravit, per suum judicium, et decrevit nullos fuisse et nullos esse, et eos non tenere nec ab inicio tenuisse, et quod causa, super principali negocio ipsorum, in curia nostra remanebit.

Philippe V, 1318.

Secunda die marcii.

M. Gervasius reportavit.

XIII. Cum Eustachius, capellanus Parisiensis prepositi, diceret et proponeret, coram eodem preposito, contra Petrum de Agneto, clericum, quod idem Eustachius vendiderat ipsi Petro, et idem Petrus retinuerat sal quod, ut dictus Petrus audiverat dici, predictus Eustachius habebat ad vendendum, videlicet, quolibet modio, pro decem solidis de acquestu, et ob hoc peteret dictus Eustachius dictum Petrum condempnari et compelli ad capiendum dictum sal, solvendo dictum precium, inter ipsos conventum, dicto Petro ad hoc se opponente et inter cetera proponente quod ipse bene requisiverat dictum Eustachium ut dictum sal sibi venderet, ac dixerat idem Petrus quod melius forum quam de decem solidis, pro quolibet modio de acquestu, habere non vellet, quodque inter ipsos alia verba seu aliud forum habitum, super hoc, non fuerat, nec eciam quamtum erat de sale fuerat declaratum, quare dicebat se debere

PHILIPPE V, 1318.

absolvi ab impeticione predicta dicti Eustachii; lite igitur, super hoc, legittime contestata, testibus hinc inde productis, examinatis et eorum deposicionibus in scriptis redactis et publicatis, conclusoque in dicta causa, tandem predictus prepositus, viso dicto processu et auditis hinc inde propositis, coram eo, pronunciavit predictum Eustachium bene probasse intencionem suam et dictum Petrum minus sufficienter suam intencionem probasse, et condempnavit, per suum judicium, eundem Petrum ad capiendum dictum sal, solvendo dicto Eustachio decem solidos de acquestu, pro quolibet modio dicti salis, una cum principali; a quo judicato, si quod erat, tamquam a falso et pravo, et si nullum erat, tamquam a nullo, fuit, ex parte dicti Petri ad parlamentum, Parisius, appellatum: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et viso processu dicte principalis cause ac judicato predictis, curia nostra, per suum judicium, declaravit et decrevit dictos processum et judicatum et quicquid ex eis vel ob eos sequtum est, nullos fuisse et nullos esse, nec tenere, nec ab inicio tenuisse.

Secunda die marcii.

M. Gervasius reportavit.

XIV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter dictum Furquim de Luques, Lumbardum, suo et Johanne Lespiciere, uxoris sue, nomine, actores, ex una parte, et Dyonisiam la Changeresse, ream, ex altera, super hoc quod dictus Furquin, suo et dicte uxoris sue [nomine], petebat a dicta Dyonisia, in judicio, coram dicto preposito, ducentos et viginti florenos de Florencia, ex causa depositi eidem Dyonisie facti, per dictam Johannam Lespiciere, et dictam Dyonisiam, per dictum prepositum, debere condempnari sentencialiter et compelli ad reddendum sibi et dicte uxori sue dictam summam florenorum, ex parte dicte Dyonisie, fuit, inter cetera, propositum quod ipsa, super predictis ab ea petitis, debebat absolvi, pro eo maxime quod ipsa dicebat quod, si probaretur dictum depositum sibi fuisse traditum, tamen dictus Fourquin et ejus uxor non habe-

rent actionem contra ipsam Dyonisiam, super dicto deposito, nec debet eis condempnari, pro eo maxime quod, licet dictus Fourquin, nominibus quibus supra, proposuerit et se probaturum obtulerit quod dicta Johanna, uxor sua, erat vidua tempore quo proponitur traditum fuisse dicte Dyonisie dictum depositum, tamen hoc non erat probatum, et quod, per deposiciones testium, super hoc, productorum, ex parte dicti Fourquin et ejus uxoris, apparebat quod dicta Johanna habebat tunc maritum, videlicet maritum dictum lou Viel, nunc defunctum, ad cujus heredes medietas dicti depositi pertineret, et quod ipsa Dyonisia habebat tunc et adhuc habet maritum, quo vivente, ipsa non poterat nec debebat, super alia medietate dicti depositi, conveniri nec eciam condempnari, ipsa tamen Dyonisia confessa fuerat in judicio quod ipsa promiserat sollempniter satisfacere de omnibus debitis que dictus maritus suus et ipsa contraxerant, constante matrimonio inter ipsos; lite vero, super premissis, legittime contestata, testibus productis, juratis, examinatis et eorum attestacionibus publicatis, concluso in dicta causa, auditis omnibus que dicte partes, super hoc, proponere voluerunt, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum Fourquim et ejus uxorem intencionem suam sufficienter, super hoc, probavisse et dictam Dyonisia meidem Fourquin et ejus uxori, per suum judicium, condempnavit in predictis ducentis et viginti florenis, contra eam petitis, deductis tamen inde quadraginta libris Parisiensibus, quas dicta Johanna, uxor dicti Fourquin, confessa fuit in judicio, coram dicto preposito, se exinde habuisse; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dicta Dyonisia ad parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque et examinatis diligenter processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictam Dyonisiam male appellasse, et quod ipsa hoc emendabit.

Philippe V, 1318.

Secunda die marcii.

M. P. de Agia reportavit.

PHILIPPE V. 1318.

XV. Debato dudum, in curia nostra, moto, inter dilectum et fidelem nostrum comitem Hanonie, ex una parte, et religiosos viros, abbatem et conventum de Marchennis, ex alia, super eo quod dicebat dictus comes seu procurator ejusdem, pro ipso, quod cum olim predecessor ipsius comitis post decessum comitisse Margarete, invenisset quod villa de Fenain, cum suis pertinenciis, erat, ut ipse dicebat, de feodis et in territorio, procinctu, ressorto et superioritate sui comitatus predicti, ac dictam villam cum suis pertinenciis, videret a religiosis predictis in manumortua detineri, et quod ipse, de dicto feodo, hominem seu deservitorem non haberet, nec eciam dicta terra esset amortizata a personis qui possent, per consuetudinem patrie, vendere, seu eciam minorare hereditatem comitatus predicti, et sic, per consuetudinem dicti loci, dicta terra cum suis appendenciis, suo domanio debebat, ut ipse dicebat, adjungi, propter que dictus comes fecit, in sua curia Moncium, in Hanonia, super hoc, clamorem contra religiosos predictos, et quod, ad requestam religiosorum predictorum, carissimus dominus et genitor noster mandavit dicto comiti ut ipse, de causa predicta, faceret curiam dictis religiosis, apud Bouchain in Obstrevanno, infra regnum nostrum, in quo territorio consistebant res contenciose predicte, qui quidem comes, ut ipse dicebat, propter predicta, prefatos religiosos, in curia sua de Bouchain, super hoc, fecit sufficienter evocari, et quod, propter defectus, in quibus positi fuerunt, in dicta curia, religiosi predicti, inspecta consuetudine dicte patrie notoria et approbata, ut ipse dicebat, homines dicte sue curie de Bouchain, per suum dixerunt judicium dictum comitem, propter defectus predictos, suam demandam predictam, contra dictos religiosos, attigisse, ac eciam conquisisse, et quod, post judicatum predictum, dictus comes ipsum judicatum, in toto vel in parte, execucioni mandavit, proponens insuper quod, si religiosi predicti venerunt ad nos seu curiam nostram, super hoc, conquerentes, impetrando quod manus nostra regia poneretur in predictis rebus contenciosis, istud nullum dicto comiti prejudicium afferre debebat, nec judicatum impedire predictum, maxime cum ipsi religiosi, a curia dicti comitis, a defectu juris,

vel a pravo et falso judicio non appellassent; quare petebat procurator ejusdem comitis impedimentum, per manum nostram regiam, adversus execucionem dicti judicati appositum amoveri, plures raciones, ad finem predictum, proponendo, procuratore dictorum religiosorum ex adverso proponente quod dictus comes Hanonie predictos religiosos, propter dictam villam de Fenain, cum suis pertinenciis, in nostra speciali gardia, ut ipse dicebat, existentes, apud Montes in Hanonia primo, ac post apud Bouchain in Ostrevanno, fecit evocari, et quod, ad religiosorum querimoniam predictorum, Jacobo de Sancto-Paulo, militi, tunc gardiatori Flandrie, mandavit dominus genitor noster predictus, ut, cum, pro predictis, dicti religiosi solum deberent respondere, coram ipso, quod ipse Jacobus in hoc servaret jus suum, qui quidem Jacobus, per ballivum d'Orchies et de Duaco, fecit locum tenenti ac procuratoribus dicti comitis eciam et hominibus curie dicte ville de Bouchain, inhiberi ne ipsi, de hiis que religiosi predicti habebant in Ostrevanno, et maxime de villa de Fenain, suisque pertinenciis se intromitterent quoquo modo, et eciam quod ipsis religiosis, ex parte domini genitoris nostri predicti, fuit inhibitum ne ipsi, coram hominibus dicte curie de Bouchain, aliqualiter pro dictis negociis comparerent, et quod dicti religiosi mandato domini genitoris nostri predicti, in hac parte, paruerunt, et quod, post dictas inhibiciones regias, dicti religiosi, ad requestam gencium comitis predicti, per homines dicte curie de Bouchain positi in defectibus fuerunt de facto, propter quos defectus homines dicte curie de Bouchain saisinam dicte ville de Fenain, cum ejus pertinenciis, adjudicaverunt, comiti predicto, et quod statim, postquam dicti religiosi audiverunt dici, sic ut premittitur, contra ipsos fuisse judicatum, ipsi formidantes ne dictus comes, de facto, dictum judicatum execucioni demandaret, requisierunt ballivum Viromandensem, ut ipse, propter dubitacionem predictam, de oportuno remedio, super hoc, provideret eisdem, qui ballivus, racione predicta, dictam villam de Fenain, cum suis pertinenciis, posuit in gardia nostra et regia protectione, plures alias raciones procuratore dictorum religiosorum, ad dictam

PHILIPPE-V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

intencionem suam fundandam, proponente, et requirente, ut propter predicta et alia per ipsum, super hoc, allegata non fieret requesta comitis predicti, et quod dictum judicatum hominum de Bouchain totaliter anullaretur, et pro judicato non teneretur, nec nomen seu effectum haberet judicati, verum, propter dictum debatum predictarum parcium, certis personis commisit dictus genitor noster predictus, ut ipsi, vocatis evocandis, inquirerent de predictis, cum diligencia, veritatem, et inquestam, quam super hiis facerent, sub suis fideliter inclusam sigillis, nostre curie remitterent judicandam : Tandem dicta inquesta per dictos commissarios perfecta, et nostre curie reportata, ac eciam dictis partibus, in nostra curia, constitutis, super hoc, et auditis, visisque dictis processibus ac diligenter examinatis, cum, per dictos processus, inventum sit predictos religiosos suam intencionem, super hoc, melius quam dictum comitem probavisse, curia nostra dictum judicatum hominum de Bouchain, et quicquid ex eo vel ob id est secutum, per suum judicium, totaliter adnullavit et pronunciavit nullum esse, adjungens quod ea que, pretextu judicati predicti, facta fuerunt seu eciam attemptata, contra religiosos predictos, in statum pristinum et debitum reponantur, salvo tamen utrique parcium predictarum jure sibi quolibet competente in rebus contenciosis predictis, petendo coram judice competenti.

Secunda die marcii.

M. Johannes de Halis reportavit.

XVI. Lite mota coram Guillelmo de Poolli, milite, tempore quo ipse vivebat, in ejus curia seculari, inter Johannem de Bria, ex una parte, et Henrietum de Suessione, jardinarium nostrum de Sancto-Germano in Laya, et Ysabellim, ejus uxorem, ex altera, super eo quod dictus Johannes, contra dictos conjuges, proponebat jus et proprietatem cujusdam pecie terre arabilis site in garenna, juxta Meledunum, a dicto milite moventis ad censum, ad se pertinere, racione cujusdam doni sibi facti per Agnetem de Bria, dicti Johannis sororem, que quidem terra dicte Agneti obvenerat, ex successione sive

eschaeta Colineti Renardi, quondam filii Esmeline de Dourden, filie quondam Agnetis supradicte; de qua terra ostencio facta fuerat prout dictus Johannes asserebat; quare petebat idem Johannes, in curia dicti militis, dictam terram sibi adjudicari, et dictos conjuges, qui eam injuste detinebant, ut ipse dicebat, expelli ab eadem, offerens se, de facto suo, quod sibi sufficeret, probaturum, dictis vero conjugibus, inter cetera, proponentibus, ex adverso, quod Johannes de Montigniaco et Johannes de Veres, miles, nunc defuncti, quondam Senonenses ballivi, dictam terram, per suum judicium, adjudicaverant liberis Nicholai Renardi, fratribus quondam, ex parte patris sui, dicti Colineti Renardi, dicte Esmeline filii, a quibus liberis dicti conjuges se dicebant habere causam, dicte Agneti in perpetuum super dicta terra silencium imponentes, prout in processu dictarum parcium, super hoc facto, plenius contineri dicebant; tandem a quadam interlocutoria lata, in dicta causa, contra dictum Johannem, in curia dicti militis, ad ballivum Senonensem, per dictum Johannem, extitit appellatum, et dictis partibus, coram dicto ballivo, in causa dicte appellacionis, presentibus, concordatum fuit inter eas, consenciente dicto milite, quod omnibus appellacionibus, in dicta causa, interpositis, adnullatis, ipse ballivus dictam causam, in qua erat conclusum, ut ipsi dicebant, secundum processum, super hoc, factum, fine debito terminaret; qui quidem ballivus, cognito de dicta causa, et viso dicto processu, necnon litteris et instrumentis utriusque partis, suum judicatum protulit, in hunc modum : Et nos, visis diligenter dicto processu et litteris et instrumentis utriusque partis, informatique, tam per judicata predecessorum nostrorum, quondam ballivorum predictorum, que nos vidimus in scriptis et sine scriptis, quam per bonos et fide dignos, presente dicto Johanne ad hoc vocato, quod ante donum, de quo dictus Johannes se vult juvare, Johannes de Montigniaco, quondam ballivus Senonensis, condempnaverat dictam Agnetem, a qua dictus Johannes se dicit habere causam, et adjudicaverat dictam hereditatem dictis liberis, a quibus dicti conjuges habent causam, a qua sentencia appellatum non fuit,

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

propter quod, de consilio bonorum et sapientum, nos absolvimus dictos conjuges ab impeticione dicti Johannis, quantum ad dictas hereditates, et imposuimus, super hoc, perpetuum silencium dicto Johanni; a quo judicato ballivi predicti, tamquam a falso et pravo, dictus Johannes ad parlamentum, Parisius, appellavit : Comparentibus igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et diligenter auditis, super omnibus que ipse, super hoc, proponere voluerunt, viso dicto processu et diligenter, per curiam nostram, examinato, visisque litteris et instrumentis utriusque partis, super hoc, exhibitis, quia curie nostre constare non potuit, per dictum processum nec alias, sufficienter esse probatum dictum Johannem de Montigniaco, quondam ballivum Senonensem, per suum judicatum, absolvisse fratres predictos ab impeticione predicta dicte Agnetis, ante donum predictum, sitque sufficienter probatum, per dictum processum, donum predictum factum fuisse, antequam Johannes de Veres, miles, quondam ballivus Senonensis, suum judicatum, in causa predicta, protulisset, appareat insuper dictos fratres, a quibus dicti rei asserunt se causam habere, fuisse conjunctos dicto Colineto, solummodo ex parte patris, a quo patre hereditas, de qua contenditur, non provenit, appareatque dictam Agnetem fuisse aviam dicti Colineti, ex parte Esmeline, matris dicti Colineti, a qua Esmelina hereditas, de qua contenditur, provenit, propter quod, de jure, dicta Agnes est dictis fratribus, in dicta hereditate, preferenda, per judicium nostre curie, fuit dictum predictum ballivum male judicasse et dictum Johannem bene appellasse, et dicti ballivi judicatum predictum non mandabitur execucioni.

Secunda die marcii.

Robertus de Magna-Villa reportavit.

XVII. Super inquesta, de mandato curie nostre, quantum ad ipsius curie nostre cognicionem pertinet, dudum facta, per inquisitores seu reformatores in Alvernia deputatos, super eo quod Bertrandus de Ruppe-Forti asserens se priorem prioratus Maringliaci, Claromontensis

dyocesis, et se in saisina pacifica dicti prioratus, per quadriannium extitisse, dicebat quod abbas Case-Dei et Arbertus de Calucio, monachus, cum eorum complicibus, per violenciam armorum et potenciam laycorum, ipsum Bertrandum seu ejus gentes, de saisina dicti prioratus ejecerant, et, de novo, salvam gardam nostram, ad ipsius requisicionem, in dicto prioratu, ut dicebat, appositam, infringendo, qui quidem inquisitores, virtute sue commissionis, dictos abbatem, Arbertum de Calucio et eorum complices, coram ipsis, ad certam diem super dicto facto, specialiter per quemdam servientem, mandaverunt citari, eidem Bertrando sibique et procuratori regio, super hiis, responsuros; ad quem diem comparuerunt, coram ipsis commissariis, Petrus Codoim, procurator dicti Bertrandi, cum litteris procuratoriis, comparuit eciam dictus Arbertus, pro se, in quantum poterat et sua intererat, qui se gerebat pro justo possessore dicti prioratus de Marimglac, ac eciam frater Hugo de Murato, monachus ac procurator abbatis et conventus dicti monasterii Case-Dei, cum litteris procuratoriis eorumdem; quibus sic presentibus procurator dicti Bertrandi, contra dictos abbatem, Arbertum et eorum complices, verbotenus proposuit, in judicio, quicquid voluit, super facto predicto, coram inquisitoribus supradictis, ad que respondit pars adversa, et specialiter dictus procurator abbatis et conventus predictorum, tam ad dicti Arberti defensionem quam illorum quos dictus procurator dicti Bertrandi dicebat fuisse complices dicti Arberti, in predicto facto, quorum factum, in se, nomine dicti monasterii, coram dictis commissariis, idem procurator dictorum abbatis et conventus palam et publice advoavit. Qua advoacione sic facta, datis, super hoc, a dictis partibus articulis hinc et inde, responsionibusque per juramenta parcium, super hiis, subsequtis, productisque ab utraque parte pluribus testibus, super ipsis articulis, concluso in causa predicta, et inquesta, super hoc, facta, ad judicandum, de consensu dictarum parcium, per dictos commissarios, ad nostram curiam asportata, cum, per ipsam inquestam, nostre curie liquido apparuerit manum nostram, in dicto prioratu, in signum salve garde, fuisse et esse appositam, tempore quo idem Bertrandus

PHILIPPE V, 1318.

seu gentes ipsius, per dictum Arbertum de Calucio, et ejus complices, a dicto prioratu, per armorum et laycorum violenciam, fuerunt expulsi, per nostre curie judicium, fuit dictum ipsum Bertrandum qui sub salva garda nostra a dicto prioratu, per violenciam armorum et laycorum, per dictum Arbertum et ejus complices, fuerat dejectus, in salve garde nostre non modicum contemptum, per nos fore reducendum in pristinum statum, in quo idem Bertrandus erat, tempore violencie et ejectionis predicte, salva, dictis partibus, questione super dicto prioratu, tam in possessione quam in proprietate, per competentem judicem terminandam, quodque bona temporalia dictorum abbatis et conventus, quorum procurator, ut predictum est, totum factum predictum coram dictis commissariis advoavit, ad manum nostram tenebuntur et explectabuntur, donec de mille libris Turonensibus, pro emenda predictorum excessuum, nobis fuerit integraliter satisfactum, quodque, super dictis excessibus, mandabitur inquiri specialiter, contra predictos complices laycos, contra quos non fuit nominatim, super hiis, inquisitum.

Secunda die marcii.

M. Bertholomeus de Sartinis reportavit.

Hii sunt layci qui dicuntur fuisse complices in excessu predicto faciendo dictus Limorges et dictus Huges, qui morantur cum domino Geraldo de Cros, Perrotus de Vasolhas, dictus Berchol, dictus Parceval, Aubertus de Molhons, Arbertus Termeniere, Gaubertus du Ruho, domicellus, et Guillelmus de Filitino.

M. B. de Albia reportavit.

XVIII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Agnetem de Lyons, civem Parisiensem, ex una parte, et Joannem de Divion, ex alia, super eo quod dicta Agnes dicebat, coram dicto preposito, contra dictum Johannem, quod, cum ipsa esset in bona saisina cujusdam domus, site Parisius, in vico retro ecclesiam Sancti-Germani Autissiodorensis, sicut itur de cruce dou Tirouer recte ad ripariam Secane et ad scolam Sancti-Germani, contigue, ex una parte, domui dicti Asse-

lot Lanfent-Fanier, et, ex alia, domui Oudart Perceval, que quondam fuerat defunctorum Christiani, dicti Chevalier, et Lizaardis, ejus uxoris, parentum dicte Agnetis, de qua domo sufficiens ostensio fuerat facta, dictamque domum tenuisset et possedisset continue, tamquam suam propriam, per triginta annos et ultra et per tantum tempus quod debebat sufficere ad bonam saisinam acquirendam, et adhuc ipsam domum teneret et possideret, dictus tamen Johannes, cum Ysabelle, uxore sua, in dicta domo morabatur, per violenciam et contra voluntatem ipsius Agnetis, turbando et impediendo indebite et de novo ipsam in saisinam dicte domus; quare petebat dictam turbacionem et impedimentum amoveri, et se custodiri et defendi in saisina dicte domus, et ad hoc debere dictum Johannem, per dictum prepositum, sentencialiter condempnari, ex parte dicti Johannis fuit, inter cetera, propositum quod ipse, super predictis, contra eum petitis, debebat absolvi, et in saisina dicte domus remanere, pro eo quia ipse tenuerat et possederat dictam domum, cum ejus pertinenciis, et in bona saisina ipsius erat et fuerat, per decem annos et ultra, et per tantum tempus quod debebat sufficere ad bonam saisinam acquirendam, asserens eciam quod dicta Agnes traxerat ipsum alias in causam, coram ballivo episcopi Parisiensis, tunc judice suo competenti, super turbacione et impedimento, per eum, appositis saisine dicte domus, et quod ipsa fuerat deficiens in causa sua, super hoc, prosequenda, et quod ipsa dixerat, in judicio, coram dicto ballivo, quod ipsa cedebat dicte liti, et se abstinebat a prosequcione dicte cause; lite vero super premissis legittime contestata, testibus productis, juratis et examinatis, et eorum attestacionibus publicatis, conclusoque in dicta causa, auditis omnibus que dicte partes, super hoc, proponere voluerunt, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictam Agnetem melius et magis sufficienter intencionem suam, super hoc, probavisse quam dictum Johannem, et quod impedimentum, per dictum Johannem, appositum dicte Agneti, super saisina dicte domus, amovebitur, et quod dicta Agnes tenebitur et servabitur in saisina dicte domus, et dictum Johannem ad amovendum impedimentum predictum, per suum ju-

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

dicium, condempnavit; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dictus Johannes ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque et examinatis diligenter processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Secunda die marcii.

M. P. de Agia reportavit.

XIX. Questionis orta materia, coram preposito Parisiensi, inter Symonem de Spernone, apothecarium, ex parte una, et magistrum Petrum dictum Brice, ex altera, super eo quod idem Symon, inter cetera, dicebat quod, licet ipse esset in saisina quarumdam domorum, de quibus ostensio fuit facta, sitarum Parisius, in vico qui dicitur vicus Garnerii-de-Sancto-Lazaro, et tenendi eas liberas ab omni onere, ultra certum censum, racione fundi terre in quo tenentur dicte domus ecclesie Sancti-Martini-de-Campis oneratarum, in undecim libris de augmento supercensus, de quibus undecim libris dictus magister Petrus solum viginti solidos recipit, et est in saisina recipiendi eosdem, nichilominus idem magister Petrus, cui de dictis viginti solidis, dictus Symon, ut ipse dicebat, satisfecerat, prisiam vadiorum in domibus predictis fecerat, in prejudicium dicti Symonis, nitendo asservire domos predictas in majori censu quam sibi debeant, faciendo, super hoc, eidem Symoni injuriam, et eumdem turbando et impediendo in saisina predicta, et novitatem indebitam, super hoc, faciendo, quare petebat idem Symon impedimentum amoveri predictum, et declarari dictum magistrum Petrum fecisse prisiam dictorum vadiorum injuste et de novo, et condempnari eumdem ad resaisiendum dictum locum de vadiis predictis, prefato magistro Petro ex adverso proponente se esse in saisina recipiendi, in domibus predictis et in quibusdam aliis domibus conjunctis eisdem et in qualibet earumdem, quadraginta solidos annui census et ibidem, propter hoc, gagiandi, et requirente pronunciari se esse

in saisina percipiendi dictum censum et, pro eo, gagiandi ibidem, quodque ipse absolveretur a predicta peticione dicti Symonis, prepositus predictus, lite, super hoc, inter dictas partes, legittime contestata, testibus productis hinc inde, receptis et examinatis, et demum renunciato et concluso in causa predicta, per suum judicium, pronunciavit dictum magistrum Petrum, intencionem suam, super hoc, probasse, quantum ad saisinam per eum propositam, et quod ipse teneretur et custodiretur in sua saisina predicta, et quod vadia que fuerant, propter hoc, per dictum Petrum capta, recredita dicto Symoni, traderentur et liberarentur eidem magistro, pro vendendo et explectando, usque ad valorem sui debiti predicti; verum cum, virtute quarumdam litterarum a nobis obtentarum, et ex parte dicti Symonis postea exhibitarum, secundum tenorem quarum, processus dicte cause erat iterato videndus, memoratus prepositus processum in dicta causa habitum, iterato inspexisset, ipse, vocatis, super hoc, dictis partibus, et auditis, dicens se invenisse quod ille, qui prima vice dictum processum viderat, erraverat eum reportando, per suum judicium, pronunciavit quod dictus magister Petrus non probaverat, super hoc, intencionem suam, et quod dicta vadia, de quibus querelam deposuerat dictus Symon, idem Petrus ceperat injuste, et quod hujusmodi vadia dicto Symoni quitta redderentur, et quod idem Symon, erga dictum Petrum, remanebit in saisina libertatis sibi solvendi tantummodo viginti solidos annui census, super domos suas predictas, et quod removebitur dicto Symoni impedimentum appositum, per dictum magistrum Petrum, quantum ad alios viginti solidos predictos, salva, super hoc, dicto Petro questione proprietatis: a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus magister Petrus ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur, in causa dicte appellacionis, predictis partibus, in curia nostra, visisque processibus, litteris et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum ultimo bene judicasse, et dictum magistrum Petrum male appellasse, emendam vero, racione dicte appellacionis debitam, curia nostra, de gracia, et ex causa dicto Petro remisit.

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

Secunda die marcii.

B. de Albia.

XX. Lite mota, coram ballivo episcopi Parisiensis, inter procuratorem magistri et scolarium domus de Sorbona, Parisius, ex parte una, et Johannem de Corbigny, ex altera, super eo quod dictus procurator asserebat quod dicti magister et scolares, sive procurator ipsorum, nomine eorumdem, erant et fuerant, per longum tempus, sufficiens ad acquirendum saisinam, in possessione vel quasi juris percipiendi et levandi, justo titulo et bona fide, in quatuor terminis, Parisius consuetis, viginti solidos Parisienses annui redditus sive census, super quadam domo, cum pertinenciis suis, sita in vico Scriptorum, Parisius, inter domum Johannis de Garlanda, librarii, ex una parte, et domum Stephani le Bourgoignon, ex altera, in censiva dictorum magistri et scolarium tociens quociens ipsi invenerunt domum predictam apertam et munitam, in terminis supradictis, et quod dicta domus vacua et nuda fuerat, aliquibus temporibus, in tantum quod restabant solvendi, de arreragiis redditus supradicti, quadraginta quinque solidi Parisienses, quos non receperant nec levaverant magister et scolares predicti, propter causam supradictam. Item dicebat dictus procurator quod, racione predictorum arreragiorum et racione census seu redditus tunc temporis debiti, idem procurator, nomine quo supra, continuando saisinam supradictam, in domo predicta gagiaverat, et pignora certa et, per ipsum, bene declarata, ceperat, que quidem pignora dictus Johannes de Corbigny recusserat et abstulerat eidem procuratori, impediendo et turbando, super hoc, injuste et de novo, saisinam magistri et scolarium predictorum et quod idem ballivus, propter debatum predictum, dicta pignora poni fecerat ad manum suam, dicens idem procurator quod premissa erant notoria et, de eis, erat publica vox et fama, et quod ipsa confessus fuerat dictus Johannes de Corbeigneyo, quare petebat procurator predictus, quo supra nomine, per dictum ballivum pronunciari dictum Johannem injuste turbasse saisinam

predictam magistri et scolarium predictorum ac ipsos esse in bona saisina de predictis, ac ipsos debere tueri et defendi in saisina predicta, et quod pignora supradicta, pro predicto debito capta, venderentur et distraherentur, ad finem quod dicto procuratori satisfieret, de supradictis redditibus, tam pro preterito tempore quam presenti, causis et racionibus supradictis, offerens se dictus procurator probaturum ea que sibi sufficerent de predictis; dictus vero Johannes de Corbigny proposuit, ex adverso, quod ipse domum supradictam, tamquam proprietarius, et illi a quibus ipse causam habebat, super hoc, libere possederant, usque nunc, a viginti annis citra, liberam et sine aliquo censu seu redditu, excepto quod dicti magistri et scolares habebant, in predicta domo, decem et octo denarios census fundi terre, solvendos in festo Sancti Remigii, quos dictus Johannes eisdem solverat, ut ipse dicebat, integre, terminis constitutis; item quod dictus procurator, quo supra nomine, injuste fregerat ostia dicte domus sue, et pignora quedam inde extraxerat et portaverat turbando eumdem Johannem in sua saisina libertatis predicte indebite et de novo, quare petebat dictus Johannes dicta pignora sibi restitui et impedimenta, super hoc, apposita penitus amoveri, ac se, in sua saisina dicte libertatis, defendi; super quibus, lite, inter partes, contestata, jurato de calumpnia, testibus productis, examinatis et eorum deposicionibus publicatis, racionibus multis propositis, hinc et inde, conclusoque, in dicta causa, die certa, ad hoc, dictis partibus assignata, dictus ballivus, per suum judicium, pronunciavit predictum procuratorem intencionem suam sufficienter, super hoc, probavisse, dictumque Johannem in predictis, contra eum petitis, condempnavit dicto procuratori, nomine quo supra, dicens dictum procuratorem conservari debere in saisina percipiendi viginti solidos annui census predicti, et quod pignora predicta venderentur et distraherentur, pro solvendis arreragiis census seu redditus supradictis; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dictus Johannes de Corbigny ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in parlamento nostro, in causa appellacionis predicte, et visis processu

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

et judicato predictis, per curie nostre [judicium], dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit. In cujus rei testimonium, nostrum presentibus litteris forme[1] apponi sigillum. Actum Parisius, in parlamento nostro, secunda die marcii, anno Domini millesimo trecentesimo decimo octavo.

XXI. Lite mota, coram preposito Belvacinii, inter Eustachium d'Encre, militem, Petrum, Florencium, ejus fratres, dominam de Tilloi et dominum de Tilloi, ejus maritum, quatenus eum tangit, et dominam de Paliart, sorores dictorum fratrum, ex parte una, ac Ingerannum d'Encre, militem, eorum fratrem, ex parte altera, super eo quod dicti fratres et sorores dicebant quod Hocto d'Encre, miles, pater dictorum fratrum et sororum, et Yolendis, ejus uxor, mater dictorum fratrum et sororum, constante matrimonio, inter ipsos, acquisiverunt census, terras et alias res de quibus questio erat, inter partes predictas, et de quibus ostencio facta fuit, et quod dicta Yolendis, in ultima voluntate sua, dederat et reliquerat ipsis, pro Deo et in elemosina, partem suam omnium acquestuum factorum inter ipsam et dictum Hoctonem, constante matrimonio, inter ipsos, et quod, de patrie consuetudine, ipsa hoc facere potuerat, et quod ipsi fecerant se poni in saisina dicte elemosine, ex causa predicta, per gentes nostras, quare petebant dicti agentes pronunciari ipsos debere remanere in saisina elemosine predicte; pars vero dicti Ingeranni, ex adverso, plures proposuit raciones, tendentes ad finem quod dicta peticio nullius erat valoris, et, si erat alicujus valoris, quod dicti fratres et sorores tenebantur reportare illud quod ipsi secum portaverant, quia pater eorum predictus fecit, super hoc, istam reportacionis ordinacionem, inter liberos suos, et quod dictus Ingerannus, propter hoc, reportavit et summisit predicte ordinacioni dicti patris sui, ducentas et octoginta libratas terre quas ipse habebat, de sua hereditate, et quas idem pater suus eidem contulerat

[1] Lisez *fecimus*.

ipsum maritando, [secundum quod] super hoc, dictus pater ordinavit, inter ipsos et quemlibet ipsorum, secundum quod sibi visum fuit expedire, et tenuit, quilibet liberorum predictorum, ordinacionem que eis facta fuerat a patre predicto, et possedit quilibet eorum partem suam sibi assignatam, ex ordinacione dicti patris eorum, pacifice et per longum tempus, et quod dicti agentes ita tenere debebant ordinacionem dicti patris eorum vel, sicut premissum est, reportare, et plures raciones alias, tam ex parte una quam ex parte altera, proposuerunt; quibus auditis, dictus prepositus Belvacinii pronunciavit, per suum judicium, quod predicti Eustachius, Petrus, Florencius, domina de Tilloi, dominus de Tilloi, quatenus eum tangit, et domina de Paliart remanerent in saisina dicte elemosine, pro numero liberorum, in qua ipsi positi fuerunt, de facto, per gentes nostras, sine faciendo reportum; a quo judicato, tanquam falso et pravo, Eustachius de Roverel, procurator dicti Ingeranni, appellavit ad assisiam Ambianensem, in qua assisia, in causa dicte appellacionis, dictis partibus comparentibus et auditis, homines judicantes in assisia predicta, per suum judicium, pronunciaverunt quod, in eo quod predictus prepositus Belvacinii judicavit quod dicti fratres et sorores remanebunt in saisina dicte elemosine, ipse bene judicavit, in eo vero quod ipse judicavit quod hoc esset, sine faciendo reportum, ipse male judicavit, in quantum tangit predictos fratres et sorores; a quo judicato, tanquam a falso et pravo, dicti Eustachius d'Encre, miles, et Florencius, ejus frater, ad parlamentum, Parisius, appellarunt: Constitutis igitur dictis partibus in parlamento nostro, Parisius, et auditis, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicatis predictis, per judicium nostre curie, dictum fuit predictos homines Ambianenses, bene judicasse, et dictos Eustachium et Florencium male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Philippe V, 1318.

Die secunda marcii.

XXII. Notum facimus quod, quadam inquesta, de mandato curie nostre, vocatis partibus, facta, super pluribus injuriis, violenciis et

PHILIPPE V, 1318.

verberacionibus Agneti Converse, ex parte Ysabellis Converse, uxoris Guillelmi Boni, Judei, factis et illatis, minis precedentibus, et ipsa Agnete in nostris proteccione et salva garda posita existente, inhibicioneque eidem Ysabelli, ex parte nostra, facta ne eidem Agneti, in persona sive bonis, injurias ac violencias aliquas inferre seu inferri facere presumeret, quoquo modo, et curie nostre, de mandato nostro, reportata, dictis partibus, in nostra curia, super hoc, diligenter auditis, visa et diligenter examinata, curia nostra predictam Ysabellim, ad reddendum et solvendum nobis, pro emenda predictorum, sexaginta libras Parisienses, et dicte Agneti triginta libras Parisienses, pro dampnis et interesse suis, per suum judicium, condempnavit.

Secunda die marcii.

XXIII. Conquerente Johanne Cussac, cive Parisiensi, et asserente quod, cum inter ipsum, ex una parte, et Johannem Aubeuf, ex altera, coram preposito Parisiensi, mota esset discordia super quadam quantitate lignorum quam dictus Johannes Aubeuf, ab ipso Johanne Cussac tunc petebat, quidam se gerens pro procuratore dicti Johannis Cussac, ipso in remotis agente, licet virtute sui procuratorii, si quod haberet, potestatem compromissum, super hoc, faciendi non haberet, ut dicebat idem Johannes Cussac, ordinacioni predicti Johannis Aubeuf, super peticione predicta, se supposuit, et in eum compromisit, qui quidem Johannes Aubeuf, pretextu ordinacionis et compromissi predictorum, pronunciavit quod dictus Johannes Cussac sibi centum quinquaginta libras Parisienses redderet pro lignis predictis, quamquam, ut ipse dicebat, in tantum de medietate non teneretur eidem, olim, inclite recordacionis dominus Ludovicus, rex Francie et Navarre, germanus noster, Guillelmo Pidoe et Stephano Barbate, preposito mercatorum ville Parisiensis, et cuilibet eorum commisit ut ipsi, vocatis dictis partibus et auditis, tam super dicta causa principali, quam super pronunciacione predicta, causa cognita, exhiberent eisdem celeris justicie complementum;

coram quibus commissariis, contra dictum Johannem Aubeuf, proposuit dictus Johannes Cussac multas raciones, petens quamdam sentenciam contra se latam, et pro dicto Johanne Aubeuf, per prepositum Parisiensem, per quam ipse in centum quinquaginta libris Parisiensibus fuerat, ut ipse dicebat, indebite condempnatus, revocari, dicto Johanne Aubeuf, in contrarium proponente plures raciones, petenteque quoddam gagiamentum Castelleti Parisiensis quod ipse, contra dictum Johannem habebat, super condempnacione predicta, execucioni debite mandari; lite igitur, coram dictis commissariis, inter dictas partes, super hoc, contestata, jurato de calumpnia, testibus hinc inde productis, examinatis et eorum deposicionibus publicatis, die certa, ad audiendum jus, super hoc, dictis partibus assignata, Stephanus Barbete, commissarius predictus, delato, in dicta causa, per eum, juramento dicto Johanni Aubeuf, juratoque, per eumdem [quod], de totali summa supradicta, quadraginta libre Parisienses restabant ad solvendum eidem, et [quod] de toto residuo dicti gagiamenti sibi fuerat plenarie satisfactum, dictum Johannem Cussac, in dictis quadraginta libris Parisiensibus eidem Johanni Aubeuf, per suum judicium, condempnavit, et absolvit eumdem Johannem Cussac, in residuum predictorum contra eum petitorum; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dictus Johannes Cussac, in quantum contra eum faciebat, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia ipsa, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum commissarium bene judicasse, et dictum Johannem Cussac male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Philippe V. 1318.

Secunda die marcii.

XXIV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Perrotum Flamingi, civem Parisiensem, ex una parte, et Johannem Burgundum, ex alia, super hoc quod dictus Perrotus dicebat et sustinebat, in judicio, coram dicto preposito, contra dictum Johannem, quod Guillelmus de Latilli, tabernarius Parisiensis, et Stephania, ejus uxor,

PHILIPPE V, 1318.

vendiderant eidem Perroto, pro certo precio, septem libras Parisienses augmenti census seu redditus, annuatim percipiendas ab ipso Perroto et ab ejus heredibus, ad quatuor terminos Parisius consuetos, super quamdam domum, sitam Parisius, in vico qui vocatur Jehan-Pain-Mollet, quam dicti conjuges tunc tenebant et possidebant, tamquam suam propriam, et de qua ostencio sufficiens fuerat facta; dicebat eciam dictus Perrotus quod Matheus Anthoine de Montgison, civis Parisiensis, et Sedilia, ejus uxor, vendiderant eidem Perroto, pro certo precio, quadraginta solidos augmenti census seu redditus annui, quos proprii habebant et percipiebant, super dicta domo, ex certa et legittima causa, annuatim, ad terminos Parisius consuetos, de quibus omnibus dicti venditores se desaisiverant et fecerant saisiri dictum emptorem, per dominum fundi, et, ex predictis causis, dicebat dictus Perrotus se habere jus percipiendi dictos redditus annuatim, super dicta domo, ad terminos supradictos; dictus tamen Johannes, qui dictam domum postea emerat a dictis Guillelmo et Stephania, conjugibus, et eam tenebat et possidebat, tamquam suam propriam, predictum Perrotum dictos redditus, super dicta domo, percipere et levare indebite contradicebat, non permittens eum Perrotum, pro dictis redditibus, ibidem capere pignora, pro terminis preteritis, prout est Parisius consuetum, quare petebat dictus Perrotus jus percipiendi dictum augmentum census ac redditus predictos super dicta domo, ad ipsum pertinere, per dictum prepositum, declarari et dictum Johannem non habere jus hoc contradicendi eidem, et eumdem Johannem ad cessandum a dicta contradictione, sentencialiter condempnari et compelli; ex parte vero dicti Johannis fuit, inter cetera, propositum quod ipse erat et fuerat in bona saisina tenendi et possidendi dictam domum liberam, et quod ipsa domus erat libera et quitta ab omni servitute et onere census et augmenti census seu redditus, exceptis tantummodo centum solidis census solvendis annuatim aliis personis quam dicto Perroto, et quod ipse Johannes, cum isto onere centum solidorum tantummodo, emerat dictam domum a dictis conjugibus, quare petebat dictam domum,

quoad premissa onera, ex parte dicti Perroti petita, liberam esse declarari, et ab ejusdem Perroti predictis peticionibus se absolvi; lite vero, super premissis, legittime contestata, testibus productis, juratis et examinatis, et eorum attestacionibus publicatis, conclusoque, in dicta causa, auditis omnibus que dicte partes, super hoc, proponere voluerunt, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum Perrotum Flamingi melius et magis sufficienter intencionem suam probavisse quam dictum Johannem, et in predictis, ex parte dicti Perroti petitis, dictum Johannem, per suum judicium, condempnavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Johannes ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque et examinatis diligenter processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Johannem male appellasse, et quod ipse [hoc] emendabit. PHILIPPE V, 1318.

Secunda die marcii.

XXV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, commissario, per nostras litteras, super hoc dato, inter dilectum et fidelem nostrum comitem Rouciaci, adjuncto sibi procuratore nostro, ex una parte, et Symonem de Chevreuse, militem, ex altera, super eo quod procurator dicti comitis, una cum procuratore nostro, plures raciones, facti et juris, proposuerat, ad finem quod pronunciaretur, per dictum prepositum, predictum militem injuste apposuisse manum suam in feodo de Blanche-Fouace, quod feodum, ut ipse dicebat, Johannes Arrode, a dicto comite, et dictus comes, a nobis, se tenere advoaverunt, et quod recredencia facta dicto Johanni, de dicto feodo, per dictum militem, dicto Johanni cederet ad deliberacionem, quodque pronunciaretur dictum Johannem Arrode, in homagio dicti comitis, et dictum comitem, in homagio nostro, de dicto feodo de Blanche-Fouace, remanere debere, et raciones dicti militis in contrarium propositas non debere admitti, quas raciones idem miles, super sai-

PHILIPPE V. 1318.

sina dicti feodi, proposuerat, ad finem quod assignacio, per ipsum militem, ad dictum feodum facta, prodesset eidem, procuratore dicti militis in contrarium proponente plures raciones, juris et facti, ad finem quod manus nostra, in dicto feodo de Blanche-Fouace apposita, inde amoveretur, ita quod ipse, per manum suam, posset dictum feodum justiciare, et quod advoacio predicta facta, per dictum Johannem Arrode, a dicto comite, et, per dictum comitem, a nobis, pronunciaretur injusta, sive nulla, et quod idem miles, ab impeticione predicta dicti comitis et procuratoris nostri, sibi adjuncti, per judicium dicti prepositi, absolveretur, offerentes partes predicte, de suis factis, ad fines ad quos tendebant, quod sibi sufficeret, probaturis; tandem pecierunt partes predicte, a dicto preposito interloqui, utrum dicte raciones facti, ab ipsis partibus proposite, non obstantibus racionibus in contrarium adductis, essent admittende; qui quidem prepositus, super hoc, auditis racionibus dictarum parcium et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit quod ipse, facta ab utraque parte proposita recipiebat, ad probandum, ad fines ad quos dicte partes tendebant; a quo judicato, tanquam falso et pravo, per procuratorem dicti comitis, ad nostram curiam extitit appellatum: Partibus vero predictis, in curia nostra, comparentibus, et in causa appellacionis predicte, auditis earum racionibus hinc et inde, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predectum prepositum bene judicasse et procuratorem dicti comitis male appellasse, et quod ipse hoc emendabit, et quod dicte cause cognicio, in curia nostra, remanebit.

Secunda die marcii.

XXVI. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Galterum de Camous, nomine suo et Johanne Cervoisiarie, uxoris sue, communis mercatricis, ex una parte, et Petrum, pasticiarium, tempore quo ipse vivebat, ex altera, super eo quod dictus Galterus proponebat, contra dictum Petrum, quod Johanna predicta, uxor ipsius Galteri, tradiderat, in deposito, dicto Petro quamdam magnam quantitatem

bladi, et, per finalem compotum inter eos factum, pro dicto blado, dictus Petrus, in summa sexaginta quatuor librarum et novem solidorum Parisiensium, remansit, dictis conjugibus, obligatus, et quod dictus Petrus et ejus procurator sufficienter fuerant confessi dictam summam peccunie dictis conjugibus deberi, pro dicto blado, per cumpotum supradictum, quare petebat dictus Galterus eumdem Petrum, ad solvendum sibi dictam peccunie summam, per dictum prepositum sentencialiter condempnari et compelli, et, de facto suo, se probaturum quod sibi sufficeret, offerebat; que omnia dictus Petrus, per suum juramentum, negavit esse vera, testibus autem, super hoc, productis, juratis, examinatis et habitis pro publicatis, dictus Petrus, antequam terminata esset dicta causa, viam universe carnis fuit ingressus; postea vero Eustachia, relicta dicti Petri, et Guillelmus, furnarius, maritus ad presens dicte Eustachie, presentes in judicio, coram dicto preposito, et contra dictum Galterum, super hoc, adjornati, dictum processum, in se, in statu in quo dictus Petrus eum dimiserat, resumpserunt, certa vero die assignata dictis partibus, ad audiendum jus, in causa predicta, dictus prepositus, auditis racionibus dictarum parcium et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit quod dictus Galterus suam intencionem, super hoc, sufficienter probaverat, et dictos Guillelmum, furnerium, et Eustachiam, ejus uxorem, qui dictum processum predicti Petri, pasticiarii, resumpserant, in peticione dicti Galteri condempnavit; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dicti conjuges ad parlamentum, Parisius, appellarunt: Dictis vero partibus, in causa appellacionis predicte, propter hoc, in parlamento, Parisius, constitutis, auditis, super hoc, racionibus earumdem, visoque processu predicto, per judicium curie nostre, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictos conjuges bene appellasse, et quod judicatum predictum non mandabitur execucioni.

PHILIPPE V, 1318.

Secunda die marcii.

M. P. de Faya reportavit.

PHILIPPE V, 1318.

XXVII. Cum Richardus de Gisorcio, lator quarumdam litterarum, sigillo Castelleti Parisiensis sigillatarum, que continebant Guillelmum dictum le Bourguignon, seniorem, et Guillelmum le Bourguignon, ejus filium, et eorum quemlibet in solidum, obligatos esse Renuchio de Montemaigne et Morello Franci, mercatoribus Lucanensibus, in centum octoginta quatuordecim libris et sexdecim solidis Parisiensibus, solvendis dictis mercatoribus vel dictarum litterarum portitori, pro eis, in modum qui sequitur, videlicet, in festo dominice Ascensionis novissime preterito, viginti octo libris Parisiensibus, et deinde, quolibet anno postmodum secuturo, quatuor terminis consuetis Parisius, viginti octo libris Parisiensibus, videlicet, in quolibet dictorum quatuor terminorum, septem libris, quousque dicta summa totaliter foret integre persoluta, prima paga in festo nativitatis sancti Johannis-Baptiste quod erit anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono inceptura, sub condicione tali quod, si in aliqua dictarum pagarum dicti obligati deficerent, ex tunc de toto illo debito, dicti creditores possent prosequi, in totum, debitores predictos, predictas litteras in curia Castelleti exhibens, asserensque quod dicti obligati, in festo predicto dominice Ascensionis, dictas viginti octo libras Parisienses non solverant, peciisset, dictorum mercatorum nomine et pro ipsis, quod prepositus Parisiensis, litteras ipsas execucioni mandando, dictum Guillelmum le Bourguignon, seniorem, compelleret ad satisfaccionem plenam et integram, de tota summa predicta; dictus autem Guillelmus, predictarum litterarum tenore attento, proposuit quod, cum ipse, non sicut premissum est, sed alio modo, convenisset, cum dictis mercatoribus, videlicet quod ipse, in dicto termino dominice Ascensionis perveniendo in hoc futurum terminum festi nativitatis beati Johannis-Baptiste, et pro dicto termino nativitatis ipsius beati Johannis, solveret septem libras solummodo, quas septem libras ipse dicebat se sufficienter, in dicto termino, obtulisse, et de eis solvendis quod debebat fecisse, in ipsis litteris erat scriptum aliud quam inter ipsas partes actum et conventum fuisset, proponens idem Guillelmus facta ista et quedam alia, per que ipse dicebat quod dicte

littere, sub dicta forma, in eis contenta, et sub forma, per dictum latorem, petita execucioni, contra eum, mandari non debebant, offerens idem Guillelmus dicta facta per eum proposita, se paratum probare, si pars adversa ea negaret; dicte partes adverse facta contraria negando, verum latore litterarum predictarum plura in contrarium proponente, et tandem dicta facta, per eumdem Guillelmum proposita, litem contestando, negante, prepositus predictus dicti Guillelmi, probacionibus non auditis, super factis propositis per eundem, per suum judicium, pronunciavit dictum Guillelmum ad solucionem tocius predicti debiti, sine alterius termini expectacione, debere compelli; a quo judicato, tanquam a nullo, seu tanquam a pravo et falso, idem Guillelmus ad parlamentum, Parisius, appellavit : Dictis igitur partibus, in nostra curia, in causa dicte appellacionis, comparentibus, eisque in suis racionibus auditis, visis eciam processibus, super hoc, factis et habitis, coram dicto preposito, visisque factis et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse, et dictum Guillelmum bene appellasse, et quod dicta causa principalis, inter partes ipsas, remanebit, in parlamento presenti, resumenda in illo statu in quo ipsa erat, tempore judicati prepositi supradicti, et in ea dicte partes ulterius procedent.

Secunda die marcii.

M. Egidius de Remino reportavit.

XXVIII. Cum, inter Egidium de Silvanecto, burgensem de Meleduno, ex una parte, et abbatem et conventum monasterii Sancti-Petri de Meleduno, garandos Guillelmi le Retondeeur, dicti de Argentolio, ex altera, causa mota fuisset, coram preposito Meleduni, et racione foragii vinorum quod petebat, ex certa causa, dictus Egidius, in quibusdam domibus sitis apud Meledunum de quibus facta fuit ostensio, predictus prepositus judicatum suum tulisset, in parte, pro dicto Egidio contra religiosos predictos et a dicto judicato, tanquam falso et pravo, procurator dictorum religiosorum, in quantum dictum

PHILIPPE V, 1318.

judicatum, contra dictos religiosos, faciebat, ad ballivum Senonensem appellasset; predictus ballivus, in causa dicte appellacionis procedens, auditis, super hoc, dictis partibus, et visis processu et judicato predictis, per suum judicium, pronunciavit dictum prepositum, in eo quod ipse judicavit dictum Egidium, nomine quo ipse agebat, posse capere dictum foragium, in domibus predictis, male judicasse, et dictorum religiosorum procuratorem bene appellasse; a cujus ballivi judicato predicto, dictus Egidius ad parlamentum, Parisius, appellavit; constitutis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, dictus Egidius proposuit se, super hoc, duas appellacionis causas in parlamento nostro habere, unam contra dictum Guillelmum et aliam contra religiosos predictos, super quibus ipse petebat se audiri, dicto Guillelmo ex adverso proponente quod inter ipsum et dictum Egidium nulla causa appellacionis, in parlamento, Parisius, pendebat; super quo nostra curia, sufficienter informata, declaravit quod inter dictos Egidium et Guillelmum nulla, super hoc, in parlamento, Parisius, appellacionis causa pendebat : Auditisque postea dictis Egidio et procuratore dictorum religiosorum, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictum Egidium male appellasse, emendam vero, racione dicte male appellacionis, debitam, curia nostra, de gracia et ex causa, dicto Egidio quittavit.

Secunda die marcii.

XXIX. Cum dudum inclite recordacionis karissimus dominus et genitor noster Philippus, Francorum rex, senescallo Petragoricensi suis dedisset litteris in mandatis, ut ipse, super pluribus juribus que, tam procurator dicti genitoris nostri, pro ipso, quam consules et universitas ville Moysiaci, pro se, ex una parte, et Guillelmus Esclamal, miles, pro se, ex altera, in parrochiis ecclesiarum Sancte-Tecle, Sancti-Mameti, Sancti-Martini-Dosme, Sancti-Petri-de-Daldis, Sancti-Pauli, Sancti-Johannis, Sancte-Marie-de-Rodangon, Sancti-Vincencii,

et in locis de Piaco et de Malausa ac aliis dictorum locorum circon- PHILIPPE V, 1318.
stanciis universis predicta tangentibus, se dicebant habere, vocato procuratore suo senescallie predicte et aliis evocandis, inquireret diligencius veritatem, et inquestam, super hoc factam, eidem genitori nostro, sub suo sigillo, remitteret interclusam, deinde dicto senescallo, ante inchoacionem processus alicujus, super predictis, translato ad officium senescallie Tholosane, idem genitor noster, eidem senescallo Tholosano iterato mandavit, ut ipse mandatum, super hoc, alias sibi factum, tempore quo ipse senescallus erat Petragoricensis, de facienda inquesta, inter dictas partes, super juribus locorum predictorum, modo debito, compleret, postea vero, per comitem Attrebatensem, locum dicti domini genitoris nostri tunc, in partibus illis, tenentem, extitit eidem senescallo Tholosano mandatum ut ipse, per se vel per alium, super premissis et premissa tangentibus, juxta sibi, a dicto domino genitore nostro, factum sibi mandatum, inquireret diligentissime veritatem ; verum senescallus predictus, aliis occupatus negociis, ut ipse dicebat, inquisicioni predicte intendere non valens, primo magistro Arnaudo Clari, tunc judici majori Agennensi, super premissis et premissa tangentibus, vices suas commisit, coram quo, tam super articulis, ex parte procuratoris senescallie Petragoricensis et consulum universitatis ville Moysiaci, ex parte una, quam eciam per Guillelmum Esclamal predictum, ex altera, traditis hinc inde, lis fuit contestata, et aliqui testes, super hoc, producti, et plures nominati, ac, dicto magistro Arnaldo Clari sublato de medio, dictus senescallus commisit magistro Guillelmo Mesquim, ut ipse inquestam hujusmodi, per dictum magistrum Arnaldum, inceptam, vocatis evocandis, compleret; ceterum testibus pluribus, instrumentis et scripturis a dictis partibus, super articulis dictarum parcium, coram eodem Guillelmo, productis, et per eum receptis, decursis quoque postea aliquibus annis, procurator noster et consules predicti, ac defuncto dicto Guillelmo Esclamal, Bertrandus de Fumello, miles, filius et heres dicti Guillelmi Esclamal, communi assensu, ad senescallum Tholosanum, qui, pro tempore illo, erat, ad inquirendum, super

PHILIPPE V, 1318.

reprobacionibus testium, in dicta causa, hinc inde productorum, a dicto domino genitore nostro, commissionem, super certa forma, obtinuerunt, et tandem, commissione predicta ad eumdem senescallum predictum pluries renovata, idem senescallus vices suas, super hoc, commisit magistris Johanni servientis et Raymundo Coste successive, coram quibus, pluribus testibus productis, a dictis partibus, super reprobacionibus predictis, et, per eosdem, receptis et examinatis, postea processus omnes, super predictis, habiti ad nostram curiam fuerunt, ad judicandum, remissi, dictis partibus ad hoc vocatis et presentibus; auditis igitur, super hoc, dictis partibus, recepti fuerunt, per curiam nostram, dicti processus, ad judicandum, ad illum finem ad quem possent judicari : Visis itaque dictis processibus et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dicti processus, propter plures defectus, in eis repertos, fuerunt totaliter anullati, et precepit curia nostra quod, super predictis juribus contenciosis, dicte partes faciant facta sua, et, super eis, inquiretur veritas, et fiet jus.

Secunda die marcii.

M. B. de Albia reportavit.

XXX. Mota controversia inter Johannem de Croso, ex una parte, et magistrum domus Dei de Sezanna, ex altera, super eo quod dictus Johannes dicebat saisinam instituendi et destituendi magistrum, in dicta domo, ad nos pertinere, dicto magistro contrarium asserente et dicente saisinam hujusmodi ad prepositum de Monte-Jovis, per quem ipse fuerat ibidem institutus, pertinere, et requirente se conservari in saisina domus predicte : Facta, super hoc, inquesta, de mandato nostro, et, auditis partibus, nostre curie tradita, ad videndum, ea visa et diligenter examinata, cum, per eam, nostre curie constiterit dictum magistrum intencionem suam, super hoc, melius probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus magister servabitur in dicta saisina domus predicte et regiminis ejusdem, et quod bona dicte domus, propter hoc, sibi ablata restituentur eidem, salva nobis, super hoc, questione proprietatis.

Secunda die marcii. PHILIPPE V, 1318.

M. J. de Mandeville reportavit.

XXXI. Lite mota, coram preposito Parisiense, inter Eloysim de Crocy, ex una parte, et Richardum de Viri, ex alia, super eo quod dicebat dicta Heloysis quod, cum quedam vinea, sita apud Franconville in ingressu dicte ville, continens circiter dua arpenta, que sibi obvenerat, ex successione Gerondi dicti Rosselli, fratris sui, quondam ad ipsam, jure dominii, pertineret, dictus tamen Richardus dictam vineam injuste et contra voluntatem ipsius detinebat, quare petebat, per judicium dicti prepositi, declarari dictam vineam suam esse et ad ipsam pertinere, et dictum Richardum ad dimittendum sibi dictam vineam sentencialiter condempnari; dicto Richardo, ad sui defensionem, inter cetera, proponente in contrarium se ab impeticione predicta dicte Heloysis debere absolvi, pro eo quod, si unquam ipsa Heloisis habuerat aliquod jus in dicta vinea, ipsa postea eam donaverat magistro Johanni de Malo-Croso, tunc defuncto, et quod ipsa totum jus suum hujusmodi transtulerat in eumdem, et quod ipse Richardus emerat, pro justo precio, dictam vineam, ab executoribus testamenti defuncti dicti magistri Johannis habentibus, ut ipse dicebat, super hoc, potestatem, et quod ipse, ex causa predicta, dictam vineam juste tenebat et possidebat; pluribus vero racionibus propositis, super hoc, hinc et inde, liteque, super premissis, coram dicto preposito, contestata, testibus, super hoc, productis, juratis et examinatis, ac eorum attestacionibus publicatis, conclusoque in dicta causa, auditis omnibus que dicte partes, super hoc, proponere voluerunt, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod proprietas dicte vinee dicte Heloysi remaneret, et eidem dictam vineam adjudicavit; a quo judicato, tamquam a falso et pravo, dictus Richardus ad parlamentum, Parisius, appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque diligenter processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum Richardum bene

PHILIPPE V, 1318.

appellasse, et quod dictum judicatum non mandabitur execucioni.

Vicesima octava die marcii.

M. P. de Agia reportavit.

XXXII. Lite mota, coram majore de Tharoanne, Parisius, inter Huchonem, Anglicum, ex una parte, et Richardum dechargiatorem, ex altera, super eo quod dictus Huchon, contra dictum Richardum, proponebat dictum Richardum sibi teneri in septuaginta libris Parisiensibus, ex causa vendicionis cujusdam domus, petens, per dictum majorem, eumdem Richardum, pluribus racionibus facti et juris, sibi condempnari in dicta summa, offerens se de factis suis, quod sibi sufficeret, probaturum; dicto Richardo, ex adverso, proponente se ad hoc, pluribus racionibus, non teneri; lite vero, super hoc, inter eos, contestata, testibusque, super hoc, productis, ex parte dicti Huchonis, juratis et examinatis, tandem dicto Richardo assignata fuit certa dies, ad probandum primo excepciones quas ipse, ad finem absolucionis sue, contra peticionem dicti Huchonis, proposuerat, ad quem diem dicto Richardo, per procuratorem, sufficienter comparente, Petrus garnisator, se gerens pro procuratore dicti Huchonis, comparuit, et quia procurator dicti Richardi, cum dicto Petro, tamquam minus sufficienter fundato pro dicto Huchone, procedere non volebat, sed cum instancia petebat dari sibi defectum contra dictum Huchonem, concordatum fuit, inter eos, quod ipsi procederent in hujusmodi causa dicta die, sub tali protestacione quod, si dictus Petrus ad primam diem sibi assignandam non ostenderet se sufficienter fundatum fuisse die predicta, procurator dicti Richardi haberet defectum de dicta die; qua die, dictis partibus, ad hoc, assignata, dictus Huchon, cum predicto Petro, procuratore suo, comparuit, dicens dictum Petrum, procuratorem suum, pro illa die de qua petebatur dictus defectus sufficienter fundatum fuisse, per unum procuratorium, sigillo dicte curie sigillatum; procuratore dicti Richardi e contrario proponente dictum defectum debere sibi dari, propter hoc quod procurator dicti Huchonis qui originaliter, in causa hujus modi, fuerat actor, non habebat gra-

ciam a nobis agendi, in judicio, per procuratorem, proposueruntque dicte partes plures raciones, ad fines predictos, super quibus ipse partes interloqui, per majorem predictum, cum instancia pecierunt; dictus vero major, auditis racionibus, propositis hinc et inde, per suum judicium, pronunciavit quod procurator dicti Richardi haberet comparuit, de die supradicta; quo judicio dato, a quo non extitit appellatum, dictus Richardus fecit citari dictum Huchonem visurum adjudicari sibi commodum dicti comparuit, et die ad hoc assignata, dictus Richardus proposuit plures raciones, facti et juris, per quas ipse petebat se a peticione predicta dicti Huchonis, propter comparuit predictum, debere absolvi, dicto Huchone contrarium, pluribus racionibus, asserente, et, super aliquibus factis et consuetudinibus, ex parte dicti Richardi propositis, a dicto Huchone negatis, testibus productis, juratis et examinatis; tandem visis deposicionibus dictorum testium, et auditis, super hoc, dictarum parcium racionibus, dictus major, per suum judicium, predictum Richardum a peticione predicta dicti Huchonis totaliter absolvit; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dictus Huchon ad prepositum Parisiensem appellavit; partibus vero predictis coram dicto preposito comparentibus, in dicta appellacionis causa, auditisque earum racionibus, et viso processu predicto, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit bene fuisse judicatum, per dictum majorem, et dictum Huchonem male appellasse; a quo quidem judicato dicti prepositi, tamquam falso et pravo, dictus Huchon ad parlamentum, Parisius, appellavit: Dictis vero partibus, in causa appellacionis predicte, in curia nostra, comparentibus, et auditis racionibus earumdem, visisque processu et judicato predictis, per judicium nostre curie, fuit dictum prefatum prepositum male judicasse, et dictum Huchonem bene appellasse, et quod dictum judicatum non mandabitur execucioni, et quod remanebit in curia nostra dicte cause cognicio, in ilo statu resumenda in quo ipsa erat, tempore lati primo judicati majoris predicti.

PHILIPPE V. 1318.

Vicesima octava die marcii.

PHILIPPE V, 1318. Robertus de Magna-Villa [reportavit].

XXXIII. Lite mota, coram ballivo Sancte-Gemme prope Parisius, pro dilecto et fideli nostro Ademaro de Valencia, milite, inter Symonem Auberti, ex una parte, et Petrum de Fontenis, ex altera, super eo quod dictus Symon petebat dictum Petrum compelli ad solvendum sibi quasdam pecunie quantitates, in quibus dictus Petrus erat eidem Symoni obligatus, ut ipse dicebat, prout contineri dicebat in quibusdam gagiamentis, super hoc confectis, necnon et quod execucio fieret in bonis dicti Petri, racione dictorum gagiamentorum, usque ad summam pecunie, in litteris dictorum gagiamentorum expressate, dicto Petro in contrarium proponente, ad finem execucionis hujusmodi impediende, quod quatuor anni erant elapsi quod idem Petrus eidem Symoni vendiderat, precio viginti librarum Parisiensium, decem modios bladi solvendos per annos, videlicet, quolibet anno, unum modium, que vendicio valere non poterat nec debebat, ut ipse dicebat, cum non debeat vendi bladum colligendum ante festum nativitatis sancti Johannis-Baptiste. Item, quod ipse Petrus lesus erat et deceptus enormiter in contractu vendicionis hujusmodi cum, secundum estimacionem, secundum quam ipse vendidit dictum bladum, non valet sextarium nisi quadraginta denarios, et cum, a tempore dicte vendicionis, communiter valuerat decem et octo solidos. Item, quod ipse Petrus ad vendicionem bladi hujusmodi faciendam inductus fuerat, propter maliciam temporis et propter nimiam ejus paupertatem; quare dicebat quod execucio, petita per dictum Symonem, fieri non debebat, immo cum ipse, ut dicebat, paratus esset probare que sibi sufficerent de premissis, et solvisset jam, de dicto debito, viginti libras dicto Symoni, ut ipse dicebat, petebat dicta gagiamenta sibi reddi et pronunciari contractum vendicionis hujusmodi non valere; dictus vero Symon plures raciones e contrario proposuit, replicando, ad finem quod dictus Petrus ad premissa, per eum proposita, non debebat audiri; tandem dictus ballivus, auditis hinc inde propositis, per suum judicium, pronunciavit quod dicta

execucio fieret de gagiamentis predictis, non obstantibus racionibus dicti Petri; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Petrus ad prepositum Parisiensem appellavit; qui quidem prepositus, auditis dictis partibus, in causa appellacionis predicte, pronunciavit, per suum judicium, dictum ballivum bene judicasse et predictum Petrum male appellasse; a quo judicato predicti prepositi, tanquam a falso et pravo, dictus Petrus iterato ad nostram curiam appellavit: Auditis itaque dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque diligenter processibus et judicatis predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Petrum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit; salvavit tamen dicto Petro curia nostra jus agendi, super decepcione dicti precii, si ipse super hoc agere voluerit, coram judice competenti.

Vicesima octava die marcii.

Philippe V, 1318.

XXXIV. Lite mota, coram ballivo Lingonensis episcopi, inter dictum Nivot de Gie et Sebillam, ejus uxorem, filiam defuncti magistri Gaufridi, ymaginarii de Muxe, ex una parte, et Gaufridum, ymaginarium, nepotem dicti defuncti, ex altera, super eo quod dicti Nivot et Sebilla, ejus uxor, proponebant, contra dictum Gaufridum, nepotem, quod, cum dictus defunctus pater dicte Sebille et Petronilla, ejus uxor, et commater dicte Sebille, tenuissent, possedissent et habuissent, pleno jure, quamdam domum, cum pertinenciis suis, sitam in villa de Muxe, juxta magnam domum dicti magistri Gaufridi, ex una parte, et domum Hueti, filii dicti Furnillot, de Muxe, ex altera, cum orto et appendiciis dicte domus, dictaque Sebilla esset filia naturalis et legitima ac heres dictorum parentum suorum insolidum, ut ipsi dicebant, dictique parentes, tempore mortis eorum, domum predictam cum ejus orto et appendiciis, possedissent, et ipsa acquisivissent, durante matrimonio inter ipsos, per quod evidenter apparebat dominium domus et orti ac pertinenciarum predictorum, jure hereditario, ut ipsi dicebant, ad dictam Sebillam insolidum pertinere, videlicet medietatem, ex successione dicti patris, et alteram

PHILIPPE V, 1318.

medietatem, ex successione matris predicte; verum quia dictus Gaufridus, nepos, predictam domum, cum prefatis pertinenciis, detinebat injuste, ut ipsi dicebant, et sine causa, impediendo dictam Sebillam quominus ipsa res predictas haberet, et proprietatis jure pacifice possideret, quare petebant dicti Nivot et Sebilla declarari jus dominii predictorum ad eos pertinere, causis et racionibus supradictis, et dictum Gaufridum, nepotem, condempnari et compelli ad dimittendum eis res predictas, et quod ipse impedimenta aliqua, super dictis rebus, eis non apponeret in futurum, et quod domus predicta, cum predictis ejus pertinenciis, redderetur et restitueretur eisdem; prefatus vero Gaufridus, nepos, proposuit, ex adverso, quod prefatus magister Gaufridus, avunculus suus, paterque dicte Sebille, inter alia que ipse, in suo testamento, ordinaverat, legavit eidem Gaufrido, nepoti suo, domum suam, de qua habetur mencio in premissis; item, quod testamentum prefati defuncti, in quo erat legatum predictum, approbaverunt, juramento interposito, Nivot et Sebilla predicti, et multas alias raciones, super hoc, proposuit dictus Gaufridus, nepos; lite igitur contestata, super hiis, inter partes predictas, pluribusque aliis racionibus in scriptis propositis, et litteris, in modum probacionis, exhibitis hinc et inde, concluso in causa, die certa, ad audiendum jus, super hoc, dictis partibus assignata, predictis partibus presentibus, dictus ballivus, per suum judicium, ab impeticione predicta dictorum Nivot et Sebille, absolvit dictum Gaufridum, nepotem, eisdem actoribus, super dictis petitis, silencium perpetuum imponendo; a quo judicato tamquam falso et pravo dicti Nivot et Sebilla ad parlamentum, Parisius, appellarunt: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, ac dicti defuncti testamento, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum ballivum bene judicasse et dictos Nivot et Sebillam male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Vicesima octava die marcii.

M. B. Bonifacii reportavit.

XXXV. Mota lite, in curia nostra, in causa appellacionis, inter Jaquetum Havet, ex una parte, et Robertum Danglos, ex altera, a curia senescalli nostri de Insula, ut dicebatur, interjecte, super eo quod dictus Jaquetus dicebat quod predictus Robertus fecerat eum arrestari, in curia de Waurim, et ab eo petiverat, fidejussorio nomine, quadringentas libras Parisienses, occasione uxoris sue, quas promiserat Robertus de Vimi, miles, defuncte uxori sue secunde, pro maritagio suo, cujus quidem defuncte uxor dicti Roberti Danglos erat neptis et heres, ut dicebat idem Robertus Danglos, proposueratque idem Jaquetus, ad sui defensionem, ut dicebat, quod alias dictus Robertus Danglos fecerat eidem Jaqueto similem peticionem de dictis quadringentis libris, et quod a dicta peticione fuerat idem Jaquetus, per competentem judicem, absolutus, et quod dictus miles tradiderat uxori sue nunc defuncte, tempore quo ipsa vivebat, triginta quinque libratas terre sue, in solutum, pro predictis quadringentis libris, de quibus ipsa se tenuit pro pagata, quare pecierat, ut dicebat, se absolvi a dicta peticione, et quod, non obstantibus predictis, idem Jaquetus, per dictam curiam de Vaurim fuerat condempnatus in dictis quadringentis libris, et, licet ipse a dicta condempnacione non appellasset, dicebat tamen se quasdam litteras a carissimo genitore nostro impetrasse, in quibus mandabatur dicto senescallo et aliis justiciariis regni nostri, ut ipse dicebat, quod ipsi inquirerent veritatem de dictis solucione et absolucione, et si ipsi ita invenirent, dictam condempnacionem factam per curiam de Waurim facerent in suspenso teneri, et, quamvis genitoris nostri litteras predictas ipse non exhibuisset, coram predicto senescallo, tamen ipse obtulit se probaturum, coram dicto senescallo, quod predicte littere dicti genitoris nostri omnia supradicta continebant, ad quod probandum ipse fuit, per dictum senescallum, admissus, ut ipse dicebat; testibus igitur, super predictis, productis, et eorum attestacionibus publicatis, coram dicto senescallo, dictus senescallus predictam sentenciam condempnatoriam latam in curia de Waurim, per suum judicium, confirmavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Jaquetus ad parlamentum, Parisius, appellavit, ut ipse

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

dicebat, proposuitque dictus Jaquetus plures raciones alias, in curia nostra, ad finem quod dicta judicata execucioni minime demandarentur, dicto Roberto Danglos plures raciones alias ex adverso proponente, ad finem quod dicta execucio fieret contra dictum Jaquetum, prout hec et plura alia, in articulis dictarum parcium, plenius continentur, super quibus commisimus certis commissariis ut ipsi, super predictis, diligenter inquirerent veritatem et inquestam, quam inde facerent, nostre remitterent curie judicandam : Facta igitur, super predictis, inquesta et ad nostram curiam, vocatis et auditis dictis partibus, reportata, visaque per eamdem et diligenter examinata, quia, per eam, curie nostre constitit dictum Jaquetum intencionem suam minime, super hiis, probavisse, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos curiam de Waurim et senescallum bene judicasse et dictum Jaquetum male appellasse, et quod hoc emendabit dictus appellans.

Vigesima octava die marcii.

M. P. Droconis reportavit.

XXXVI. Questione suborta, coram majore Morinensi Parisiensi, inter procuratorem abbatis et conventus monasterii Caroli-Loci, ex una parte, et Johannem Balencerium ac Esmelinam, ejus uxorem, ex altera, super eo quod dictus procurator, nomine dicti monasterii, proponebat dictos religiosos esse et predecessores suos fuisse in possessione pacifica, tempore sufficienti, percipiendi octo libras annui census, super domum dictorum conjugum, de qua ostensio facta fuit, et quod, propter hoc quod dicta domus erat et fuerat vacua, per longum tempus, ita quod dicti religiosi, pro dictis octo libris, in ea non poterant gagiare, fecerunt conveniri, coram dicto majore, Radulphum de Sancto-Quintino qui habebat centum solidos annui supercensus in dicta domo, post dictas octo libras dictis religiosis debitas, ut ipse dicebat, et in tantum contra dictum Radulphum litigaverunt quod dicti centum solidi fuerunt adjudicati eisdem, quodque, tam de dictis octo libris quam de centum solidis supradictis, dictis religiosis decem et septem libre, cum decem solidis, pro arre-

ragiis debebantur, asserens dictus procurator dictos conjuges esse proprietarios dicte domus et quod, de consuetudine notoria Parisius, proprietarius rei litigiose, vel ille qui habet in dicta re aliquod jus posterius post illum qui habet primum censum, tenetur rem litigiosam munire illi qui habet primum censum, vel jus quod habet in re litigiosa quittare eidem, quare petebat dictus procurator, nomine quo supra, dictos conjuges condempnari et compelli ad muniendum dictam domum taliter quod ipse posset, nomine dictorum religiosorum, in dicta domo gagiare, pro redditibus et arreragiis supradictis, sive quod tale jus quod ipsi habent vel possunt habere in dicta domo, adjudicaretur dictis religiosis pertinere, offerens dictus procurator, non ine quo supra, se, de factis suis, quod sibi sufficeret probaturum, dictis conjugibus proponentibus ex adverso se esse et predecessores suos fuisse in bona saisina, per tempus competens, tenendi et possidendi dictam domum pacifice et libere, ad quatuor libras census sive supercensus annui solummodo, de quibus sexaginta solidi consueverunt solvi dictis religiosis et viginti solidi domui Sancti-Lazari, Parisius, absque omni alio onere redditus cujuscumque, et plures raciones, juris et facti, proponebant, per quas ipsi petebant se conservari et teneri in dicta saisina, et se ab impeticione predicta dicti procuratoris absolvi, offerentes etiam se, de factis suis quod sibi sufficeret, probaturos, facta partis adverse, litem contestando, negantes; jurato igitur a partibus, in dicta causa, testibus productis hinc et inde, juratis et examinatis, auditis racionibus dictarum parcium, et viso diligenter processu predicto, dictus major Morinensis, per suum judicium, pronunciavit dictos religiosos bene et sufficienter suam intencionem, quantum ad dictas octo libras census, quas ipsi petebant, super dictam domum, probavisse, et dictos conjuges minus sufficienter probavisse suam intencionem, propter quod ipse dictos conjuges condempnavit, per suum judicium, ad muniendum dictam domum et ad tenendum munitam in tali statu quod dicti religiosi possint ibi reperire ad gagiandum, pro suo censu qui sibi debetur, pro tempore presenti et futuro et pro

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

arreragiis sibi debitis, pro tempore preterito, propter hoc quod ipsi confessi fuerunt se esse proprietarios dicte domus, videlicet infra Ascensionem Domini proximo venturam, et cum hoc, pro tali jure, quod dicti religiosi dicunt se acquisivisse contra Radulphum de Sancto-Quintino, per unum judicatum datum a dicto majore, pro dictis religiosis, contra dictum Radulphum, super tali jure quod dictus Radulphus poterat habere, super dictam domum, et si hoc non fecerint dicti conjuges, infra dictum tempus, dictus major ex tunc, per idem judicium, adjudicavit, dictis religiosis, omne jus quod dicti conjuges habent vel habere possunt in dicta domo; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicti conjuges ad prepositum Parisiensem appellarunt; qui quidem prepositus, auditis, super hoc, racionibus dictarum parcium, et viso processu predicto, per suum judicium, pronunciavit dictum majorem Morinensem bene judicasse et dictos conjuges male appellasse; a quo quidem judicato dicti prepositi, tamquam falso et pravo, ad nostram curiam iterato, per dictos conjuges, extitit appellatum: Partibus vero predictis, in nostra curia, propter hoc, comparentibus, auditisque eorum racionibus, in causa appellacionis predicte, et visis diligenter processibus et judicatis predictis, per judicium curie nostre, dictum fuit et pronunciatum predictum prepositum, quantum ad centum solidos quos dicti religiosi dicunt se acquisivisse a dicto Radulpho de Sancto-Quintino, male judicasse et dictos conjuges, quantum ad hoc, bene appellasse; in ceteris autem, per idem judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos conjuges male appellasse.

Vigesima octava die marcii.

Robertus de Magna-Villa reportavit.

XXXVII. Conquerente, coram nobis, dilecto et fideli nostro Remensi archiepiscopo, super eo quod cum Hugo de Cameraco, civis Remensis, in domo sua de Vado-in-Jardo, juxta Remis, quamdam turrim construere cepisset, et, ex parte ipsius archiepiscopi, sibi novum opus nunciatum fuisset, et postmodum, decano et capitulo

Remensibus dicentibus dictum opus in eorum justicia fieri posse, positum fuisset opus predictum, in eo statu in quo erat, in manu nostra, tamquam superiori, et preceptum, per gardiatorem ipsius archiepiscopi, decano et capitulo et Hugoni predictis quod ipsi in opere hujusmodi non procederent ulterius, donec, super hoc, discussum foret, per nostram curiam, id quod justicia suaderet, nichilominus predicti decanus et capitulum et Hugo, spretis nunciacione novi operis et precepto, nostreque manus apposicione predictis, ad ipsius consummacionem operis processerunt, quapropter ballivo Viromandensi, per nostras litteras, mandavimus ut ipse, vocatis evocandis, super premissis inquireret veritatem, et eam curie nostre, infra certam diem, rescriberet, ut, per eamdem, quod justum foret, super predictis, ordinaretur; verum, partibus predictis, virtute mandati nostri predicti, vocatis, coram dicto ballivo, et comparentibus, ex parte dictorum decani et capituli et Hugonis, tam contra adjornamentum quam contra litteras predictas, quam eciam contra inquestam, per eumdem, super predictis, faciendam, pluribus excepcionibus propositis, super quibus jus sibi, per eumdem, fieri et reddi ante omnia petebant, idem ballivus qui, ex forma mandati nostri predicti, jus reddere non poterat, testes, ex parte dicti archiepiscopi, super hoc, productos, parte adversa nullos producente, recepit et examinavit, et inquestam, per eumdem factam, curie predicte remisit: Que, presentibus dictis partibus et auditis, recepta extitit per eamdem, et visis tandem, in curia nostra, contentis in inquesta predicta, per judicium ejusdem, dictum fuit quod, non obstantibus propositis coram dicto ballivo, inquesta predicta, per eum facta, tenebit et valebit, super duabus tamen de racionibus seu excepcionibus, ex parte dictorum decani et capituli et Hugonis, propositis, quarum tenores, sub signo nostro includentur, testes eorum recipientur et examinabuntur, si ipsi aliquos, super eis, producere voluerint, et quod, tam super predictis quam eciam super deposicionibus testium, usque ad debitum tamen numerum, producendorum, ex parte dicti archiepiscopi, si voluerit, super facto, in dictis nostris

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V. 1318.

litteris contento, commissio fiet certo commissario qui, vocatis partibus, veritatem, super predictis, inquiret, et eciam reprobaciones a dictis partibus, contra testes hinc inde productos, coram eo proponendas, audiet, et quas viderit, secundum stillum curie nostri parlamenti, Parisius, recipiendas admittet, et super eis veritatem inquiret, et inquestam hujusmodi perfectam, ad diem ballivie Viromandensis futuri proximo parlamenti, remittet curie nostre judicandam (36).

Vigesima octava die marcii.

M. B. de Albia reportavit.

Tradita fuit inquesta, ad perficiendum, magistro B. de Albia.

XXXVIII. Inter episcopum Cenomanensem, ex parte una, et Guillelmum Chamallart, militem, ex altera, questione suborta, super eo quod ipse miles proponebat, contra dictum episcopum, quod, cum ipse esset et predecessores sui fuissent, a tanto tempore a quo non extat memoria, jure suo et tamquam de propria hereditate sua, in saisina pacifica habendi, accipiendi, retinendi et applicandi sibi, faciendique suas omnes mapas, super quibus comeditur, in die festivitatis cujuscumque episcopi Cenomanensis, quando ipse noviter, in ecclesia sua, recipitur, in quocumque loco seu domo quacumque dicta comestio fiat, diceretque dictus miles, per episcopum qui nunc est et gentes suas, ipso ratum habente, se turbatum et impeditum esse, indebite et injuste et de novo, quominus ipse haberet, acciperet, retineret et applicaret sibi predictas mapas, quare petebat predictus miles se teneri et tueri in saisina sua predicta percipiendi pacifice mapas supradictas, et impedimentum, per predictum episcopum et gentes suas in predictis appositum, penitus amoveri, ita quod ipse posset gaudere pacifice saisina sua predicta, dicto episcopo e contrario proponente et dicente, ad finem quod ipse absolveretur ab impeticione predicta dicti militis, se esse et predecessores suos fuisse, a tempore a quo non est memoria, in saisina faciendi festum suum ubicumque ei placet, ac in saisina retinendi, penes se, omnes mapas super quibus comeditur, die supradicta, post factam et completam

comestionem predictam: Tandem, super premissis factis et traditis nostre curie hinc inde articulis, datisque commissariis, ad inquirendum, super premissis, vocatis partibus, veritatem, inquesta igitur super his facta et completa et nostre curie, ad judicandum, auditis partibus, reportata, visaque ac diligenter examinata, cum, per dictam inquestam, repertum fuerit predictum militem melius probasse, super hoc, intencionem suam, quam dictum episcopum, per curie nostre judicium, dictus episcopus fuit, in predictis, contra ipsum, per dictum militem petitis, condemnatus eidem. PHILIPPE V, 1318.

Vigesima octava die marcii.

M. J. de Noancourt reportavit.

XXXIX. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter dictum Constain, clauterium, ex una parte, et Theobaldum dictum lou Grant, clauterium, ex alia, super hoc quod dictus Constain dicebat et sustinebat, in judicio, contra dictum Theobaldum, quod ipse, animo sibi injuriandi, nisus fuerat pluries subtrahere sibi uxorem suam, et pluries, animo deliberato, pulsaverat et projecerat lapides ad hostium et fenestras domus dicti Constain, et quod fecerat posse suum de frangendo hostium dicte domus et de intrando ipsam domum, de die et de nocte, violenter, et quod, in pleno vico et loco publico, ceperat, animo irato, uxorem ipsius Constain, per corpus et vestes, et quod eam verberaverat, et quod fecerat posse suum de rapiendo ipsam et de ducendo ipsam secum, ut dicebat, et quod dictus Theobaldus ipsum invaserat et traxerat custellum super eum, in pleno vico, et quod vocaverat ipsum furem probatum, et ei dixerat quod diu erat quod debuisset esse suspensus, quia furatus fuerat clavos apud Indictum, prout dictus Constain dicebat, quas injurias dictus Constain ad animum revocavit et adhuc revocabat, dicens quod ipse noluisset eas sustinuisse pro centum libris Parisiensibus, immo tantum et plus maluisset de suo proprio amisisse; quare petebat dictas injurias sibi emendari et dictum Theobaldum, per judicium dicti prepositi, sibi condempnari in dictis centum libris, pro dictis injuriis, taxacione le-

PHILIPPE V, 1318.

gittima ipsius prepositi precedente, et ipsum compelli ad reddendum et solvendum sibi dictas centum libras, offerens se probaturum, de premissis, quod sibi sufficeret ad intencionem suam probandam; lite vero, super premissis, legittime contestata, testibus productis, juratis, examinatis et eorum attestacionibus publicatis, auditis omnibus que dicte partes proponere voluerunt, dictus prepositus, per suum judicium, condempnavit dictum Theobaldum ad reddendum et solvendum dicto Constain, pro dictis injuriis, triginta libras Parisienses, et sibi, pro domino Rege, viginti libras Parisienses, et quod dictus Theobaldus iret, pleno die, ante domum dicti Constain, in pura camisia, sine capucio, tenendo quasdam virgas in manu, et quod diceret quod ipse mentitus erat de omnibus que ipse dixerat contra dictum Constain et ejus uxorem, et quod postea iret, in illo statu, ad beatam Mariam de Pontisara; a quo judicato, tamquam a nullo, vel, si esset aliquod, tamquam a falso et pravo, dictus Theobaldus ad nostram curiam appellavit; partibus vero predictis comparentibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, ex parte dicti Theobaldi fuit, inter cetera, propositum quod, cum ipse proposuisset, coram commissariis, ad examinacionem testium super hoc productorum, deputatis, reprobaciones sufficientes contra quosdam testes, pro parte adversa, productos, et se eas probaturum obtulisset, tamen dicti commissarii eas inter acta dicte cause redigere noluerunt, et quod ipse per dictum prepositum non fuerat admissus ad eas probandas, licet ipse peciisset, cum instancia, ad hoc se admitti; proposuit eciam quod dies non fuerat sibi assignata ad sentenciam super hoc audiendam; asserens eciam quod dictus prepositus bona sua arrestaverat sine causa et manum regiam in eisdem apposuerat, quam petebat ante omnia amoveri; proponebat eciam quod, cum, pro dictis injuriis, petita fuisset dumtaxat emenda pecuniaria, tamen judex ipsum condempnaverat ad penam corporalem et ad aliud quam petitum fuisset in libello, quare petebat, per nos, pronunciari dictum judicatum nullum esse et fuisse, vel, si esset aliquod, retractari debere, cum juris ordo non fuisset in eo observatus, ut ipse dicebat, et eciam pronunciari se bene, super

hoc, appellasse, parte adversa in contrarium proponente pronunciari debere, non obstantibus propositis ex parte dicti Theobaldi, dictum prepositum bene judicasse et dictum Theobaldum male appellasse: Auditis igitur omnibus que dicte partes proponere voluerunt, coram nobis, visisque et examinatis diligenter processibus et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum judicatum dicti prepositi, in eo quod ipse condempnavit dictum Theobaldum ad penam corporalem, nullum fuisse et esse, cum ad hoc actum non fuisset, et quia curia nostra non invenit, in dicta causa, juris esse ordinem observatum, nec eciam in ipsa conclusum fuisse, idcirco dictum judicatum fuit, per idem judicium, in aliis retractatum, et, per idem judicium, dictum fuit quod, de dicta causa, iterum cognoscetur, per commissarios, a nostra curia deputandos, et quod processus dicte cause, in statu in quo erat ante tempus dicti judicati, resumetur, dictum vero Theobaldum bene, super hoc, appellasse.

Philippe V, 1318.

Vigesima octava die marcii.

M. P. de Agia reportavit.

XL. Cum procurator prioris prioratus Amiliani conquestus fuisset, inclite recordacionis karissimo domino et genitori nostro, dum ipse Vienne esset, quod Deodatus Ruphi, Bernardus Caboti, tunc bajuli Amiliani, Hugo Franca, Remondus de Sancto-Floro, servientes regii, et quamplures alii, positi in garnisione in dicto prioratu, de mandato senescalli et judicis majoris Ruthenensium, ut dicebatur, indebite et injuste, vacas, boves arantes et duas sarcinas frumenti et alias duas vini de claustro dicti prioratus, per violenciam, extraxerunt et duas furnatas panis, et quemdam monachum, sacerdotalibus indumentis indutum, juxta altare beate Marie, verberaverunt, et portas sacrarii et clocherii, cum malleis ferreis, fregerunt, et, per vim et violenciam, dictum sacrarium intraverunt, non obstantibus appellacionibus ad dictum genitorem nostrum interjectis, et exinde sanctas reliquias, lignum Sancte-Crucis, calices, libros et alia ornamenta dicte ecclesie ceperunt et secum portaverunt et adhuc predicta detinent, ut dicebat

PHILIPPE V, 1318.

idem procurator, juvantibus et operam dantibus et presentibus in istis Stephano Ratherii, Guillelmo Aerra, Stephano de Salesio, Guillelmo Calveti, Bertrando Calveti, Bertrando Celavin, Bernardo Cabaterii, Berangario de Spineto, Bertrando de Ruppe-Cesara, Bernardo Portas-Novas, Remondo Petri, Bernardo Boderii, Bernardo Pellicerii et Durando Benestruc, burgensibus dicti loci, Petro de Ranto, Petro Cremati et Bernardo Olerii, avocatis, Guillelmo Jacobi, Remondo Garnerii, notariis, et pluribus aliis hominibus dicte ville, necnon quod, ad mandatum predictorum, Hugo Riperie, Berangarius Sexsterol, cum pluribus aliis, fratrem Guillelmum, monachum, in cimiterio dicte ecclesie existentem, letaliter vulneraverunt et in prisionem duxerunt, et alia crimina diversa, sacrilegia et excessus enormes tam in dicta ecclesia quam personis et rebus prioratus predicti et ejus familie commiserunt, quare supplicavit idem procurator, per dictum dominum genitorem nostrum, mandari et committi alicui probo viro quatinus, super predictis et aliis articulis, per predictos, contra dictum priorem ejusque conventum, res et bona sua, commissis, inquireret diligenter veritatem, et inquestam hujusmodi remitteret, Parisius, judicandam, una cum personis illorum qui, de premissis culpabiles reperirentur, puniendos secundum sua demerita, protestato, per dictum procuratorem quod non tendebat ad penam sanguinis, sed ad consequendam emendam condignam, super quibus et ea tangentibus, dictus dominus genitor noster mandavit senescallo Belli-Cadri, quatinus, vocatis evocandis, per se vel per alium seu alios idoneos, super hiis, inquireret seu inquiri faceret veritatem, et inquestam quam inde faceret, Parisius, remitteret judicandam : Predicta igitur inquesta facta et curie nostre, ad judicandum, reportata, dictis partibus ad hoc vocatis, auditis igitur, super hoc, dictis partibus, et inquesta predicta visa, per dictam curiam nostram diligenter, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus Deodatus Ruphi et Hugo Franca restituent dicto priori sex boves vel tresdecim libras Turonenses, pro precio dictorum boum ; item dictus Deodatus duo sexteria bladi, secundum estimacionem temporis dicte capcionis,

et dictus Hugo et Durantus Benien triginta sex panes vel decem et octo solidos, pro extimacione dictorum panum, et dictus Hugo unum gardecorsium et unum cacabum, fuitque dictum, per idem judicium, quod dicti Hugo et Remundus de Sancto-Floro, propter excessus et verberaciones quas fecerunt, in dicta ecclesia et cimiterio, in personam fratris Guillelmi de Roma, monachi, perpetuo privabuntur et privati fuerunt officio nostro, et facient, in dicta ecclesia, quatuor processiones in camisiis, nudi pedes, sine capuciis, videlicet in instanti vigilia Ascensionis Domini, hora consueta, et in sequenti die festi Ascensionis, aliam, et sequenti festo, aliam, et in nativitate beati Johannis-Baptiste, aliam, in eodem statu et habitu, et tenebuntur, per bajulum nostrum, in prisione nostra de Amiliano, per annum, ad panem et aquam. Item Berangarius Sosteroul, Hugo Riperie, propter verberacionem predictam, factam in dicto cimiterio, perpetuo similiter privabuntur et privati fuerunt officio nostro, et facient dictas processiones, cum dictis Hugone et Remondo, alii vero curiales seu officiales nostri, visis et attentis meritis dicte inqueste, per idem judicium, ab impositis, super hoc, eisdem, fuerunt absoluti, contra alias autem personas privatas, in dictis articulis nominatas, cum testes examinati in dicta inquesta, in eorum presencia non juraverint, per idem judicium, dictum fuit dictam inquestam non posse aliquatenus judicari, contra ipsos.

Vicesima octava die martii.

M. P. Droconis reportavit.

Philippe V, 1318.

XLI. Lite mota, coram ballivo Aurelianensi, inter dictum Coliau et Johannam, ejus uxorem, ex parte una, et Othelinum Mauclerc, ex altera, super eo quod dicti conjuges contra dictum Othelinum petebant pronunciari se esse et remanere debere in saisina medietatis omnium terrarum appendencium domui de Naploi, sitarum versus loca dicta Boulois et Lonatiere, pratorumque in illa parte existencium et domorum de Danan ac stangni cujusdam, necnon et quarte partis hospitum et reddituum de eisdem proveniencium, et tercie

PHILIPPE V, 1318.

partis nemoris de Naploy: petebant eciam impedimentum, per dictum Othelinum, in premissis appositum, amoveri, ac, sine sue saisine hujusmodi prejudicio, declarari, jus proprietatis ad dictam Johannam, pro porcione sua, in premissis pertinere, et dictum Othelinum ibi jus non habere; plures raciones, ad finem contentum in suis, super hoc, datis articulis, proponendo; dicto vero Othelino asserente in contrarium predicta omnia ad se, quoad saisinam et proprietatem, pertinere potissime ex dono regio sibi facto de bonis predictis, que ad ipsum Regem devenerant, ut incursa, per Jahannetum de Naploy, filium et heredem principalem defuncti Petri de Naploi, cujus fuerant dicta bona, petendo eciam pronunciari dictos conjuges jus in dictis petitis per eos non habere, nec se posse conqueri, aut se turbatos vel impeditos dicere, super predictis, plures raciones, ad finem contentum in suis articulis, datis super hoc, pretendendo; tandem, dictis partibus, super hoc, auditis, et visis dictis articulis et responsionibus ad eosdem, necnon et attestacionibus testium, super hiis, productorum hinc inde; pronunciavit idem ballivus, per suum judicium, saisinam et proprietatem domus de Naploi, universorumque eidem domui appendencium, citra viam per quam itur de Boistamino ad Suriacum ad antiquam tailliam existentem, necnon et cujusdam pecie terre, ultra viam, juxta dictum nemus site, vocate Lonatiere, que quondam defuncti Petri de Naploi fuerant, pertinere ad Othelinum eumdem, solvendo, ex parte dicti Othelini, ex tunc in posterum dicto Coliau et Johanne, ejus uxori, ac sorori ejusdem Johanne, viginti duos solidos Parisienses annuatim; pronuncians eciam, per idem judicium, dictus ballivus stangnum vocatum de Giraudum et res ceteras dicti quondam defuncti pertinere ad conjuges et sororem predictos; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicti conjuges, in quantum contra se faciebat, ad nostram curiam appellarunt: Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per eamdem nostram curiam diligenter, quia non est repertum, per dictam inquestam, probatum esse aliquid sufficiens, super hoc, pro dicto Othelino, per ejusdem curie nostre

judicium, dictum fuit eumdem ballivum male judicasse et dictos conjuges bene appellasse, necnon et dictum impedimentum, super hoc, per dictum Othelinum appositum, debere totaliter amoveri, salva tamen questione proprietatis illi cui, in premissis, competit de jure. PHILIPPE V. 1318.

Vigesima octava die marcii.

P. Y. Prepositi [reportavit].

XLII. Dudum magister Guillelmus de Dumis, canonicus Bituricensis, tunc domini quondam genitoris nostri clericus, et pro eodem, ut idem Guillelmus dicebat, in ballivia Arvernie, ad corrigendum subditorum dicte ballivie excessus deputatus, Durando de Tierno, tunc cancellario Nonete, et Bonito Girardi, clericis, mandavit et commisit quatenus, super quibusdam articulis, in litteris ejusdem Guillelmi, dictis Durando et Bonito directis, annexis, continentibus graves excessus et injurias commissos, ut dicebatur, per quosdam homines Sancti-Porciani, ibidem nominatos, et eciam per totam communitatem dicte ville, in dampnum et prejudicium prioris loci predicti, monachorum et servientum suorum et juridicionis regie contemptum, inquirerent, vocatis evocandis, veritatem et inquestam, super hoc, factam et completam, eidem remitterent, sub suis sigillis fideliter inclusam, cujus mandati virtute, prefati Durandus et Bonitus, eo non obstante quod, ex parte quorumdam hominum dicti loci, coram eisdem comparencium, proponeretur se, coram eisdem, procedere non teneri, pro eo quod dictus Guillelmus connitens de predictis cognoscere vel, super hoc, alicui commissionem facere, non poterat, et, ex eo quod ipsi non ostendebant eisdem commissionem, per dictum genitorem nostrum predictum dicto Guillelmo factam, eosdem et quosdam alios ac dictam communitatem contumaces finaliter reputantes, ad examinacionem testium, super predictis articulis processerunt; verum, cum modernus Arvernie ballivus, virtute processus et inqueste, super predictis, factorum, per dictos Durandum et Bonitum, quosdam singulares homines dicti loci in mille libris, et totam communitatem dicte ville in aliis mille libris Turonensibus,

PHILIPPE V, 1318.

nobis dandis, condempnasset, ex parte hominum et communitatis predictorum, extitit ad nostram curiam appellatum : Auditis igitur, in curia nostra, super hoc, appellantibus et ballivo predictis, receptisque processibus et inquesta memoratis, et contentis in eisdem, cum diligencia, visis, per ejusdem curie nostre judicium, predicti processus et inquesta et condempnacio fuerunt nulli pronunciati, ac, per idem judicium, dictum fuit quod, super predictis articulis, nova fiet commissio aliquibus discretis personis que, vocatis partibus, super contentis in eisdem, vocatis evocandis, inquirent veritatem, et inquestam, super hoc, completam ad proximum parlamentum remittent et certam diem dictis partibus assignabunt, ad videndum inquestam judicari predictam.

Vicesima octava die marcii.

M. B. de Albia reportavit.

Tradita fuit M. Guillelmo de Arvernia, ad perficiendum.

XLIII. In causa inquisicionis, coram Petro Maurelli, judice majore Lugdunensi, tenente locum senescalli Lugdunensis et Matisconensis, ad denunciacionem Guicharde, relicte Johannis Arrici, quondam domicelli, dictam inquisicionem prosequentis, contra Johannem de Sancto-Symphoriano, militem, lite mota, super eo quod dicta Guicharda, coram dicto locum tenente, contra dictum militem, proponebat quod ipsa erat in speciali gardia domini nostri Regis, cum omnibus rebus et hominibus suis, eciam eo tempore quo dictus miles, Stephanum Faiel, hominem justiciabilem dicte Guicharde, levantem et cubantem in territorio suo, ceperat et imprisionaverat, in castro de Chamosseto, sine causa racionabili, eumque, sub fidejussoribus et sub certa pena promissa, de dicta prisione, usque ad certam diem, liberaverat ita quod, nisi dicta die adveniente, ad dictam prisionem dictus Stephanus remearet, contra dictum Stephanum et ejus fidejussores committeretur dicta pena; quo facto dicta Guicharda dicto locum tenenti supplicavit quatenus dicto militi faceret, ex parte domini Regis, inhiberi ne dictum Stephanum cogeret ad dictam prisionem iterum

remeare, nec ipsum vel ejus fidejussores, propter dictam penam promissam, in aliquo molestaret, et quod, si ipse haberet aliquam causam justam, propter quam deberet dictum Stephanum in sua prisione detinere, quod ipse compareret, certa die, coram dicto locum tenente, dictam causam ostensurus, et, audita dicta Guicharda, sibi fieret justicie complementum, quibus inhibicione et citacione dicto militi factis, modo quo supra, ex parte locum tenentis supradicti, dictus miles, pendente dicta dilacione, cepit dictum Stephanum et imprisionavit, bonaque ipsius et fidejussorum suorum capi ac eciam vendi fecit, in contemptum domini nostri Regis, non servando inhibiciones et mandata sibi facta, super hoc, ex parte locum tenentis supradicti; dictaque die assignata dictis partibus, ut premissum est, coram dicto locum tenente, cum dictus miles nullam causam allegaret, propter quam ipse deberet, in prisione sua, detinere dictum Stephanum bonaque sua et fidejussorum suorum capta retinere, dictus locum tenens, per suam interlocutoriam, dixit dictum Stephanum de dicta prisione fore liberandum, ac bona supradicta liberanda; de quibus faciendis et execucioni mandandis ipse dedit mandatum castellano domini Regis de dicto Simphoriano, qui castellanus pluries dictum militem amonuit, et, ex parte domini Regis, sibi precepit ut, sub omni pena quam ipse posset incurrere, erga dominum nostrum Regem, faceret supradicta sibi injuncta indilate, qui miles, predictis contumaciter noluit obedire, cumque postea pluries fuisset amonitus, per plures servientes dicti locum tenentis et sub diversis penis domino nostro Regi applicandis, nisi faceret supradicta, et quod compareret coram dicto locum tenente, pluribus diebus sibi assignatis, pro emendando contumacias et inobediencias supradictas; in quibus omnibus dictus miles extitit contumax et inobediens; sed mala malis accumulando, veniendo contra dictas inhibiciones sibi factas, ut liberaret de prisione sua dictum Stephanum, et compareret, ad respondendum, coram eo, quorum bona, propter hoc, postea cepit dictus miles, ac eciam vendi fecit, propter que terra dicti militis in manu regia fuit capta, et apud Lugdunum, per servientes domini Regis, corpus dicti militis arrestatum;

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

qui miles, frangendo arrestum predictum, de dicta villa illicenciatus recessit, propter que petebat dicta Guicharda, per dictum locum tenentem, dictum militem, propter contumacias et inobediencias supradictas, in emendis competentibus sibi et domino Regi solvendis, condempnari, et in quadraginta libris Viennensibus dicte Guicharde solvendis, in quibus dampnificata fuerat, in prosequcione negocii supradicti, petebatque cauciones et obligaciones, per dictum militem a dicto Stephano et ab ejus fidejussoribus, contra inhibiciones predictas et propter metum carceris, super hoc, extortas, per sentenciam dicti locum tenentis anullari, et pignora et res dicti Stephani et fidejussorum suorum, occasione predicta, per dictum militem capta eis reddi et in omnibus predictis manum regiam resaisiri; lite igitur, super premissis, legittime contestata, inter partes predictas, cum dicta Guicharda traderet plures articulos, ad declaracionem articulorum quibus jam responderat dictus miles et peteret dictum militem vel ejus procuratorem dictis articulis declaratoriis respondere, dictus miles proposuit plures raciones, propter quas ipse dicebat quod eis minime respondere tenebatur, quibus non obstantibus, dictus locum tenens procuratori dicti militis precepit primo, secundo et tercio, quod ipse dictis articulis responderet, quo nolente respondere, dictus judex, interloquendo, pronunciavit quod dictos articulos pro confessatis habebat; a qua interlocutoria procurator dicti militis ad nostram curiam appellavit; qua appellacione non obstante, dictus judex, dictis partibus, diem ad producendum testes, tam super facto principali quam super dictis articulis declaratoriis, assignavit, quibus productis et juratis, presente ad hoc dicti militis procuratore et nichil proponente, ac eciam postea publicatis, dieque assignata dictis partibus, ad sentenciam diffinitivam, super premissis, audiendam, comparentibusque, dicta die, in judicio, procuratore dicte Guicharde, ex una parte, et Jaquemeto Janevoya, procuratore dicti militis, ex altera, protestante quod, propter sui comparacionem, non intendebat in dictum locum tenentem, tamquam in judicem, consentire, nec eciam appellacioni quam, ut premissum est, fecerat a dicto judice renunciare, dictus judex predictum militem in

quingentis libris Turonensium bonorum solvendis domino nostro Regi, pro emenda predictorum, sentencialiter condempnavit, pronunciavitque obligaciones et promissiones predictas, extortas a dicto Stephano et ejus fidejussoribus, propter metum carceris et post inhibiciones predictas, esse inefficaces et invalidas, dictas obligaciones penitus anullando, et quicquid ex eis factum extiterat et secutum, et res et bona dictorum Stephani et suorum fidejussorum, occasione hujusmodi, capta, et in processu dicte inquisicionis declarata, fore reddenda et restituenda dicto Stephano et fidejussoribus suis supradictis, reservando, in quantum poterat, de jure, in quantum tangebat partem adversam, taxacionem et condempnacionem expensarum, per dictam Guichardam et dictum Stephanum seu eorum procuratorem factarum, occasione dicte cause; a qua sentencia tanquam iniqua procurator dicti militis, salvis suis protestacionibus antedictis, viva voce, coram dicto judice, ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in causa dicte appellacionis partibus antedictis, in curia nostra, visisque diligenter processu ac judicato predictis, quia repertum est, in processu dicte inquisicionis dictum Jacquemetum, procuratorem dicti militis, post appellacionem ab eo factam a dicta interloqutoria ad diem assignatam, ad testes producendos, ex parte dicte Guicharde, videndumque eos jurare, comparuisse in judicio, procuratorio nomine dicti militis, nulla protestacione facta, per curie nostre judicium, fuit dictum predictum procuratorem dicte appellacioni sue renunciasse, et, per idem judicium, fuit dictum predictum militem seu ejus procuratorem, a diffinitiva sentencia supradicta, male appellasse, dictumque senescallum seu tenentem ejus locum bene judicasse, et quod dictum judicatum mandabitur execucioni. PHILIPPE V. 1318.

Vicesima octava die marcii.

M. Thomas de Nonancort reportavit.

XLIV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Ansellum Maquerel de Cravant, ex parte una, et Petrum Remigii, ex altera, super eo quod dictus Ansellus dicebat, contra dictum Petrum, quod, cum

PHILIPPE V, 1318.

ipse esset in saisina certorum vinorum, que ipse Ansellus seu alius, nomine ipsius, emerat in Burgondia, et fecerat onerari et adduci Parisius, ad portum de Gravia, tanquam sua, continuando saisinam suam predictam, dictus Petrus Remigii seu gentes sue, contra voluntatem dicti Anselli, venerat, in navi in qua dicta vina erant, et, propria auctoritate, fecerat capi et levari, de vinis predictis, quatuordecim dolia, que valebant, communi estimacione et maxime tempore dicte capcionis, trecentas libras Turonenses, quare petebat dictum Petrum condempnari et compelli ad restituendum dicta quatuordecim dolia vini, et ipsa reponi in statu in quo erant, tempore capcionis predicte, si extant, et si non extant, trecentas libras Turonenses, pro eorum valore; dicto Petro in contrarium proponente quod Giletus le Closier et Guillelmus Hure, famuli dicti Petri, et dictus Boileve de Vincellis emerunt in Burgondia vina, pro dicto Petro, in pluribus locis, et, inter alia, emerunt viginti octo dolia que fuerunt soluta communiter de peccunia dicti Petri et de peccunia dicti Anselli, prout dictus Boileve sibi dixerat, que viginti octo dolia dictus Boileve fecit partiri, et habuit dictus Petrus, pro parte sua, quatuordecim dolia que famulus dicti Petri fecit adduci ad portum, cum expensis dicti Petri, et quod predicta confessus fuerat dictus Ansellus, Parisius, in presencia dicti Petri et aliorum bonorum, et quod, de consuetudine mercature Parisiensis, dictus Boiliave viginti octo dolia predicta, empta in communi, poterat partiri et tradere unicuique partem suam, secundum quod quilibet tradiderat de peccunia sua, et quod eciam, de dicta consuetudine, quilibet mercator poterat capere vina sua, signata ad signum suum et soluta de peccunia sua, non requisita justicia, ubicumque ea inveniret, et ita ea que ipse fecerat, super hoc, ipse poterat fecisse sine prejudicio dicti Anselli, quare dicebat quod ipse debebat absolvi ab impeticione predicta dicti Anselli; dictus vero Ansellus replicando proponebat, salva protestacione rehabendi statum et restitucionem dictorum vinorum, quod gentes dicti Petri concordaverunt, cum dicto Ansello, quod ipse Ansellus haberet viginti octo dolia vini et fuerunt, per eos, liberata dicto Ansello, ita tamen quod dictus Petrus tantum

haberet ad valorem de quibusdam aliis vinis, per eos emptis in communi; dicebat eciam quod consuetudo mercature notoria est talis quod, quando aliquis mercator mittit famulum suum in Burgondia, pro emendis vinis, et ipse emit vina, pro magistro suo, si sibi videatur expedire, potest vendere et excambiare vina per eum empta, nec potest magister suus retractare dictum mercatum seu escambium, prout asserebat dictus Ansellus; lite igitur, in dicta causa, contestata, ac eciam jurato, super hoc, a dictis partibus, et testibus productis, super hoc, examinatis et publicatis, conclusoque in dicta causa, die certa assignata ad judicium, super hoc, audiendum, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit per hunc modum : « Nos informati de consuetudinibus per dictum Ansellum allegatis notoriis, dicimus quod dictus Ansellus Maquerel melius et magis sufficienter probavit intencionem suam, super hoc, contra Petrum Remigii, quam Petrus suam, et, cum hoc, considerato quod dictus Petrus cepit illa quatuordecim dolia vini, de quibus questio est, propria auctoritate, non requisita justicia, contra voluntatem dicti Anselli, nos condempnamus dictum Petrum ad restituendum dicto Ansello dicta quatuordecim dolia vini vel trescentas libras Turonenses, pro eorum valore; » a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dictus Petrus ad nostram curiam appellavit: Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, ac visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Petrum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Quarta die aprilis.

M. Rogerius de Turone reportavit.

XLV. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter procuratorem domicelle Johanne d'Avrigny, ex una parte, et Egidium Clericum, Thomam Villain, Radulphum de Ninville et Johannem Perceval, habitantes in villa de Bregi, in quamtum quemlibet eorum tangebat, et tamquam procuratores communitatis et habitancium bonaque, in dicta villa et ejus territorio, possidencium, comitemque Dompni-Martini,

PHILIPPE V, 1318.

in quantum ad eum pertinere poterat, ex altera, super eo quod procurator dicte domicelle, nomine ipsius, asserebat quod ipsa erat filia et heres insolidum defuncte domicelle Yolendis de Fayel, uxoris quondam Johannis d'Avrigny, militis, patris sui, quodque dicta Yolendis, tempore quo ipsa vivebat, habebat, capiebat et recipiebat annuatim triginta libras Parisienses reddituales, de hereditate sua, super bonis mobilibus et immobilibus gencium ville et territorii predictorum, in crastinum octabarum Sancti-Dyonisii, asserens quod hujusmodi redditus olim donatus fuerat, a predictis, in dicta villa, habitantibus, predicto comiti Dompni-Martini et hiis qui ab eo causam haberent in futurum, quodque dicta Yolendis et sui predecessores causam habuerant et habebant, super hoc, a dicto comite, fuerantque et erant in bona saisina percepcionis redditus supradicti, per tantum tempus quod sufficit ad bonam saisinam acquirendam; cum vero dicta Yolendis de presenti vita decessisset, dicta Johanna, non habens etatem legittimam, in avoeria Johannis d'Avrigny, militis, patris sui predicti, remansit, qui, quamdiu eam in sua avoeria predicta tenuit, dictum redditum, in dicta villa, super bonis habitancium in eadem, pacifice recepit, dictaque Johanna, in etate legittima constituta et in fide seu sufferencia dicti comitis, de dicto redditu, existente, ut dicebat, predicte gentes sibi dictum redditum solvere cessaverunt, per quatuor annos, quare, cum ipsi et sui predecessores sint et fuerint in saisina faciendi arrestare et capere, per prepositum Parisiensem, bona mobilia et immobilia dictarum gencium, pro plena satisfactione sibi de dicto redditu facienda, si sibi de eodem non esset satisfactum, necnon et dictum comitem compellendi ad solucionem quinque solidorum, pro pena cujuslibet diei, dicte domicelle applicanda, si gentes predicte, post quindecim dies, elapso termino supradicto, sibi dictum redditum solvere recusarent, racione cujusdam excambii olim facti, inter dictum comitem seu comitissam Dompni-Martini cum Guillelmo de Chantilli, milite, cum dicta Johanna et sui predecessores successerunt, prout hec omnia in litteris, super dicto excambio, factis, plenius contineri dicuntur, petebat bona mobilia et immobilia

dictarum gencium capi, per dictum prepositum, et distrahi, pro solucione dicti redditus, pro anno millesimo trecentesimo decimo, et arreragiorum trium annorum precedencium, dictumque comitem, ad solucionem dictorum quinque solidorum, pro qualibet die, pro defectu solucionis dicti redditus, nomine pene predicte, condempnari; ex adverso vero, inter cetera, fuit propositum quod numquam inveniretur dictam domicellam seu ejus predecessores esse vel fuisse in possessione dicti redditus, nec quod ipsi jus haberent dictum redditum recipiendi, in villa predicta, quodque ipsa nullum dominium seu juridicionem habebat in dicta villa, et sic, de jure communi, sibi in nullo tenebantur, ut ipsi dicebant, sique contrarium inveniretur, hoc esset per hunc modum, videlicet quod gentes predicte tenentur solvere annuatim dicto comiti viginti octo libras Parisienses censuales, litteras quittationis eisdem, ante omnia, per eumdem comitem, concedendo, et si dicte domicelle seu eis a quibus ipsa se dicit causam habere aliquociens dictum redditum solverunt, ipsi hoc, nomine dicti comitis, fecerunt, et sibi litteras quittacionis dicti comitis asportabant; lite igitur, coram preposito predicto, legittime, super hiis, contestata, litteris et testibus, super hoc, productis hinc et inde, videlicet, tam ex parte domicelle quam gencium predictarum, conclusoque, in causa predicta, cum, in quantum tangebat dictum comitem, procurator dicte domicelle dicessit a lite predicta, viso dicto processu et diligenter examinato per eumdem prepositum, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod bona dictarum gencium vendentur et explectabuntur, usque ad plenam satisfactionem dicti redditus dicte domicelle debiti, pro anno supradicto, in quo peticionem suam tradidit, super dictis triginta libris redditualibus, quas ipsa capere debet, super villa de Bregi, annuatim, in crastinum octabarum Sancti-Dyonisii, sicut in litteris dicti excambii plenius continetur, jure sibi, contra dictum comitem, quoad arreragia trium annorum precedencium, pendente dicto processu, per eumdem receptorum, necnon et, quantum ad penam in dictis litteris contentam, et quantum ad arreragia dicti redditus, levata per dictum comitem, ante pe-

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

ticionem per dictam domicellam, in causa predicta, traditam, reservato, dictas gentes de dictis arreragiis ab eisdem, ante dictam litem motam, petitis, cum ea dicto comiti solvissent, justamque ignoranciam cujusdam accordi facti, super hujusmodi redditu, inter dictum comitem et Johannem d'Avrigny, militem, haberent, per idem judicium absolvendo; a quo judicato, tamquam falso et pravo, fuit, per procuratorem dicte ville, ad nostram curiam appellatum : Auditis igitur partibus predictis, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse, et procuratorem dictarum gencium male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Quarta die aprilis.

XLVI. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Raginaldum de Fresnes, ex una parte, et Guillelmum de Arragonia, ex altera, racione cujusdam equi nigri, qui, per servientes prepositi predicti, penes Johannem d'Espernay, ad peticionem dicti Raginaldi, pro septuaginta libris Parisiensibus, in quibus Arnaudus Remondi, mercator equorum, sibi tenebatur, ut dicebat, fuerat positus in arresto, qui Raginaldus de Fresnes, ad finem quod arrestum dicti equi teneret, et quod dictus equus remaneret in arresto, quousque, de dictis septuaginta libris Parisiensibus, esset sibi ad plenum satisfactum, coram dicto preposito, proposuit quod dictus equus niger erat dicti Arnaudi, debitoris sui, eo tempore quo penes dictum Johannem d'Espernay dictus equus, ad peticionem dicti Reginaldi, fuerat positus in arresto, et positus fuerat et erat eo tempore penes dictum Johannem d'Espernay, nomine dicti Arnaudi, qui eum possidebat, tanquam suum; proponebatur autem, ex parte dicti Guillelmi de Arragonia, ex adverso, ad finem quod dictum arrestum, positum in dicto equo, ad peticionem dicti Reginaldi, amoveretur, ita quod dictus Guillelmus posset uti dicto equo libere, tanquam suo, et quod dictus Reginaldus de Fresnes condempnaretur, per dictum prepositum, in viginti libris Parisiensibus

sibi solvendis, propter dampna et expensas, quas ipse fecerat et sustinuerat, racione arresti predicti, videlicet quod ipse dictum equum acquisierat et habuerat, ex causa permutacionis, in nundinis Moysiaci, et fecerat eum adduci Parisius, et quesierat sibi Parisius stabulum et victualia neccessaria, exposueratque eum venalem pluribus, continuando possessionem suam et utendo dicto equo, tamquam suo, dicebatque idem Guillelmus quod, in casu in quo probaret dictus Reginaldus dictum equum esse dicti Arnaudi, debitoris sui, quod ipse negabat, dictum Arnaudum in aliquo debitorem suum esse, et eciam quod, in casu in quo probare contingeret dictum Reginaldum predictum debitum, paratus erat dictus Guillelmus probare solucionem de dicto debito, dicto Reginaldo fuisse factam; lite igitur, coram dicto preposito, super premissis, contestata, inter dictas partes, testibusque, super hoc, productis, auditisque, super hoc, racionibus dictarum parcium, conclusoque in causa predicta, visoque dicto processu, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit quod arrestum predictum, factum de dicto equo teneret, et quod venderetur dictus equus, preciumque ejus dicto Reginaldo de Fresnes, in attenuacionem debiti sui, traderetur, non obstantibus racionibus propositis, ex parte dicti Guillelmi, ex adverso; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Guilellmus ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum male judicasse et dictum Guillelmum bene appellasse, et quod dictum judicatum non mandabitur execucioni, et quod dicte cause principalis cognicio in parlamento, Parisius, remanebit, et, super ea, dicte partes audientur in parlamento presenti.

Philippe V, 1318.

Quarta die aprilis.

M. Thomas de Nonancort reportavit.

XLVII. Questione mota, in curia nostra, inter dilectum et fidelem nostrum comitem Bononie, ex una parte, et religiosos viros, abbatem et conventum Cluniacenses prioresque eorum de Rumilli de

PHILIPPE V, 1318.

Bongessant et de Wasto, Cluniacensis ordinis, suo et dictorum monasteriorum suorum nomine, necnon et ballivum Ambianensem, pro nobis, ex altera, super eo quod idem comes saisinam et proprietatem garde et ressorti dictorum prioratuum et pertinenciarum eorumdem ad se pertinere dicebat, et sibi adjudicari petebat, plures, ad finem predictum contentum in suis, super hoc, datis articulis, raciones proponens, dictis vero religiosis et ballivo, quibus supra nominibus, asserentibus contrarium, videlicet quod saisina et proprietas dictorum garde et ressorti ad nos pertineret, et plures raciones, ad finem predictum, in suis, super hoc, datis articulis, proponentibus et petentibus, super petitis hujusmodi, se absolvi : Visis igitur, per nostram curiam, diligenter inquestis, de mandato dicte nostre curie, super hoc factis, quia repertum est, per easdem inquestas, dictum comitem, super hiis, non probasse suam intencionem, eadem nostra curia, per suum judicium, religiosos et ballivum predictos, ab impeticione predicta dicti comitis absolvit, eidem comiti, super hiis, perpetuum silencium imponendo.

Quarta die aprilis.

M. Yvo Prepositi [reportavit].

XLVIII. Cum lis verteretur, coram Egidio de Malo-Dumo, ballivo Mathisconensi, inter Johannem dominum de Mota et de Roceyo, ex parte una, et homines dicti loci de Roceyo, ex altera, super eo quod dictus Johannes dicebat se esse in pacifica possessione vel quasi faciendi et nunciandi questam ipsis hominibus, de triennio in triennium, secundum cujuslibet facultates, dictis hominibus e contrario dicentibus se esse et suos predecessores fuisse in possessione franchisie et libertatis, tam in personis quam in rebus, et, si reperiretur ipsos aliquid solvisse predicto domino, ultra censivas, hoc fecerunt ex gracia et cum pacto sibi facto quod hoc eis non prejudicaret in futurum; tandem inquestis factis, super hoc, per commissarios, ex parte dicti ballivi deputatos, et publicatis, visisque et diligenter examinatis, dictus ballivus, diffiniendo, pronunciavit dictum Johannem intencionem

suam sufficienter, super hoc, probavisse; quare possessionem dicte queste predicto Johanni adjudicavit, contra homines antedictos; a quo judicato fuit, per dictos homines, ad nostram curiam appellatum, et dato per nos, super hoc, certo commissario, cum causa hujusmodi, per aliqua tempora, tractaretur, ad supplicationem dicti Johannis, senescallus Lugdunensis et Mathisconensis judicatum predictum, per ballivum Mathisconensem, prolatum contra dictos homines, per servientes suos, exequi demandavit, appellantibus, super hoc, hominibus supradictis; partibus autem, in nostra curia, constitutis, datoque, super hoc, per nostram curiam, certo commissario, ut ipse, super articulis hinc inde propositis, in causa dicte appellacionis, probaciones dictarum parcium reciperet et easdem nostre curie, sub sigillo suo, mitteret fideliter inclusas, ipse, pluribus aliis negociis, impeditus, ut dicebat, recepcionem dictarum parcium duobus notariis commisit, de consensu parcium predictarum, prout in inquesta per eos facta et curie nostre reportata, plenius continetur: Visa igitur inquesta predicta et diligenter examinata, cum, per inquestam predictam, repertum fuit dictum commissarium duobus notariis receptionem dictarum probacionum commisisse, per judicium nostre curie, dictum fuit commissionem, super hoc, factam dictis notariis nullam esse, et, per idem judicium, dictum fuit predictam inquestam non valere, et causam predictam in eodem statu resumendam per commissarios, a nostra curia, super hoc deputandos, in quo erat, tempore quo commissio, super hoc, facta fuit, per dictum commissarium, notariis predictis.

Philippe V, 1318.

Quarta die aprilis.

M. J. de Nonancuria reportavit.

XLIX. Cum, ad delacionem Arnaldi et Stephani dictorum Garnier, fratrum, necnon Gaufride Dacbrier, relicte defuncti Bernardi de la Burguieria, conquerencium de Hugone de Villaribus alias dicto de Fosmanha, bajulo tunc Montis-Dominici, pro Aymerico de Gordonio, milite, domino dicti loci, super pluribus excessibus, injuriis et damp-

Philippe V, 1318.

nis dictis conquerentibus et dicto Bernardo de la Burguieria, dum ipse vivebat, non obstantibus inhibicionibus gencium nostrarum, necnon appellacionibus dictorum conquerencium interpositis ad nos et ad sênescallum Petragoricensem et ad judicem ordinarium Caturcensem nostros, illatis, in nostre juridicionis contemptum et prejudicium, ut ipsi dicebant, predicti senescallus et judex ordinarius nostri mandassent et commisissent magistro Petro de Bello-Podio, notario nostro, quod, ipse super dictis excessibus et inobedienciis, vocatis evocandis, inquireret veritatem; cumque dicti conquerentes, coram dicto commissario, dampna et excessus, sibi, per dictum Hugonem, bajulum, in nostri contemptum et nostre juridicionis prejudicium, ut dicebant, illatos proposuissent, et in scriptis suos articulos, super hoc, tradidissent, auditis, super hoc, responsionibus dicti bajuli et ejus defensionibus traditis in scriptis, juratoque, in dicta causa, a dictis partibus, et lite, inter eas, legittime, super hoc, contestata, dictus commissarius, ad audiendum testes quos dicte partes producere, super hoc, voluerunt, processit; quibus testibus juratis et diligenter examinatis, conclusoque, in dicta causa, et omnibus, in dicto processu, rite et legittime actis, dictus judex noster ordinarius Caturcensis, viso dicto processu et diligenter examinato, auditisque racionibus, super hoc, hinc et inde propositis, dictum Hugonem de Villaribus, bajulum, per suum judicium, in quingentis libris Turonensium forcium, quorum unus valet, ut dicitur, unum Tholosanum cum dimidio, nobis solvendis, pro dictis excessibus, condempnavit, et ipsum Hugonem ab omni officio bajulie, in judicatura Caturcensi et ab omni officio publico imperpetuum obtinendo privavit, condempnavit eciam dictum bajulum in quadraginta libris Turonensibus dicte Gaufride ac in quadraginta libris Caturcensibus dictis fratribus Arnaldo et Stephano, necnon in decem libris Tholosanorum, pro expensis factis in dicta inquesta, persolvendis conquerentibus predictis; a quo quidem judicato, tanquam falso et pravo, dictus Hugo de Villaribus ad senescallum nostrum Petragoricensem appellavit; dictis vero partibus, in curia dicti senescalli, cum procuratore nostro, qui se, pro nobis, cum

dictis Arnaldo, Stephano et Gaufrida, in dicta causa, contra dictum bajulum, adjunxerat, comparentibus, dictus bajulus plures raciones, facti et juris, proposuit, super hoc, contra dictos appellantes, ad finem quod predictum judicatum, per dictum judicem nostrum Caturcensem, prolatum, pronunciaretur, per dictum senescallum, nullum, vel si aliquid diceretur, quod pronunciaretur falsum et pravum, dicto procuratore nostro, pro nobis, et predictis appellatis, pro se, e contrario proponentibus plures raciones facti et juris, ad finem quod, per dictum senescallum, pronunciaretur judicatum predictum dicti judicis Caturcensis esse bonum et dictum bajulum male, super hoc, appellasse; jurato igitur, a dictis partibus, in dicta causa appellacionis, testibusque, super hoc, productis hinc et inde, coram commissariis a dicto senescallo, super hoc, datis, juratis et examinatis, auditoque a dicto senescallo postea quicquid dicte partes proponere voluerunt, in dicta causa, visoque diligenter processu, coram dicto judice ordinario, super hoc, habito, necnon processu dicte cause appellacionis, dictus senescallus noster Petragoricensis predictum judicatum dicti judicis ordinarii Caturcensis, per suum judicium, confirmavit, condempnavitque dictum bajulum in sexaginta solidis Turonensibus magistris Gerardo et Petro Las-Coutz, notariis, pro eorum salario, qui in dicta causa appellacionis, testium deposiciones scripserunt, et ut contra dictum Aymericum de Gordonio, militem, cujus erat bajulus dictus Hugo, tempore delicti predicti, per ipsum Hugonem commissi, cujus delicti occasione, per dictum judicem ordinarium, dictus Hugo extitit condempnatus, declarari possit dictam condempnacionem ab ipso milite posse exigi et levari, maxime cum idem miles dictum Hugonem, de dicto excessu, avoasse dicatur, nostre curie judicio extitit reservatum; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, dictus Hugo de Villaribus ad nostram curiam, Parisius, appellavit : Comparentibus vero partibus predictis, in parlamento nostro, auditisque eorum racionibus, in causa appellacionis predicte, et visis dictis processibus diligenter, tam in causa principali quam in causa appellacionis predictarum, per nostre curie judicium, dictum fuit predictos judicem

PHILIPPE V, 1318.

ordinarium Caturcensem et senescallum Petragoricensem bene judicasse et dictum Hugonem de Villaribus male appellasse, quodque dicte condempnaciones mandabuntur execucioni.

Quarta die aprilis.

M. Robertus de Magna-Villa reportavit.

L. Lite mota, coram preposito de Bella-Quercu, inter Petrum de Jouy et Johannam, ejus uxorem, filiam et heredem Petri Daubert, militis, actores, ex una parte, et Baldoynum de Fontenella et Mariam, ejus uxorem, reos, ex altera, super eo quod dicti actores dicebant, quod in quadam terra sua, quam ipsi, a comitissa Attrebatensi in feodum tenebant, et de ipsa in ejus homagio et fide idem Petrus erat, dicti rei impedimentum et perturbationem de novo dictis actoribus faciebant, et deblaciones seu leveyas de dicta terra, per aliqua tempora, levaverunt indebite et injuste, quare petebant impedimentum et turbacionem predictas amoveri, et deblaciones predictas sibi restitui et reddi, adicientes eciam quod ipsi proposuerant, coram dicto preposito, quod dominus progenitor noster, ad eorum supplicationem, mandaverat, per suas patentes litteras, gardiatori ballivie Ambianensis quod, si sibi, vocatis partibus, legittime constaret Baldoynum d'Espinay, primum maritum dicte Marie, et ipsam Mariam esse et fuisse publicos usurarios, et eisdem dictam terram, per contractus usurarios, a dicto milite fuisse obligatam, et ipsos fructus ejusdem terre, per usurariam pravitatem, recepisse, dictamque terram, sub precio solum quadraginta librarum appreciatam, quam iidem actores sexaginta libras valere asserebant, et quod dicti rei, facto inter eos legali et finali compoto, de fructibus dicte terre levatis, per dictos reos, a tempore contractus predicti, et sibi de sorte satisfacto quicquid ipsi ultra sortem inde recepissent, litterasque dicti contractus faceret dictis actoribus restitui et reddi, et dictum contractum anullari, plures alias raciones facti et juris, ad finem predictum, allegando; dictis vero reis proponentibus ex adverso per eos impedimentum et turbacionem de novo dictis actoribus, in dicta terra

minime factas esse, et quod ipsi, justo titulo empcionis, ad eorum et cujuslibet ipsorum vitam, predictam terram tenebant et tanto tempore, ex causa predicta, possederant eamdem quod jus percipiendi et levandi fructus terre predicte erat sibi quittum et quod impedimentum seu turbacio de novo dici non poterat in predictis, et quod, super hoc concluso, in dicta causa, pro dictis reis, contra dictos actores, per interlocutoriam dicti prepositi, super quodam incidenti, fuerat judicatum, a quo judicato non fuerat appellatum, ut dicebant, quodque postea, dictis partibus auditis, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit impedimentum et turbacionem de novo, in dicta terra, per dictos reos nullatenus factas fuisse, sed quia bene erat probatum quod dicta terra, que pro precio quadraginta librarum fuerat tradita, valebat quinquaginta libras annui redditus et quod dictus Baldoinus d'Espinoy, tempore quo ipse vivebat, erat usurarius publicus, et quod, ex contractibus usurariis et de usura soluciones dicte terre ad vitam vendite, facte fuerant, et quod dictus Baldoinus tenebatur computare de leveeis fructuum dicte terre et facere ea que dictus progenitor noster, per suas litteras, fieri mandaverat et compleri; a quo judicato, in quantum contra eum faciebat, tamquam a nullo, et si quod erat, tamquam a pravo et falso, dictus Baldoynus ad curiam nostram Ambianensem appellavit; homines vero dicte curie Ambianensis, vocatis dictis partibus et auditis ac visis earum processibus, dicti prepositi judicatum confirmarunt; a qua quidem confirmacione seu judicato, tanquam a nullo, et si quod erat, tanquam a falso et pravo, dictus Baldoinus ad parlamentum, Parisius, contra dictos homines et Hugonem de Sapinies, militem, nunc maritum dicte Johanne, iterum appellavit; auditis igitur, super hoc, dictis partibus et plura facta contraria proponentibus, nos certis commissariis, a nobis, super hoc, deputatis, commisimus ut ipsi, super certis articulis, sub contrasigillo nostro missis eisdem, vocatis partibus, inquirerent veritatem, et inquestam quam inde facerent, nostre remitterent curie judicandam : Facta igitur inquesta super predictis et ad curiam nostram, vocatis et auditis dictis partibus, reportata, visaque, per eamdem, et examinata diligen-

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

ter, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum, necnon dictos homines curie Ambianensis male judicasse et predictum Baldoynum bene appellasse, quodque dicti homines hoc nobis emendabunt.

Quarta die aprilis.

M. G. Droconis reportavit.

LI. Cum, ex parte capituli cathedralis ecclesie beate Marie Aniciensis, nobis fuisset conquerendo monstratum quod, cum, certa die Rogacionum novissime preteritarum, canonici cum alio clero ejusdem ecclesie, induti suis superliciis et albis facerent processionem, cum crucibus, letanias cantando, in honore Dei et Virginis gloriose, ejus matris, et ymago ipsius beate Virginis, per milites nobiles et cives, prout moris est, per vicos et carrerias dicte civitatis, portaretur et extra eamdem civitatem, ac multitudo peregrinorum ibidem affluencium dictas ymaginem et processionem, una cum civibus dicte civitatis, sequeretur, necnon et de ecclesia Sancti-Marcelli que est extra dictam civitatem, dicta processio reverteretur ad cathedralem ecclesiam memoratam, Johannes de Macherino, bajulus curie communis civitatis Aniciensis, maligno spiritu ductus, in introitu dicte civitatis insidiose, una cum pluribus servientibus armatis pluribus et diversis armorum generibus, cum armis predictis, invaserunt processionem predictam percuciendo et vulnerando usque ad sanguinis effusionem, et alias male tractando canonicos, sacerdotes et alios clericos ibidem indutos ecclesiasticis vestimentis, et cruces quas portabant, per feces in carreria, posuerunt et asportarunt, quapropter predicti dictam processionem facientes et peregrini qui, de diversis mundi partibus, illuc venerant, predictum insultum videntes, metu multitudinis armorum predictorum, modis quibus potuerunt, auffugerunt, ipsique malefactores non formidantes, in penam a jure statutam, pro premissis, incidere, hiis non contenti, mala malis accumulantes, indistincte de die in diem capiunt et incarcerant clericos dicte ecclesie et ipsos verberant, et eorum domos, per violenciam, intrant,

et bona eorum secum portant, et sic pluries et frequenter fecerunt, sentenciam latam a canone contempnendo; et ballivo Arvernie aut ejus locum tenenti curia nostra commisisset et mandasset, ut ipse, per se aut per alium ydoneum non suspectum, inquireret, super premissis omnibus et singulis et eorum circonstanciis, veritatem, vocatis qui forent evocandi, prout in dicta commissione plenius continetur, et dictus ballivus, virtute dicte commissionis, citari et adjornari fecisset personaliter, coram se, apud Anicium, ad certam diem, Johannem de Macherino, bajulum curie communis Aniciensis, et alios quamplures, tam notarios quam servientes dicte communis curie, visuros, per eum, procedi, super contentis in dicta commissione, et dicto capitulo, super contentis in commissione predicta, responsuros; qua die comparuerunt, coram dicto ballivo, Johannes de Macherino predictus, et alii curiales, comparuit eciam magister Stephanus Monchanha, procurator et procuratorio nomine curie communis Aniciensis, protestantes quod ipsi non intendebant in eum consentire tanquam in commissarium, dicentes et proponentes eos non debere comparere nec respondere coram dicto ballivo, nec procedere cum dicto capitulo vel eorum procuratore, racione dicte commissionis, super contentis in eadem, pro eo quia, ut ipsi dicebant, continetur expresse, in pariagio, inter dominum genitorem nostrum et Aniciensem episcopum, de juridicione civitatis Aniciensis, habito, quod ubi in casu in quo delinquerent bajulus vel judex dicte communis curie, spectat super hoc cognicio, inquisicio, correctio et punicio ad senescallum nostrum Belli-Cadri et Nemausi et Aniciensem episcopum simul, et, in casu in quo deliquerent notarii et servientes et alii inferiores curiales dicte communis curie, inquisicio, punicio et correctio spectat, super hoc, solum et insolidum ad bajulum et judicem curie communis Aniciensis predicte et non ad nos seu Aniciensem episcopum, et, ad faciendum finem de dictis clausulis, contentis in dicto pariagio, exhibuerunt dictum pariagium et pecierunt sibi jus dici, super hoc, antequam ad alia ulterius procederetur, et, si de predictis non audirentur, ipsi ex hoc sencientes se gravatos a juris denegacione et

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

defectu et ab aliis gravaminibus que possent eis inferri, per dictum ballivum, ad curiam nostram appellaverunt, dictus bajulus curie communis ac notarii et servientes dicte communis curie, dictusque procurator communis curie Aniciensis, comparuit eciam ibidem Petrus Gaimar, procurator episcopi Aniciensis, dicens quod hujusmodi negocium tangebat dictum episcopum, virtute cujusdam clausule contente in pariagio predicto, et quod ipse non intendebat, in dictum ballivum, tanquam in judicem, consentire, et quod idem ballivus non poterat se intromittere de predictis, virtute commissionis per nos sibi facte, quam dicebat fuisse impetratam, tacita veritate, et suggesta falsitate, quia in dicto pariagio dicebat, inter cetera, contineri quod, si bajulus et judex predicti vel alter eorum delinquant in suis officiis, ipsi, per senescallum et episcopum predictos vel deputandos a nobis et ab eodem episcopo communiter puniri debent, et, pro eo eciam quod, si dictus ballivus erat, per nos, commissus ad predicta, non erat tamen commissus ad predicta per episcopum predictum, et quia dictus ballivus, predictis non obstantibus, processit ad inquestam faciendam contra predictos bajulum curie communis Aniciensis et alios inferiores curiales, a predictis gravaminibus et eorum quolibet dictus procurator, nomine quo supra, ad nostram curiam appellavit : Attento igitur et considerato, quod predicta ecclesia cathedralis beate Marie Aniciensis est in et de speciali garda nostra, cujus garde, penes nos et nulli alii, racione superioritatis et ex speciali prerogativa, cognicio est specialiter reservata, attenta eciam armorum portacione, de qua fit mencio in commissione predicta, cujus cognicio ad nos et non ad alium specialiter dignoscitur pertinere, visa eciam et attenta commissione predicta, per judicium nostre curie dictum fuit, dictos bajulum et curiales communis curie Aniciensis et dictum procuratorem episcopi Aniciensis male appellasse, et predictum ballivum, in dicto inquisicionis negocio, bene et debite processisse, salvo tamen, in aliis, dicto pariagio, cum nostre intencionis non existat predicto pariagio seu ejus clausulis in aliquo derogare, et, quia, per dictam inquestam, nostre curie reportatam et de mandato nostro visam, et diligenter exa-

minatam, curie nostre constiterit, quod Johannes de Macherino, bajulus curie communis Aniciensis, Huetus frater suus, dictus Johannet, dictus Botagort, dictus Chalueto, Martinus de Ruppe, Bertholomeus Aulanherii, Johannes de Bray, Johannes Cregut dictus Pignat, Geraudonus de la Rocha dictus Sardim, Johannes Faugerois, Vincencius de Verduno, vigerius, Petrus del Fau, et Durandus de Sancto-Floro, armati fourchatis, ensibus et aliis generibus armorum, cum magno impetu ad dictam processionem accedentes, tantum tumultum et impetum, cum armis predictis, prefatis canonicis, clericis et aliis de choro ecclesie predicte facientibus dictam processionem, ut est dictum, fecerunt quod, in illo tumulto et impetu fuerunt multe de crucibus predictis quasi ad terram prostrate et quedam per illos qui eas portabant, pro timore auffugientes, in diversis domibus absconse, et inter cetera, quod vera crux que est de ligno in quo passus fuit Christus, que portabatur per Jacobum de Brunna, presbiterum, indutum alba et cappa serica, per ipsum fuit in sinu suo absconsa, et quod, propter hujusmodi tumultum et impetum, brigam, violencias et excessus predictos, prefati facientes processionem hujusmodi cessaverunt penitus et destiterunt a cantu et celebracione letaniarum et aliis divinis officiis que ipsi faciebant, et gentes sequentes dictam processionem, usque ad numerum fere trium vel quatuor millium auffugerunt; item et quod dictus Johannes de Macherino, bajulus, et Huetus, frater suus, invaserunt Poncium, dictum le Roy, de choro ecclesie predicte existentem, et vestes suas dilaniaverunt, et virgam quam portabat, pictam armis nostris, fregerunt, in processione predicta, per dicte curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus Johannes de Macherino, bajulus curie communis Aniciensis, certa die Rogacionum proximo instancium, si fieri possit, alioquin, in proximo subsequentibus, veniet in regressu processionis in introitu civitatis Aniciensis, videlicet inter Pontem vocatum Dels Tronhas et domum Fratrum predicatorum Aniciensium, ubi predicta fuerant perpetrata, in tunica, sine zona, nudus pedes, sine cucufa et capucio, cum uno cereo unius libre, alii vero supranominati, in ipsa die, venient ad locum predictum, in camisia, nudi pedes, et sine

PHILIPPE V, 1318.

capucio, cum cereis ardentibus unius libre quolibet, et ibi, tam bajulus predictus quam alii prenominati veniam postulabunt a majori de capitulo, nomine ecclesie et capituli predictorum, et sequentur processionem usque ad fores ecclesie, et ibi offerent cereos predictos ministris ecclesie, et ecclesiam predictam non intrabunt, nisi per ministros ecclesie, de voluntate capituli, inducantur, sed ibidem, ipsis nudis, in camisia, et dicto bajulo in tunica existentibus, legetur hujusmodi judicatum et publicabitur; item, et die Ascensionis subsequenti in processione que fiet ipsa die, persone prenominate, excepto dicto bajulo, predicta facient modo et forma predictis; item, per idem judicium, omnes predicti prenominati fuerunt perpetuo ab omni officio nostro, et, cum hoc, bajulus predictus, et omnes prenominati curiales condempnati fuerunt in mille et centum libris Turonensibus, tam ecclesie predicte quam nobis applicandis, racione emende excessuum predictorum, de quibus dictus bajulus et Huetus, frater suus, solvent quingentas libras Turonenses, alii vero, pro qualitate personarum et quantitate facultatuum suarum, solvent residuas sexcentas libras Turonenses; de dictis vero mille centum libris Turonensibus, nos habebimus quingentas libras Turonenses, ecclesia vero predicta habebit residuum; dicti vero condempnati detinebuntur arrestati, quousque de dicta summa peccunie plene fuerit satisfactum; item, dictum Botagort et Sardis et Johannem Cregut, Geraudum de Ruppe, Armandum Astorgii, Bertholomeum Aulanheri, Johannem de Feugeriis, Johannem Labas, Hugonem de Meseras, dictum Rolhos, Bertholomeum, preconem vini, servientes dicte curie, condempnavit curia nostra, per idem judicium, Petro Fredeyras, clerico, in quinquaginta libris Turonensibus, nomine emende, pro eo quod ipsum clericum ceperunt, per vim, et incarceraverunt in curia communi Aniciensi; item, quia nostre curie constitit quod Durandus de Sancto-Floro junior et dictus Filet extraxerunt, per violenciam et verberando, Aymonetum Lejanes de ecclesia cathedrali beate Marie Aniciensis, dum ibi celebrarentur divina officia, et ipsum eciam, post extractionem, atrociter verberaverunt, presertim cum predicta facta fuerint, die Penthecostes sub-

sequenti, predictos condempnavit curia nostra, in quinquaginta libris Turonensibus ecclesie Aniciensi, et in quinquaginta libris Turonensibus dicto Aymoneto, et nobis, in aliis quinquaginta libris Turonensibus, et ipsos privavit curia nostra, perpetuo, officio nostro; item, quia curie nostre constitit quod, de mandato Johannis de Macherino, bajuli Aniciensis, Petrus de Choro, presbyter, fuit captus et incarceratus in curia communi Aniciensi, predictum Johannem condempnavit curia nostra dicto presbitero, si vivat, in viginti quinque libris Turonensibus, si vero decesserit, distribuantur in pias causas, pro salute anime sue, per manus executorum suorum seu heredum, et in viginti quinque libris Turonensibus, nobis applicandis, pro emenda; item, quia curie nostre constitit quod Vincencius de Verduno, vigerius dicte communis curie, palam et publice invasit domum Poncii Espazii, clerici chori ecclesie beate Marie Aniciensis, et portas ejus domus fregit, per armorum potenciam, et lectum et vestes dicti Poncii asportavit, ipsum condempnavit curia nostra, dicto Poncio, in centum libris Turonensibus, et in aliis centum libris Turonensibus nobis, pro emenda, solvendis; item, quia nostre curie constitit quod bajulus, qui pro tempore erat, fecit detineri in carcere Aniciensi Petrum Baudouini, clericum chori ecclesie Aniciensis, dictum bajulum condempnavit curia nostra, predicto Petro, in quadraginta libris Turonensibus; item, quia constitit curie nostre quod Geraudus de la Rocha, serviens, vulneravit, in manu, Poncium de Arbore, clericum chori ecclesie Aniciensis, ipsum condempnavit curia nostra, dicto Poncio, in quadraginta libris Turonensibus; item, quia constitit curie nostre quod Martinus de Ruppe, et Geraudus de la Rocha, de mandato dicti bajuli, Armandum Roque, clericum chori ecclesie Aniciensis, indutum suo superlicio, invaserunt, ensibus evaginatis, ipsos tres condempnavit curia nostra, in sexaginta libris Turonensibus, de quibus idem bajulus solvet medietatem, et alii duo aliam medietatem aplicandam ecclesie Aniciensi, pro tercia parte, dicto Armando, pro alia tercia, et nobis, pro alia tercia parte.

PHILIPPE V, 1318.

Vicesima quarta die aprilis millesimo trecentesimo decimo octavo.

PHILIPPE V, 1318.

M. Rogerius reportavit.

LII. Cum in curia nostra, ex parte Petri, Johannis et Durandi Busson, fratrum, fuisset expositum, conquerendo, quod, cum dicti fratres essent et fuissent, tam ipsi quam eorum progenitores, ab antiquo, per tantum temporis spacium quod de contrario hominum memoria non existit, in possessione pacifica cujusdam furni siti in villa Mauziaci, in parrochia Sancti-Pauli, soli et insolidum, nullo alio furno in dicta villa aut parochia existente, abbas et conventus Mauziaci, in prejudicium dictorum fratrum, quemdam alium furnum novum, in predicta parrochia Sancti-Pauli, per Thomam Bugerii eorum servientem, edificari fecerunt, post et contra denunciacionem novi operis, factam per dictos fratres, et, cum dicti fratres causam dicte denunciacionis novi operis prosequerentur, in curia decani dicti monasterii Mauziaci, tenentis juridicionem temporalem dicti loci, ac peterent dictum novum furnum demoliri, dicti abbas et conventus plura dampna ipsis fratribus intulerunt seu inferri fecerunt, in rebus et personis eorum, et redditus, quos ipsi fratres habebant sub eorum districtu, indebite arrestaverunt et levaverunt; item, quod pendente dicta causa, in curia Mauziaci, Guillelmus Falco, serviens regius, custos dictorum abbatis et conventus, et plures monachi dicti monasterii armati, accesserunt ad hospicium dictorum fratrum, et seras archarum, in dicto hospicio existencium, et hostium cujusdam turris eorumdem fratrum fregerunt, et plura de bonis dicti hospicii devastaverunt; item, quod frater Guillelmus de Javardo, subprior dicti monasterii, et dictus Ranfez et dictus Moleta, servientes dictorum abbatis et conventus, cum armis prohibitis, dictum Petrum Busson, venientem de curia Ryomi, existentem in conductu domini Regis, ensibus evaginatis, invaserunt, ipsumque verberaverunt atrociter et vulneraverunt, et cum, ad clamorem populi, Guillelmus Esculier, serviens regius, ad locum, in quo predicta maleficia agebantur, venisset, dictum Petrum sub protectione regia posuit, et dictis malefactoribus prohibuit ne in dictum Petrum manus injicerent, ipsisque precepit,

ex parte regia, quod arma que deferebant dicto servienti traderent, quibus spretis, in contemptum regium et dictorum Petri et servientis jacturam, ipsi dictum Petrum atrocius quam ante, et dictum servientem, evaginatis ensibus, verberarunt, et dictum servientem regium, in contemptum domini Regis, in suo carcere posuerunt, que sic perpetrata, abbas et conventus dicti monasterii rata et grata habuerunt, ut dicebant dicti fratres; quare, cum, propter predicta, dictis fratribus esset periculosum in eorum curia, tamquam coram suspecto judice, litigare, supplicabant dicti fratres causam demolicionis dicti novi furni, et super ceteris cognicionem, inquisicionem et punicionem seu execucionem omnium premissorum committi alicui probo viro, per quem fieret, dictis fratribus, super hiis, debitum justicie complementum, quibus sic expositis, curia nostra commisit et mandavit ballivo Arvernie vel ejus locum tenenti, ut ipse, super premissis, vocatis evocandis, veritatem inquireret, et dictis fratribus exhiberet justicie complementum; qui ballivus, virtute commissionis predicte, citari fecit, coram se, predictos abbatem et conventum, super hiis, processuros cum procuratore regio, dictisque fratribus, super contentis in eorum articulis, responsuros, et ad hoc fuerunt plures dies assignate, precepitque dictus ballivus procuratori dictorum religiosorum, in judicio, coram ipso, presenti, semel, secundo, tercio et quarto ex habundanti, ut ipse dictis articulis responderet, qui procurator, vere contumax, respondere recusavit, plura frivola allegando, propter quod dicti religiosi et procurator ipsorum fuerunt reputati contumaces et positi in defectu, et nichilominus dictus ballivus processit ad faciendum, super hiis, suam inquestam, et, ad recepcionem et examinacionem testium quos ex habundanti procurator regius ac dicti fratres, super predictis, produxerunt, prout curie nostre constitit, per relacionem ballivi predicti; dicta vero inquesta ad nostram fuit curiam, presentibus partibus, asportata et tradita ad videndum : Visa igitur, de mandato nostre curie, inquesta predicta, visis eciam attestacionibus testium in dicta inquesta productorum, per curie nostre judicium, dictum fuit quod dictus novus furnus, in prejudicium dictorum fratrum et post denun-

PHILIPPE V 1318.

PHILIPPE V, 1318.

ciacionem novi operis, per dictos fratres factam, edifficatus, penitus demolietur, et quod dicti fratres in possessione furni sui antiqui conservabuntur et tuebuntur, et omne impedimentum, super hoc, eis appositum, amovebitur, Guillelmus vero Falco, serviens regius, officio suo, perpetuo, privabitur, abbas vero et conventus Mauziacenses tenebuntur resarcire dampna, per hoc, dictis fratribus et in rebus ipsorum, racione questionis dicte temporalitatis, illata, de quibus dampnis credetur dictis fratribus, per eorum juramenta; item, quod, pro emenda predictorum excessuum, de bonis temporalibus dicti monasterii, quingente libre Parisienses levabuntur, et nobis applicabuntur; item, quinquaginta libre Parisienses, que dicto Petro Busson, et quadraginta libre Parisienses que dicto Guillelmo Esculier, servienti nostro, applicabuntur.

Vicesima quarta die aprilis.

M. Rogerius reportavit.

LIII. Cum, in causa que, in curia nostra, vertitur, inter abbatem et conventum Mauziaci, ex parte una, et ballivum Arvernie, ex altera, super pluribus gravaminibus, per dictum ballivum, ut dicebatur, dictis religiosis illatis, curia nostra mandasset et commisisset certis commissariis ut ipsi dictum ballivum, ad predicta gravamina, per suum juramentum, respondere facerent, et, super articulis, per ipsum negatis, vocatis dictis partibus, inquirerent veritatem, prout in litteris facte, super hoc, commissionis plenius continetur, et predicti commissarii dictum ballivum, per juramentum suum, ad predicta gravamina respondere fecissent, proponente dicto ballivo, coram dictis commissariis, plures raciones et facta peremptoria, contra dictos abbatem et conventum, ad finem salvacionis sue, super eis que sibi imponebantur per dictos abbatem et conventum, ac petente ipsos abbatem et conventum compelli respondere dictis racionibus et factis peremptorie propositis, et ad hoc se debere admitti, parte dictorum religiosorum, pluribus racionibus, ex adverso proponente facta et raciones dicti ballivi non debere recipi nec admitti; quibus propositis hinc et

inde, dicti commissarii responderunt quod ipsis cognicio, super hiis, non erat commissa, et quod ipsi ea non admittebant nec rejiciebant; sed ea judicio nostre curie relinquebant, et, dictis racionibus dicti ballivi non obstantibus, testes dictorum abbatis et conventus receperunt et examinaverunt, contra dictum ballivum: Tandem constitutis in curia nostra dictis partibus, et auditis hinc inde propositis, ac visis racionibus predictis, per arrestum nostre curie, dictum fuit quod predictus ballivus audietur, super dictis defensionibus suis, et quod dicti abbas et conventus respondebunt factis et racionibus peremptorie, per dictum ballivum, propositis, et perficietur inquesta predicta.

PHILIPPE V, 1318.

Vicesima quarta die aprilis.

M. Rogerius reportavit.

Tradita fuit inquesta, ad perficiendum, magistro Guillelmo de Arvernia.

LIV. Dudum mota materia questionis, coram preposito Parisiensi, inter Symonetum et Thierricum diz Lapostoles, fratres, ex una parte, et Souchain de Joogniaco, domicellum, ex alia, super eo quod dicti fratres dicebant quod Daniel Rabiole, carnifex de monte Sancte-Genovefe Parisiensis, erat eisdem obligatus in quinquaginta libris Parisiensibus, ut in quodam gagiamento, sigillato contra-sigillo prepositure Parisiensis, dicebant plenius contineri, et quod, quia bona mobilia dicti Danielis inveniri non poterant, predictus Daniel dictis fratribus omnia sua bona, ubicunque existencia, abandonavit, usque ad plenam satisfactionem debiti memorati et dampnorum que dictos fratres, propter hoc, contingeret incurrisse, quodque ipse, de dictis bonis, in manu dicti prepositi, tanquam in manu superiori, se dissaisivit et consensit quod, per eumdem prepositum, vendicioni exponerentur, quam eciam dissaisinam dictus prepositus receperat, de heritagiis dicti Danielis, ad suam requestam, propter quod dicti fratres, de precepto dicti prepositi, heritagia predicta dicti Danielis venalia fecerunt proclamari, in audiencia Castelleti, primo, secundo, tercio et quarto

Philippe V, 1318.

ex habundanti, adhibita sollempnitate fieri in talibus consueta, videlicet sex arpenta cum dimidio vinearum, et quedam alia heritagia dicti Danielis, prout in clamacionibus, super hoc, factis, plenius continetur, que heritagia Symon de Duaco emerat, ad rescussam, quam eciam proclamacionem fieri fecerunt dicti fratres, de mandato dicti prepositi, ut ipsi dicebant, in parrochia ubi dicta heritagia sunt situata, quodque quarta proclamacione, super hoc, pendente, dictus Souchain, proclamaciones et vendicionem predictas impediendo, proposuit in judicio, coram dicto preposito, quod procedi non debebat ad predicta, et quod ad se dicta heritagia pertinebant, dictos fratres minus juste, super hoc, impediendo, in dampnum ipsorum non modicum, ut dicebant, quare petebant dicta bona vendi debere, pecuniamque dicte vendicionis sibi solvi, dicto Souchain ex adverso proponente, quod dicta heritagia sic proclamata, ad ipsum, sicut dominum, pertinebant, pro eo quod dictus Daniel hominem quemdam interfecerat, propter quod ipse, de regno Francie, fuerat bannitus, et sic omnia bona sua, que ipse, tempore dicte occisionis, habebat, in suo territorio et dominio sita, sibi erant acquisita, maxime cum ipse, de bonis predictis, ad manum suam positis et existentibus, se minime dissaisivisset, qui dominus est dictorum hereditagiorum foncerius, et justiciam altam habet, in loco ubi sunt dicta bona, super quibus partes predicte, coram dicto preposito, sibi jus dici pecierunt; tandem habito consilio, super hoc, cum peritis, idem prepositus, per judicium suum, pronunciavit quod vendicio facta de dictis heritagiis tenebit, et quod fiet satisfactio, dictis fratribus, de pecunia vendicionis predicte, a quo judicato, tamquam falso et pravo, fuit, per dictum Souchain, ad parlamentum, Parisius, appellatum : Auditis igitur, in dicto parlamento, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, inquestaque super hoc facta, et nostre curie, presentibus partibus, ad judicandum reportata, visa et diligenter examinata, visoque processu dicti prepositi, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictum Souchain male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Vicesima quarta die aprilis. PHILIPPE V, 1318.

J. de Borbonio reportavit.

LV. Cum decanus et capitulum Carnotensis ecclesie instanter peterent a ballivo Aurelianensi se resaisiri de quadam figura, pro Theobaldo Hasart, quondam ipsorum homine de corpore, quem predictus ballivus, pro quodam homicidio, per dictum Theobaldum, prout dicebatur, Aurelianis perpetrato, justiciaverat ac ultimo tradiderat supplicio, proponerentque dicti decanus et capitulum se esse et fuisse in saisina, a tanto tempore de quo hominum memoria non existit, justiciandi homines suos de corpore, in causa criminali, in quacumque juridicione predicti homines deliquerint, et quocumque loco cubaverint et levaverint, sive Aurelianis, sive locis aliis quibuscumque, adjicientes eciam se esse et fuisse in saisina rehabendi predictos homines, in casu supradicto, quocienscumque capti fuerunt, per justiciarios regios vel alias indistincte: Tandem, ad instanciam predictorum decani et capituli, super predictis, inquesta fuit facta, qua nostre curie reportata, visaque et diligenter examinata, cum in ea non reperiatur procuratoris regis vocacio nec litis contestacio, que, de racione, in talibus requiruntur, per judicium curie nostre, dictum fuit processum predictum nullum esse, et inquiretur iterato, vocatis procuratore nostro et aliis evocandis, veritas, super factis dicti capituli et super factis contrariis dicti procuratoris nostri, si aliquos tradere voluerit.

Octava die maii.

M. J. de Nonancuria reportavit.

LVI. Cum, in curia nostra, ex parte procuratoris nostri, fuisset propositum, contra Cheneynum Prepositi, militem, quod, cum dictus Cheneynus et Guillelmus, ejus frater, a curia laycali dilecti et fidelis nostri Briocensis episcopi, a denegacione juris, ad nostram curiam appellassent, et, super hoc, dictum episcopum et ejus vicarios, ad diem ballivie Constanciensis, per nostras litteras, ballivo Constan-

PHILIPPE V, 1318.

ciensi directas, adjornari fecissent, per quas eciam mandabatur eidem ballivo, ut ipsos appellantes, durante causa dicte appellacionis, a juridicione dicti episcopi teneret exemptos, eidemque ballivo, per alias nostras litteras, mandassemus ut, dicta causa appellacionis pendente, quamdiu ipse dictos fratres a juridicione episcopi predicti teneret exemptos, omnes denunciaciones, peticiones, querimonias et requestas que, ex contractibus vel delictis aut quasi, ad finem civilem, contra dictos fratres proponerentur, ex parte dicti episcopi, audiret et eis faceret, super hoc, celeris justicie complementum, idem ballivus certis commissariis commisit ut ipsi contenta in dictis nostris litteris execucioni debite demandarent; qui, cum vellent procedere, super hoc, juxta formam commissionis sibi facte, et dictos fratres in civitate Briocensi, ad requestam gencium dicti episcopi, coram se adjornari fecissent, ipsi, ad procuracionem militis predicti, fuerunt, per minas et potenciam gencium ducis Britannie, impediti, super hoc, ut dicitur, in contemptum et prejudicium juridicionis et superioritatis nostre, quare petebat idem procurator noster nobis emendari predicta; verum, cum dictus miles contrarium assereret, per proprium juramentum curia nostra eidem ballivo commisit ut ipse, adjuncto secum aliquo probo viro, neutri parti suspecto, de predictis et quibusdam aliis excessibus, violenciis, prisiis et exactionibus, factis, ut dicebatur, per dictum militem, hominibus et subditis dicti episcopi, per gentes ipsius episcopi propositis et nostre curie traditis, contra militem supradictum, inquireret veritatem, et inquestam, super hoc, perfectam curie nostre remitteret judicandam, adjornando dictas partes ad videndum judicari eamdem : Facta igitur predicta inquesta, super hiis, et nostre curie remissa, presentibus dictis partibus, et earum racionibus ad plenum, super hoc, auditis, visa et diligenter examinata inquesta predicta, per nostre curie judicium, dictum fuit procuratorem nostrum, super predictis, per eum propositis, minime probasse intencionem suam, dictumque militem, a predictis contra ipsum, per procuratorem nostrum propositis, curia nostra absolvit, et super predictis excessibus, violenciis, prisiis et exactionibus, contra dictum militem, per gentes dicti

episcopi propositis, de quibus predictus miles pecierat, certis de causis, declaraciones sibi fieri, loci et temporis quibus dicebantur facta fuisse predicti excessus, et, super hoc, pecierat jus sibi fieri, ab illo qui posset hoc facere, protestato quod, reddito sibi jure, super hoc, et dictis declaracionibus factis, si deberent fieri, ipse paratus erat respondere et procedere, super hiis, ulterius, ut jus esset, et cum, super premissis, nulla declaracione facta, et antequam, super hoc, per nostram curiam, dictum fuisset an predicte declaraciones fieri deberent, processum fuerit, per dictum ballivum et ejus adjunctum, ad inquirendum de predictis excessibus, violenciis, prisiis et exactionibus, contra militem predictum, curia nostra, per idem judicium, processum predictum penitus anullavit, et ordinavit quod gentes dicti episcopi faciant, si voluerint, hic, in nostra curia, declaraciones predictas; quibus factis, committetur alicui probo viro ut, vocato dicto milite et aliis evocandis, ipsum faciat respondere ad predicta proposita contra ipsum, et, super negotiis et defensionibus, per eum propositis, inquireret, ad finem civilem, plenarie veritatem.

Octava die aprilis.

M. Raynaldus de Meseto reportavit.

LVII. Cum collectores subvencionis, racione ultimi Flandrensis exercitus, levate in civitate Claromontensi, et procurator noster Arvernie, ex parte una, contra Petrum Quoci et capitulum cathedrale ecclesie Claromontensis, ex alia, quasdam raciones et judicata, ad finem quod quedam inquesta, super discordia mota occasione hujusmodi, facta per ballivum Arvernie seu ejus commissarium, ab eo, super hoc, deputatum, inter collectores, Petrum ac capitulum predictos, judicari non deberet, in nostra proposuissent curia, propter que ipsa curia nostra ordinavit quod dicta aperiretur inquesta, et sciretur si dicta proposita continerentur in inquesta predicta, cumque, per dictam nostram curiam, visa dicta inquesta, repertum fuerit in ea predicta proposita minime contineri, et preceperit eadem nostra curia quod ipsi collectores et procurator noster dictas raciones et judicata

PHILIPPE V, 1318.

curie nostre traderent et parti exhiberent adverse, et quod hinc inde dictis auditis partibus, super hiis, exhiberet curia nostra justicie complementum : Visis igitur dictis racionibus, sic traditis, per collectores et procuratorem predictos, cum ipsi dicta non traderent judicata, datisque, per dictos Petrum et capitulum, responsionibus, ad raciones easdem, processuque et articulis ejusdem inqueste ac eadem inquesta necnon et instrumentis, ex parte Petri et capituli predictorum, productis, super hiis, visis per nostram curiam diligenter, quia, per inquestam et processum predictos, non fuit inventum procuratorem nostrum, licet nos principaliter negocium hujusmodi tangeret, ad videndum dictam inquestam fieri, vocatum fuisse, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit processum et inquestam hujusmodi non tenere nec judicari debere, salvo dictis Petro et capitulo quod fiet commissio certis auditoribus, ad sciendum veritatem, super hiis, de quibus ipsi, super hoc, conqueruntur, si et quando dicti Petrus et capitulum hoc pecierint et sua crediderint interesse.

Octava die maii.

Per Y. Prepositi.

LVIII. Coram preposito Parisiensi mota discordia, inter Maciotum de Campis et Theobaldum Lescrivier, nomine suo et Johanne, uxoris sue, sororisque dicti Macioti, actores, ex una parte, et Guillelmum dictum Ragis, reum, ex altera, super eo quod dicti actores dicebant se, videlicet Maciotum et Johannam, filios et heredes defuncti Lamberti de Campis, fratris defuncti Radulphi de Campis alias dicti Ragis, nepotesque et heredes in solidum dicti Radulphi, quondam avunculi sui, qui, sine liberis, decesserat, tamquam proximiores deberesibi universaliter succedere et successisse in omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus ac possessione et saisina omnium bonorum predictorum que, tempore mortis sue, dictus Radulphus, tam in civitate Parisiensi quam alibi, ubicumque et qualitercumque, possidebat, et quod, tam jure naturali quam virtute consuetudinis Parisiensis et locorum in quibus bona predicta erant situata, dicentis quod

mortuus saisit vivum, in eos tamquam in proximiores heredes dicti Radulphi, fuisse translatam possessionem et saisinam predictorum bonorum, statim quod ad eorum noticiam mors predicti Radulphi devenerat, et quod ipsi apprehenderant saisinam predictorum corporalem, ipso Guillelmo presente, sciente et non contradicente; dicebant eciam quod, ad eorum requestam, ne ipsi in saisina et possessione predictorum turbarentur seu a quoquam violencia eis inferretur, idem prepositus, in bonis predictis, manum nostram apposuerat, et dictus Guillelmus, dicens se filium Radulphi predicti, de novo in possessione et saisina predictorum turbare et impedire, sine causa racionabili, nitebatur eosdem; dicebant eciam dictum Guillelmum, si unquam dictus Radulphus fuerat pater suus, genitum et conceptum fuisse in adulterio et de copula dampnabili procreatum, videlicet a dicto Radulpho in quamdam mulierem, que vocabatur Petronilla, que, tempore concepcionis et nativitatis dicti Guillelmi habebat Johannem Cordubenarium in maritum, et sic dictum Guillelmum, quamtum ad dominium vel saisinam, jure successionis, ab intestato vel ex testamento aut quovis alio titulo donacionis vel alio, tamquam ex nephando et dampnabili coitu procreatum, in bonis predictis jus aliquod non habere, multas alias raciones juris et facti, ad finem quod in possessione et saisina predictorum bonorum teneri deberent et tueri, allegando; petebant eciam iidem actores, per dictum prepositum, recredenciam sibi fieri de predictis, dicto vero Guillelmo in contrarium proponente, ad finem saisine solum, quod dictus Radulphus, diu ante mortem suam, eidem Guillelmo, filio suo, omnia bona sua mobilia et immobilia, ubicumque possideret et in quibuscumque existerent, donacione inter vivos, in honorem maritagii sui et augmentum, inter ipsum et Amelinam, uxorem suam, contracti, retento sibi usufructu solummodo predictorum, donaverat, et quod, de predictis bonis omnibus, dictus Radulphus, mera sua voluntate, in manibus dominorum, a quibus omnia immobilia predicta movebant, se dissaisierat, et idem Guillelmus, per dictos dominos, ad requestam dicti Radulphi, patris sui, de predictis om-

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

nibus saisitus fuerat, per unum, duos et plures annos, ante mortem dicti Radulphi, possederatque predicta bona, titulo et jure predictis, dicebat eciam inter dictum Radulphum, patrem, et Petronillam matrem suos, fuisse legittimum matrimonium, et se posse succedere in bonis predictis, et saisinam predictorum sibi debere deliberari, quia dictus Radulphus, tempore mortis sue, dicta bona possidebat, solummodo ut usufructuarius, dictusque Guillelmus erat dictorum bonorum verus dominus, tempore mortis predicte, et possessor eorumdem, ut ipse dicebat, multas alias raciones juris et facti, ad finem quod turbacio et impedimentum predicte in saisina predictorum, per dictos actores, apposite, ac manus nostra de predictis bonis amoveri deberent, allegando, sibique petens recredenciam fieri de predictis, ita quod ipse gaudere posset pacifice et quiete possessione et saisina predictorum; quibus partibus et earum racionibus, hinc inde propositis, diligenter auditis, dictus prepositus, per suum judicium, pronunciavit dictum Guillelmum Ragis intencionem suam, super predictis omnibus, melius probavisse quam actores predictos, quantum ad saisinam bonorum predictorum, de quibus contendebatur inter eos, et quod dictus Guillelmus tenebitur et servabitur in saisina sua bonorum predictorum et quod impedimentum quod dicti actores sibi, super hoc, faciebant, amovebitur, salvo jure proprietatis, dictis actoribus in predictis; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicti actores ad nostram curiam appellarunt : Auditis igitur dictis partibus, in curia nostra, in causa appellacionis predicte, visisque et diligenter examinatis processibus et judicato predictis, per judicium curie nostre, dictum fuit predictum prepositum bene judicasse et dictos actores male appellasse, et quod ipsi hoc emendabunt.

Octava die maii.

M. G. Droconis reportavit.

LIX. Cum, audita querimonia mercatorum et operariorum lane et fili lanei ville beate Marie de Versiaco, super eo quod gentes nostre, ab ipsis mercatoribus, racione mercaturarum suarum, quasdam

emendas exigunt indebitas et non consuetas, sicut dicitur, introducendo, contra eos, indebitam novitatem, cum, sicut ipsi asserunt, similes emende non consueverint alias ab eis exigi, nec ipsi, ad eas prestandas, teneantur, sicut dicunt, et curia nostra mandasset ballivo Cadomensi aut ejus locum tenenti ut ipse, super hoc, nullam indebitam novitatem fieri permitteret, et factam, si que esset, ad statum debitum faceret reduci, et insuper quedam alie littere a nostra curia emanassent, ad supplicacionem dictorum mercatorum, per quas mandabatur dicto ballivo aut ejus locum tenenti ut ipse quamdam inquestam, ut dicitur, factam, super quibusdam indebitis novitatibus, eisdem, ut ipsi dicebant, factis per gentes nostras, super quibusdam emendis indebitis exigendis ab ipsis et super quindecim libris redditus annui quas ipse gentes nostre indebite ab eisdem exigere nitebantur, si facta et perfecta esset, et, nisi facta et perfecta esset, eam perfici et compleri faceret, vocatis evocandis, et, cum perfecta foret, ipsam curie nostre transmitteret judicandam, et dictus ballivus, seu ejus locum tenens predictam inquestam fecisset et curie nostre misisset factam, super predictis emendis et quindecim libris annui redditus, et ipse testes, super hoc, recepisset et examinasset, gentibus nostris ad hoc non vocatis, prout curie nostre constitit, per eamdem inquestam, per arrestum nostre curie, dictum fuit predictam inquestam non valere nec judicari debere, et, super predictis, iterato vocatis evocandis, veritas inquiretur.

Philippe V. 1318.

Octava die maii.

LX. Cum, in causa que, coram bajulo Claromontensis episcopi, vertebatur inter Ymbertum, textorem, ex una parte, et Jacobum, ejus fratrem, ex altera, per dictum Ymbertum, a quibusdam gravaminibus sibi, per dictum bajulum, ut dicebat, illatis, ad nostram curiam fuisset appellatum, ipsaque causa appellacionis pendente, ex parte dicti Ymberti, fuisset in curia nostra, propositum quod villa Claromontensis, in omnibus causis que agitantur, coram bajulo predicto, utitur jure scripto, e contra vero episcopus, bajulus et Jacobus pre-

PHILIPPE V, 1318.

dicti dicebant quod nullus appellans a gravamine, coram dicto bajulo auditur, sed oportet, de consuetudine approbata dicte ville Claromontensis, quod appellet, a defectu juris vel falso judicio, et quod aliter ejus appellacio non reciperetur; super quibus, de mandato curie nostre, per certos commissarios ab ea deputatos, facta fuit, dictis partibus vocatis, inquesta, et ad nostram curiam reportata, vocatis ad hoc dictis partibus et auditis; constitutis itaque dictarum parcium procuratoribus, in curia nostra, et per eam requisitis ad quem finem quelibet earum proposuerat predicta, pars ipsius Ymberti respondit quod ipse predicta proposuerat ad finem quod dicta appellacio sua reciperetur; pars vero dictorum episcopi, bajuli et Jacobi, respondit quod ipsi, predicta per eos proposita, ad illum finem proposuerant quod dicta appellacio non reciperetur : Auditis igitur omnibus que dicte partes, super hiis, proponere voluerunt, et visa inquesta predicta, per curie nostre judicium, dictum fuit predictam appellacionem dicti Ymberti non esse recipiendam.

Vigesima quarta die maii.

M. J. de Borbonio reportavit.

LXI. Inter abbatem monasterii de Ebrolio, Claromontensis dyocesis, et fratrem Guillelmum, priorem prioratus de Vico, ad dictum monasterium pertinentem, ex una parte, et ballivum Arvernie, ex altera, super eo quod, cum plures servientes ipsius abbatis, ut dicebatur, in villa de Ebrolio homicidia et alios excessus enormes commisisse dicerentur, dictus ballivus eisdem abbati et priori imponens excessus hujusmodi commissos fuisse, de mandato eorumdem, ipsos capi fecit, et eos, pedibus et manibus eorumdem ligatis, super duo jumenta, captos, apud Ryomum duci, per eorum inimicos capitales et per plateas ville de Ryomo, sic ligatos, duci et reduci, ut a populo viderentur, et eciam per villam de Ebrolio, verberando usque ad effusionem sanguinis, per eos quibus traditi fuerunt, ad ducendum, et ducendo eis multa opprobria, in contemptum tocius ecclesiastice libertatis, ipsosque in vili carcere, apud Ryomum, poni fecit, et per triduum detineri

in eodem, licet dictus ballivus, prima hora incarceracionis eorumdem, per curiam ecclesiasticam, sufficienter monitus fuisset, ut dicitur, de tradendo eos curie ecclesiastice; plures alios excessus et enormia gravamina, contra dictos religiosos, committendo, prout in eorum articulis plenius continebatur, per nostram curiam, certo commissario deputato qui, vocatis evocandis, super premissis excessibus, inquireret, cum diligencia, veritatem, inquestamque quam inde faceret, ad nostrum parlamentum, adjornatis ad hoc partibus, remitteret judicandam, predictus commissarius, partibus, ad hoc, coram se, vocatis et presentibus, traditisque eidem articulis, super dictis excessibus, ex parte dictorum religiosorum, copiaque eorum tradita dicto ballivo, assignavit eidem ballivo diem, ad respondendum dictis articulis; qua die, cum peteretur quod dictus ballivus juraret in dicta causa et, viva voce, dictis articulis responderet, per suum juramentum, dictus ballivus proponi fecit quod ipse ad eos respondere, viva voce, minime tenebatur, sed sufficiebat quod in scriptis responsiones suas traderet, cumque eidem significatum esset, per dictum commissarium, quod, secundum stillum et consuetudinem curie nostre, a qua commissio, super hoc, processerat, ipse tenebatur dictis articulis respondere, viva voce, per suum juramentum; qui quidem ballivus dixit quod sua responsio sufficiebat, et peciit, per dictum commissarium, sibi, super hoc, jus fieri aut per curiam nostram, protestans de respondendo alias, si hoc jus dictaret; qui commissarius dicto ballivo respondit quod, virtute sue commissionis, ipse non poterat sibi jus reddere, sed tantummodo audire et referre, et injunxit dicto ballivo semel, bis, ter et quater quod ipse, viva voce, dictis articulis responderet, per suum juramentum, offerendo sibi quod ipse suas raciones propositas et proponendas acciperet, et in inquesta poneret et relinqueret judicio nostre curie, ad finem ad quem eas proponebat idem ballivus, et curia nostra decerneret que essent, super hiis, facienda; quas raciones ac responsiones ad dictos articulos in scriptis per dictum ballivum traditas, accepit dictus commissarius, prout in quodam publico repertum est instrumento; pluribus vero allegationibus hinc inde propositis,

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

dictus commissarius, ob contumaciam dicti ballivi, juramentum procuratoris dictorum religiosorum recepit, super articulis et gravaminibus antedictis, et eidem procuratori dedit adjornamentum, ad certam diem, ad producendum, super hiis, suos testes, et dicto ballivo, ad videndum eos jurare et proponendum quicquid ipse vellet, si sua crederet interesse; qui quidem ballivus, ob defectum et denegacionem juris, propter premissa, ut ipse dicebat, a dicto commissario, ad nostram curiam, Parisius, appellavit, et a presencia dicti commissarii recessit; dictus vero commissarius, non obstante appellacione predicta, super dictis articulis dictorum religiosorum, testes recepit, et inquestam, super eis, pro parte dictorum religiosorum complevit, et, adjornatis, ad hoc, dictis partibus, ad nostrum parlamentum, inclusam, sub suo sigillo, remisit judicandam : Comparentibus igitur et auditis dictis partibus in nostro parlamento, in causa appellacionis predicte, visaque dicta inquesta et toto processu predicto diligenter examinato, per curie nostre judicium, dictum fuit et pronunciatum predictum processum, per dictum commissarium, pro parte dictorum religiosorum factum, valere et tenere, non obstante appellacione predicta, dictumque fuit, per idem judicium, predictum ballivum debere respondere, per suum juramentum, viva voce, ad dictos articulos religiosorum predictorum, et quod admittetur dictus ballivus, ad defensiones suas, super hoc, proponendas, et probandas, et dabitur, ad hoc, certus commissarius qui inquestam perficiet antedictam.

Prima die junii.

Tradita fuit inquesta, ad perficiendum, magistro Guillelmo de Arvernia.

LXII. Notum facimus quod, jam pridem litigantibus, in curia domini de Varennis, apud Brunum-Campum, Johanne de Tanques, armigero, ex una parte, et Colaya, relicta defuncti Johannis de Novione, quondam militis, ex altera, super eo quod dictus Johannes dicebat quod dicta relicta injuste et sine causa detinebat quamdam terram que vocatur terra de Bruno-Campo, cum dictus Johannes de

Novione legasset dictam terram dicto Johanni de Tanques, nepoti suo, in suo testamento, quare petebat idem Johannes de Tanques dictam terram de Bruno-Campo sibi adjudicari, per curiam supradictam, et dictam relictam ad eam dimittendam compelli, plures raciones quare hoc sibi debebat fieri proponendo, et, si predicta sibi negarentur, per dictam relictam, offerebat dictus Johannes de Tanques ea se probaturum, dicta relicta predicta negante, ac plures raciones et consuetudines in contrarium allegante, et, inter cetera, dicta relicta proponebat quod dictus Johannes de Tanques, super premissis, non poterat suam intencionem probare, nisi per homines curiales dicte curie domini de Varennis, secundum consuetudinem dicti loci, dicto Johanne contrarium asserente; auditis partibus, in curia supradicta, per ejusdem curie judicium, dictum fuit quod dictus Johannes, in causa predicta, per quoscumque testes ydoneos, suam poterat intencionem probare; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dicta relicta ad curiam de Domarcio appellavit, qua relicta postea defuncta, Egidius de Mailliaco, miles, tanquam successor ejus, in dicta curia de Domarcio resumpsit, cum parte adversa, totum litigatum et processum predictum, quibus partibus, super hoc, auditis, dicta curia de Domarcio, per suum judicium, pronunciavit per curiam dicti domini de Varennis bene judicatum fuisse, et per dictam relictam male appellatum fuisse; a quo judicato, tanquam falso et pravo, dictus Egidius de Mailliaco ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, super hoc, in nostra curia, partibus antedictis, et plura facta contraria, super hoc, proponentibus, mandavimus super predictis factis inquiri cum diligencia veritatem, inquestaque, super hoc, facta, et, vocatis partibus et auditis, nostre curie reportata, visa ac diligenter examinata, cum, per eam, repertum fuerit quod, de consuetudine dicti loci, dictus Johannes de Tanques, in agendo, licet eciam proponeret factum dicte curie, ipse tamen per quoscumque testes curiales vel alios, de predictis per eum propositis, poterat suam intencionem probare, per curie nostre judicium, dictum fuit, quod, tam in curia domini de Varennis quam in curia de Domarcio supradictis, bene extitit judicatum, et male per dictum

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V. 1318. Egidium appellatum fuisse, et quod ipse emendaret, verumtamen cum postea dicto Egidio de Mailliaco, militi, asserenti nobis quod in dicto judicato, per curiam nostram facto, erratum fuerat, concessimus eidem, de gracia speciali, quod iterato viderentur processus et inquesta predicti, ut, si predicta curia nostra aliquos ibidem errores seu defectus inveniret, eosdem ad statum debitum reduceret, cumque dicta curia nostra totum processum et inquestam supradictos diligenter viderit et examinaverit iterato, et in predicto judicato nullos errores invenerit, predicta curia nostra, per suum judicium, pronunciavit, nullos errores ibidem intervenisse, et judicatum predictum, de quo dictus miles conquerebatur, bene et juste latum fuisse, et, prout jacet, tenere et debere execucioni mandari.

Decima die julii.

M. P. Roc vidit.

LXIII. Cum, quedam appellacionis causa, ad nostram curiam interjecte, verteretur, inter Johannem Marescalli, burgensem Pontisare, ex parte una, et ballivum Silvanectensem, et homines assisie de Pontisara, et magistrum Jacobum de Remis, tutorem Johannete, filie et heredis defuncti Johannis Francisci, ex altera, super eo quod idem Johannes Marescalli, in nostra curia, proponebat quod ipse pecierat, coram preposito Pontisare, quamdam litteram, sigillo dicte ballivie sigillatam, continentem summam centum et sexdecim librarum, execucioni demandari, contra dictum Johannem Francisci, qui tunc vivebat, usque ad sexaginta libras residuas, ad solvendum de totali summa predicta, ad quod respondit idem Johannes Francisci, quod dictus Johannes Marescalli sine causa petebat dictas sexaginta libras, quia procurator suus fecerat, super hoc, certum compotum, cum procuratore dicti Johannis Marescalli, usque ad quindecim libras, et hoc obtulit se probaturum, et eciam quod, post dictum compotum dictarum quindecim librarum, computaverat procurator dicti Johannis Francisci, cum portitore, dicte littere usque ad viginti sex solidos, super quibus idem Johannes Marescalli habuerat quemdam equm

dicti Johannis Francisci conducticium, per viginti duas dietas, quare dicebat idem Johannes Francisci quod ipse liberari et absolvi debebat a totali summa contenta in littera predicta, quod negavit idem Johannes Marescalli, dicens quod ipse nunquam fecerat compotum de sexaginta libris usque ad quindecim libras, nec cum procuratore suo, nec cum alio, ad quod compotum quindecim librarum probandum, idem Johannes Francisci produxit plures testes; quibus productis, ipse defecit in probando dictum compotum, et fuit, per prepositum Pontisare, dictum quod ipse defecerat, in probando dictum compotum, et de hoc fecit sibi emendam; postmodum procurator dicti Johannis Francisci peciit se admitti ad probandum ultimum compotum de quindecim libris, usque ad viginti sex solidos; dicto Johanne Marescalli se opponente in contrarium quod ipse non debebat ad hoc admitti, et, post debatum hujusmodi, dictus prepositus Pontisare remisit dictam causam ad assisiam dicti ballivi, ad faciendum jus, super hoc, per dictum ballivum et homines Regis, in qua assisia, pluribus racionibus, proposuit dictus Johannes Marescalli quod procurator dicti Johannis Francisci non debebat admitti ad probandum ultimum compotum, pro eo maxime quod idem Johannes Francisci proposuerat duos compotos predictos, per intervalla et separatim, quibus non obstantibus, dicti ballivus et homines judicaverunt quod procurator dicti Johannis Francisci admitteretur ad probandum ultimum compotum de quindecim libris, usque ad viginti sex solidos; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus Johannes Marescalli ad parlamentum, Parisius, appellavit; quare petebat idem Johannes Marescalli, per nostram curiam, pronunciari dictos ballivum et homines dicte assisie male judicasse, et ipsum Johannem Marescalli bene appellasse, parte adversa, in contrarium, pluribus racionibus, proponente dictos ballivum et homines bene judicasse, et dictum Johannem Marescalli male appellasse; et auditis, in nostra curia, in dicta appellacionis causa, partibus antedictis, visaque inquesta, facta de mandato curie nostre, in dicta appellacionis causa, visoque toto processu ipsius cause appellacionis, per judicium curie nostre, dictum fuisset predictos ballivum et homines

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

bene judicasse, et dictum Johannem Marescalli male appellasse, et quod ipse hoc emendaret, et postea dictus Johannes Marescalli nobis exposuerit, in predicto judicato, contra eum lato, errorem intervenisse, pro eo quod processus habitus, in dicta appellacionis causa, sufficienter examinatus non extiterat, et quod paratus erat ostendere errorem predictum, propter quod, ad dicti Johannis supplicacionem, eidem, per nostras litteras, concessimus, de gracia speciali, ut ipse, super errore quem, in dicto judicato, contra eum lato, in presenti Parlamento, pro dicta Johanneta, filia et herede dicti defuncti Johannis Francisci, intervenisse dicebat, audiretur, et quod processus predictus iterato, per gentes nostri parlamenti, examinaretur, et si, per inspectionem ipsius, constaret, in dicto judicato, errorem intervenisse, quod hujusmodi error corrigeretur : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, super errore predicto, per eundem Johannem Marescalli proposito, visoque iterato processu predicto, et diligenter examinato, viso eciam judicato predicto, per judicium nostre curie, dictum fuit predictum judicatum bene et juste latum fuisse, et in eodem judicato nullum errorem intervenisse.

Decima die julii.

M. Rogerius de Turonis reportavit.

LXIV. Lite mota, coram custodibus nundinarum Campanie, inter Johannem Dancy, curatum ecclesie Sancti-Johannis Trecensis, Ytherium et Gaucherum, ejus fratres, domicellos, ex una parte, et Milonem de Plesseyo, quondam ballivum de Tornodoro, ex alia, super eo quod dicti fratres dicebant quod dictus Milo, tempore quo ipse erat ballivus loci predicti, et Stephanus de Chatenaio, locum suum tenens, levaverant et receperant fructus, redditus et exitus terre sue, videlicet denarios, blada, fena et alios suos redditus plurimos, prout in suis articulis plenius declarabatur, virtute quorumdam mandamentorum dictarum nundinarum, ad instanciam certorum suorum creditorum, impetratorum, ad compellendum dictos fratres de solvenda certa peccunie summa, in qua ipsi erant dictis credito-

ribus obligati, quodque dicta sua bona mobilia, per Milonem, et ejus locum tenentem predictos, sic capta et levata, non fuerant conversa in solucionem et acquitacionem debiti supradicti, sed ipsa penes se, in dictorum fratrum prejudicium et dampnum non modicum, detinebant, quare petebant dictum Milonem compelli ad restitucionem premissorum, dicto Milone, inter cetera, ex adverso proponente, quod ipse bona fratrum predictorum non levaverat, asserens quod, etsi dictus Stephanus bona sua levasset, locum suum tamen tenens non erat, quodque ipse ad predicta minime tenebatur, cum de dictis mandamentis nundinarum, fratres predicti fidem non facerent, ad quod tamen tenebatur, ut ipse dicebat; lite itaque, coram dictis custodibus, super premissis, legittime contestata, testibus productis et diligenter examinatis, litterisque et instrumentis, per dictos fratres, in modum probacionis, super hoc, productis, conclusoque in causa predicta, dicti custodes, per suum judicium, pronunciaverunt fratres predictos bene et sufficienter probasse quod dictus Stephanus erat locum tenens dicti Milonis, quodque dicti Milo et locum suum tenens levaverant, de bonis fratrum predictorum, partes et summas que sequntur, videlicet ducentos triginta et unum bichetos frumenti; item, octoginta duos bichetos et unum morton de ordeo; item, viginti quinque libras et quinque solidos, pro feno et straminibus venditis, levatos per eosdem; item, tres quadrigatas feni; item pro vino vendito, septem libras sexdecim solidos et tres denarios; item, pro usufructu columbarie, viginti libras; item, pro collecta anni millesimi trecentesimi decimi tercii, quadraginta quinque libras; item, de prepositura Dancy, anni millesimi trecentesimi decimi tercii, triginta libras; item, pro tribus vachis et uno equo, quindecim libras; item, de sua censiva, centum solidos; item, de collecta anni millesimi trecentesimi duodecimi, sex libras et duodecim solidos, propter quod, ad premissa omnia, prefati custodes dictum Milonem, per suum judicium, condempnaverunt; a quo judicato tamquam falso et pravo, fuit, per dictum Milonem, ad gentes nostras, magistros dierum Trecensium, appellatum; constitutis vero partibus predictis, coram dic-

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

tis gentibus nostris, et auditis, in causa appellacionis predicte, visoque processu predicto et diligenter examinato per eosdem, ipsi pronunciaverunt, per suum judicium, predictos custodes bene judicasse, dictumque Milonem male appellasse; a quo judicato, tamquam falso et pravo, per dictum Milonem iterato ad parlamentum, Parisius, extitit appellatum : Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, visisque processibus et judicatis predictis, curie nostre, de consensu dictarum parcium, ad judicandum reportatis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit predictos custodes et nostras gentes Trecenses bene judicasse, predictumque Milonem male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Decima die julii.

M. J. de Borbonio reportavit.

Traditus fuit processus magistro Jacobo de Jarseni, pro expensis taxandis, secundum consuetudinem nundinarum.

LXV. Cum quedam causa mota fuisset, in curia senescalli nostri Petragoricensis et Caturcensis, inter Audam, dominam de Tyranno, et Henricum de Chino, servientem nostrum, tunc gardiatorem dicte domine, ex una parte, et priorem hospitalis Sancti-Jacobi Burdegalensis, Arnaldum Johannis, filium quondam Guillelmi Johannis defuncti, Johannem, filium quondam Petri Johannis, Arnaldum Johannis, filium quondam Fortonis Johannis, Arnaldum Johannis, filium quondam Guillelmi Johannis, Fortonem, filium quondam Arnaldi Johannis, Guillelmum Johannis, filium quondam Guillelmi Johannis, et Arnaldum de Lavenar, consortes dicti prioris, vel procuratorem eorumdem, ex altera, procurator dicte domine, coram commissariis, in dicta causa datis, proposuit contra dictos priorem et consortes suos, et in scriptis, per articulos, tradidit, videlicet quod dicti prior et consortes sui, seu aliqui vel aliquis ex eis, ceteris ratum habentibus, dampnificaverant dictam Audam, in quodam nemore suo, quod ipsa habebat et possidebat et diu pacifice possederat, vocato Affossa-Donat, cum terra dicto nemori contigua, vocata de Las-Labes, fodiendo et

circuiendo fossatis dictum nemus, et plures arbores ex dicto nemore scindendo, minus juste, propter que dicta domina dampnificata erat, ut ipsa dicebat, usque ad estimacionem ducentarum librarum monete Burdegalensis, et quod dicta dampna fuerunt sibi illata, pendente quadam appellacione, per ipsam facta, ad curiam nostram, Parisius, et ipsa absente, et prosequente appellacionem supradictam, quare petebat dictus procurator, nomine procuratorio dicte domine, dictos priorem et consortes sibi condempnari ad reddendum et solvendum eidem dictas ducentas libras, cum expensis que exinde, de jure, venire debebant, procuratore dictorum prioris et consortum suorum in contrarium asserente quod nemus de quo agebatur spectabat ad dictum hospitale Sancti-Jacobi Burdegalensis, jure dominii, et quod ipse prior et predecessores sui fuerunt in possessione dicti nemoris, per dictos consortes, suos homines et predecessores eorum, per decem, viginti, triginta et per quadraginta annos, scindendo in dicto nemore, buscam faciendo et alias explectando, et jure suo utendo, per tempus predictum, et quod dictum nemus et dictam terram ei contiguam, predictus prior et ejus consortes circuierunt fossatis, propriis eorum sumptibus et expensis, quodque dictis priore et consortibus sic dictum nemus possidentibus, ut dicebant, Henricus de Chino, serviens noster, tunc dicte domine gardiator, cum pluribus complicibus et familiaribus dicte domine, armatis, venientes ad dictum nemus, gentes dicti prioris et consortum ejus ejecerunt ab eodem, seu terrore armorum et minis aufugere compulerunt, et dictum nemus occuparunt, ligna sciderunt ex eo, et asportari fecerunt, et dicta fossata impleverunt, in prejudicium dicti prioris et consortum suorum, ad mandatum dicte domine et nomine ipsius, et ipsa hoc ratum habente, proposuit eciam procurator dictorum prioris et consortum suorum quod dictus prior conquestus fuit alias senescallo ducatus Acquittanie, vel ejus locum tenenti, quod Helias de Campena, miles, tunc maritus dicte Aude, seu ipsorum conjugum gentes, violenter et novam violenciam inferendo, absciderant et buscam fecerant in nemore supradicto, super quibus locum tenens dicti senescalli, secundum patrie

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

consuetudinem, sufficienter informatus, dictum militem, ad dictam violenciam tollendam et ad hoc emendandum, sentencialiter condempnavit, et plures alias raciones juris et facti, super hoc, proposuit, prout in articulis dictorum prioris et consortum suorum, dictis commissariis traditis, plenius continebatur, propter que dicebat dictus procurator predictum priorem et consortes suos fuisse dampnificatos, occasione dicte ejectionis a dicto nemore, cumulacionis fossatorum, et destructionis ejusdem nemoris, in centum marchis argenti, et sua in tantum interesse, quare petebat dictos priorem et consortes suos, ad priorem statum dicte sue possessionis reduci, et ea que, super hoc, facta fuerant per dictum servientem nostrum anullari, et ipsos dominum et servientem ad emendandum eisdem dampna predicta sentencialiter condempnari et compelli; lite igitur, super hiis, legittime contestata, jurato hinc inde de calumpnia, testibus, super hoc, productis, ex utraque parte juratis et examinatis, demumque in dicta causa renunciato et concluso, visoque toto dicto processu, locum tenens dicti senescalli, per suum judicium, condempnavit dictam dominam ad reponendum dictum priorem et consortes suos in possessione dicti nemoris, in qua ipsi erant, tempore turbacionis et impedimenti predictorum, factum predictum dicti servientis penitus anullando, imponens dicte domine predicte silencium, super hoc, et ab impeticione predicta ejusdem domine, dictum priorem et ejus consortes absolvendo, salvo utrique parti jure suo, super proprietate dicti nemoris, si ipsi super ea voluerint experiri; condempnavit eciam partem dicte domine in expensis dicte litis, reservans penes se taxacionem earumdem; a quo quidem judicato, tamquam falso et pravo, procurator dicte domine ad curiam nostram, Parisius, appellavit: Partibus vero predictis in parlamento, Parisius, propter hoc, comparentibus, auditisque racionibus earumdem, in causa appellacionis predicte, et viso diligenter processu predicto, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum tenentem locum dicti senescalli nostri male judicasse, in eo quod ipse dictam dominam, ad reponendum et reducendum dictos priorem et consortes suos in statu possessionis nemoris supradicti, et in expensis

dicte litis condempnavit, et in hoc quod factum dicti servientis anullavit, et quantum ad hoc dictam dominam bene appellasse, et, per idem judicium, curia nostra dictam dominam ab impeticione predicta dictorum prioris et consortum suorum, absolvit, quantum tamen ad hoc quod dictus locum tenens questionem proprietatis utrique parti reservavit, pronunciavit curia nostra ipsum bene judicasse. PHILIPPE V. 1318.

Decima die julii.

M. R. de Magna-Villa reportavit.

LXVI. Cum, coram ballivo Senonensi, fuisset propositum, per procuratorem abbatis et conventus de Barbael, contra dominum de Brovilla, ad finem quod declararetur, per judicium dicti ballivi, predictos religiosos habere jus saisine et proprietatis habendi, capiendi, percipiendi, quolibet anno, in vineis quas tenet dictus dominus, vocatis gallice, le clos de Brovilla, unum modium vini, ad mensuram dicti loci, et quod dictus dominus tenens ac possidens dictas vineas condempnaretur ad reddendum et solvendum, quolibet anno, dictum modium vini, dictis religiosis, ad mensuram dicti loci, et quod dicti religiosi, tam per se quam per alios, eorum nomine, in saisina habendi, capiendi et percipiendi, quolibet anno, ad festum Beati Remigii, dictum modium vini, ad dictam mensuram, de dictis vineis, erant et fuerant per decem viginti et quadraginta annos, et per tantum tempus quod sufficiebat ad acquirendum jus proprietatis et saisine, et cum certo titulo, videlicet quia nobilis mulier Agnes, uxor quondam Guillelmi de Milliaco, militis, in ultima sua voluntate, et, pro remedio anime sue, legaverat dictum modium vini, ad dictam mensuram, quolibet anno, solvendum, in predicto festo, de dicta vinea, religiosis supradictis, cum assensu et voluntate dicti Guillelmi, mariti sui, et quod Galterus, miles, frater dicte Agnetis, quondam dominus de Nemoso, in cujus feodo erant dicte vinee et sunt, dictum legatum seu donum, factum per dictam Agnetam, per litteras suo sigillo roboratas confirmavit, et quod dictus dominus de Brovilla, qui nunc est, dictas vineas tenet et possidet, ad que probanda dictus procu-

PHILIPPE V, 1318.

rator, coram dicto ballivo, plures testes produxit ac eciam instrumenta, qui dominus de Brovilla, ad finem quod factum propositum contra ipsum, per dictum procuratorem dictorum religiosorum non valeret, et ad anullandum dictas litteras et deposiciones dictorum testium, plura proposuit ex adverso; quibus propositis, coram dicto ballivo, assignataque die certa, per dictum ballivum, dictis partibus, ad audiendum jus in premissis, dictus ballivus predictum dominum de Brovilla, ad solvendum, quolibet anno, in dicto festo, predictum modium vini, dictis religiosis, ad dictam mensuram, quia dicti religiosi, ut ipse dicebat, sufficienter intencionem suam, super hoc, probaverant, per suum judicium, condempnavit; a quo judicato, tamquam falso et pravo, dictus dominus ad parlamentum, Parisius, appellavit. Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, in nostra curia, visoque processu, coram dicto ballivo facto, super hoc, ac eciam examinato diligenter, quia per dictum processum, non fuit repertum, inter dictas partes, litis contestacionem fuisse factam, in dicto negocio principali, nec eciam, ex parte dicti domini fuisse responsum ad factum seu articulos, propositos ex parte dictorum religiosorum, per curie nostre judicium, fuit dictum judicatum predictum dicti ballivi nullum esse, dictumque dominum bene appellasse, reservando, dictis religiosis, quociens videbitur eis expediens, jus agendi, ad premissa, contra dominum predictum.

Decima die julii.

M. Gervasius de Ponte-Arsi reportavit.

LXVII. Lite mota, coram preposito Parisiensi, inter Odardum de Sancto-Ferreolo, nomine suo et Benedicte, uxoris sue, ex una parte, et Nicolaum de Pynu, aurifabrum, ex parte altera, super purgacione cujusdam licencie sive defectus impetrati, per dictum Odardum, contra dictum Nicolaum, diesque mercurii ante Ascencionem Domini, anno ejusdem Domini millesimo trecentesimo decimo octavo, fuisset assignata dicto Nicolao, ad probandum, secundo qua die, cum procurator dicti Nicolay peteret aliam diem sibi assignari, ad probandum, dictus

Odardus proposuit eundem, ad probandum, non debere admitti, juxta stilum et consuetudinem Castelleti Parisiensis, ex quo fidem non faciebat, de diligencia adhibita per eundem, circa productionem testium, dicta die, ad quam faciendam et ostendendam, dies sabbati subsequens immediate fuit procuratori dicti Nicolay assignata; qua die sabbati, predictus Nicolaus comparuit, cum pluribus testibus, per eundem, super causa principali, productis, petente dictos testes recipi, dicto Odardo proponente ex adverso, hoc fieri non debere, cum dicta dies sabbati assignata fuisset procuratori dicti Nicolay, et per ipsum acceptata, ad faciendum fidem de diligencia sua, ut est dictum, et constabat de hoc, per testes legittimos, super hoc, productos, et per quoddam memoriale contra-sigillo Castelleti Parisiensis sigillatum et exhibitum per dictum Odardum; lite vero, coram dicto preposito contestata, in causa predicta, testibus hinc inde productis, et diligenter examinatis, conclusoque in negocio supradicto, locum tenens dicti prepositi pronunciavit, per suum judicium, quod dictus Nicolaus de Pynu non ostenderat sufficienter diligenciam suam nec fidem fecerat quam debebat de eadem, et, propter hoc, eumdem cecidisse, super hoc, a probacione sua; a quo judicato, tamquam a nullo, vel, si aliquod esset, tamquam a falso et pravo, fuit, per dictum Nicolaum ad parlamentum, Parisius, appellatum: Auditis igitur dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu et judicato predictis, per curie nostre judicium, dictum fuit bene fuisse, per dictum locum tenentem, judicatum, maleque per dictum Nicolaum appellatum, et quod dictus appellans hoc emendabit. PHILIPPE V. 1318.

Decima die julii.

M. P. Roc reportavit.

LXVIII. Lite mota, coram preposito furni Parisiensis episcopi, inter Radulphum de la Poule, ex parte una, et Alanum Anglici, aurifabrum, ex alia, super eo quod idem Radulphus dicebat eumdem Alanum sibi teneri, per finalem et legittimum compotum habitum inter ipsos, ex vendicione certi numeri allectium, ex parte ejusdem

PHILIPPE V, 1318.

Radulphi eidem Alano liberatorum et traditorum, in centum octoginta decem libris tribus solidis undecim denariis Parisiensibus, residuis de majori summa, scilicet de summa centum octoginta librarum stellingorum, vel circa, quare petebat dictus Radulphus eumdem Alanum sibi condempnari, in dicta peccunie quantitate, et ad solvendum compelli, plures ad finem hujusmodi, super hoc, raciones proponens; dicto vero Alano ex adverso dicente, se, super hoc, absolvi debere, plures raciones, super hoc, proponendo; tandem, lite, super hoc, legittime contestata, et datis, super hoc, dictarum parcium articulis, pluribusque testibus, super eis, productis et examinatis, conclusoque in dicta causa, inquesta, super hoc, facta, de consensu dictarum parcium, fuit ballivo dicti Parisiensis episcopi tradita, ad judicandum; qui ballivus, auditis, coram se, super hoc, dictis partibus, et visa dicta inquesta, per suum pronunciavit judicium dictum Radulphum suam intencionem, super hoc, sufficienter, contra dictum Alanum, probasse, ipsum Alanum in predictis, contra eum petitis, condempnando, reservata tamen eidem Alano actione sua, contra dictum Radulphum, pro dampnis que ipse dicit se sustinuisse, ex defectu et putredine allectium, racione quorum erat contencio inter partes predictas; a quo judicato, tamquam falso et pravo, idem Alanus ad parlamentum, Parisius, appellavit: Auditis igitur dictis partibus, in nostra curia, in causa appellacionis predicte, visisque processu et judicato predictis, per ejusdem curie nostre judicium, dictum fuit eumdem ballivum bene judicasse et dictum Alanum male appellasse, et quod ipse hoc emendabit.

Decima die julii.

M. Yvo Prepositi reportavit.

LXIX. Cum, in causa, coram preposito Parisiensi, pendente, super mercatura incerte quantitatis salis ejusque precii quantitate incerta, inter Eustachium, capellanum dicti prepositi, ex una parte, et Petrum de Agneto, clericum, ex altera, cognito de dicta causa, et conclusio in ea, dictus prepositus judicatum suum tale quale tulisset, pro dicto capellano, contra dictum clericum, idem clericus, a dicto

judicato, tamquam falso et pravo, ad nostram curiam appellavit : Auditis igitur, in curia nostra, dictis partibus, in causa appellacionis predicte, et visis processu cause principalis et judicato predicto, curia nostra, per suum judicium declaravit, decrevit et pronunciavit dictos processum et judicatum et quicquid ex eis vel ob eos est sequtum, nullos fuisse et esse, nec tenere, nec ab inicio tenuisse ; verum cum, dicto capellano asserenti nobis quod, in dicto judicato, per dictam curiam nostram lato, erratum fuerat, concessissemus, de gracia speciali, quod iterato videretur processus predictus, ut, si dicta curia nostra aliquos ibidem errores seu defectus inveniret, eosdem ad statum debitum reduceret, cumque dicta curia nostra totum processum predictum diligenter viderit et examinaverit iterato, et in predicto judicato suo nullos errores invenerit, predicta curia nostra, per suum judicium, pronunciavit se nullos errores ibidem invenisse, et judicatum predictum, de quo dictus capellanus conquerebatur, bene et juste latum fuisse, et, prout jacet, firmum et integrum tenere, et manere debere (37).

PHILIPPE V. 1318.

Decima die julii.

M. Gervasius de Ponte-Arsi reportavit.

LXX. Cum olim Gobertus de Escreellis, serviens noster in prepositura Peronensi, nobis conquestus fuisset quod, cum prepositus Peronensis, adjunctis sibi dicto Galtero et quibusdam hominibus nostris, judicantibus in curia nostra Peronensi, apud Kieviler, pro adjornando dominum loci ejusdem, et Colardum, ejus fratrem, ad certam diem, coram eodem preposito, pro eo quod ipsi Johannem de Marcaisio, quondam prepositum Peronensem, pro facto nos tangente, verberaverant, ut dicebatur, in nostro mercato Peronensi, accessisset, accidit quod, ipsis redeuntibus de villa predicta, prenominati dominus et ejus frater et quidam alii, de eorum comitiva existentes, obviaverunt eisdem; qui quidem miles statim, cum dictum vidit prepositum, peciit ab eodem unde ipse veniebat; qui prepositus respondit eidem quod ipse et alii, qui cum ipso erant, veniebant de

PHILIPPE V, 1318.

ipso et fratre suo adjornando, pro causa predicta, quo audito, dictus miles statim dictum prepositum acceperat per capucium, eumque taliter traxerat et impinxerat quod eundem cadere fecerat in quodam fossato, una cum equo in quo ipse insedebat, et quod hoc facto, dictus miles ad dictum accesserat servientem, manumque posuerat supra collum equi quem ipse equitabat, et ipsum servientem interrogaverat unde ipse veniebat, idemque serviens sibi responderat, sicut prepositus fecerat memoratus, quodque, dum idem miles et dictus serviens inter se sic loquerentur, predictus frater dicti militis, veniens a parte retro, predictum servientem nostrum, qui hoc non avidebat, de quodam gladio adeo percusserat in capite, quod eum graviter vulneraverat, et hoc facto, aufugerat idem frater, et quod tunc dictus prepositus videns quod ejusdem militis frater, in ejus comitiva existens, excessum fecerat predictum, manum, ex parte nostra, in dictum militem posuerat, et eidem preceperat ut se redderet in prisionem nostram, apud Peronam; qui quidem miles eundem prepositum nostrum per pectus acceperat, et gladium suum trahere voluerat, pro dicto preposito feriendo, ipsumque de eo percussisset, nisi fuissent predicti nostri homines qui inter eos se medios posuerant, et quod tunc idem miles dixerat quod, si non essent plures alligati quam ipse, quod ipse de hoc se vindicaret, ballivo nostro Viromandensi, per litteras nostras, mandavimus, ut ipse, de premissis, vocatis evocandis, veritatem inquireret, per se vel per alium ydoneum non suspectum, et inquestam inde factam nobis, sub sigillo suo clausam, et corpus dicti militis in Castelletum nostrum, Parisius, sub fida custodia, mitteret, et alia faceret et compleret que, in confectis inde litteris nostris sibi directis, plenius continebantur: Facta igitur, per dictum ballivum seu ejus commissarium, super premissis, inquesta et curie nostre, presente dicto milite, ad judicandum, reportata, eaque, de consensu dicti militis, recepta, visa et diligenter examinata, visa eciam et considerata confessione dicti militis, sub juramento suo facta, et in processu dicte inqueste scripta, et visis testium in hac parte productorum deposicionibus, consideratis eciam omnibus que,

circa hoc, consideranda fuerunt, dicta curia nostra, per judicium suum, Guillelmum dominum de Kieviler militem, predictum, nobis in mille libris Turonensibus, racione emende predictorum excessuum, et in ducentis libris Parisiensibus, predictis preposito et servienti, pro eorum injuriis et dampnis, cuilibet eorum videlicet centum libris Parisiensibus, reddendis et solvendis, per suum judicium, condempnavit, et, per idem judicium, pronunciavit corpus dicti militis, in nostro clauso carcere, tamdiu debere teneri, donec ipse ad plenum satisfecerit nobis et dictis preposito et servienti, de summis pecunie predictis, et eciam ultra hoc quamdiu nostre placuerit voluntati. PHILIPPE V. 1318.

Decima die julii.

LXXI. In causa appellacionis, inter Robertum de Monte-Mauri, ex una parte, et Petrum de Galart, militem, ex altera, mota in nostra curia, materia questionis, super eo quod dictus Robertus, contra dictum militem, proponebat quod, tempore quo dictus miles administracionem habebat, in partibus Flandrie, versus Insulam, emerat dictus miles a magistro Guillelmo de Monte-Mauri, fratre dicti Roberti, terram dictam de Cherenc, quam tenebat idem Guillelmus in feodum, a domino de Dossemer, et quod dictus Robertus, ad monicionem dicti ballivi de Dossemer, per judicium hominum ejusdem curie, predictum militem in homagio dicti domini de Dossemer, racione dicte terre existentem, in causa proximitatis seu retractus ad quindenam, modo debito, fecit, coram dictis hominibus, adjornari, qua die, coram dictis hominibus, dictus Robertus comparuit, parte adversa minime comparente, quapropter dictus Robertus peciit dictum militem reputari contumacem, qui homines, ad monicionem dicti ballivi, per judicium suum, dixerunt secundum legem et consuetudinem patrie, dictum Robertum bene fecisse quod dies assignata requirebat, et quod dictus ballivus readjornaret predictum militem, super secunda die, ad quindenam, et ita factum fuit; qua secunda die que fuit in principio feriarum, racione messium indictarum, predictus Robertus comparuit, parte adversa, per se vel per procu-

PHILIPPE V. 1318.

ratorem, minime comparente, propter que dictus Robertus peciit dictum militem reputari contumacem, qui homines, ad monicionem ballivi, dixerunt quod ferie in curia superiori de Insula, racione messium, erant indicte, ac eciam per consequens in curia de Dossemer que erat inferior, et curie de Insula subjecta, propter que ipsi non poterant in dicta causa procedere, secundum consuetudinem patrie, nec debebant, dixerunt eciam quod dictus ballivus, ad prima placita, post dictas ferias preteritas, et postquam esset in dicta superiori curia litigatum, in statu reassignaret dictam diem, dicentes, per suum judicium, quod ita debebat fieri, secundum usum et consuetudinem patrie approbatos, et ita, per dictum ballivum et judicium dictorum hominum, fuit factum; qua die, post dictas ferias, reassignata, predictus Robertus comparuit, dicto milite minime comparente, et ideo dicta dies, secundum consuetudinem patrie et per judicium dictorum hominum, super tercia die reassignata fuit, ad quindenam sequentem; qua die tercia, coram dictis hominibus, comparuit dictus Robertus, dicto eciam milite, per procuratorem comparente, qui dictus Robertus, peticionem suam, virtute cujus predicta adjornamenta facta fuerant, in judicio recitavit, et eciam dicti homines totum processum, predictis diebus, coram eis factum, ad instanciam procuratoris dicti militis recitarunt; quo processu recitato, procurator predictus, ad anullandum processum per dictum Robertum factum, et ad finem quod dictus miles, dominus suus, absolveretur ab impeticione dicti Roberti, et quod terra predicta, que per dictum Robertum a domino suo petebatur, ex causa retractus, remaneret penes eum, plura proposuit ex adverso, videlicet quod consuetudo patrie talis erat quod ille qui, in causa retractus seu proximitatis, vult agere, debet ordinare et continuare processum suum, sine interrupcione aliqua, faciendo, in qualibet die assignata, quod dies desiderat, alioquin talis processus debet nullus atque invalidus reputari; item, quod, secundum usum et consuetudinem generalem superioris curie de Insula et curiarum eidem subjectarum, quando in principio messium ferie judicantur, in curia de Insula,

ad monicionem ballivi, homines illius curie, per judicium suum, dicunt quod ballivus reassignet diem placitorum a die mercurii, post Decollacionem beati Johannis-Baptiste, in octo diebus, et quod omnia placita omnium curiarum inferiarum tocius ejusdem castellanie, cessare debent, hoc salvo quod partes litigantes, in curiis subjectis curie de Insula, in primis diebus assignatis que incidunt in ferias, postquam cessavit curia de Insula, que est superior, facient quicquid dies assignate desiderant, et ad plenum, ac si assignaciones illarum dierum non incidissent in dies feriatas, alias debet reputari, inordinatus et discontinuatus processus dicte cause, et, quia dictus Robertus, die secunda sibi assignata, que dies incidit in dies feriatas, non fecerat ad plenum illud quod dies desiderabat assignata, sed fuit sibi dicta dies, per judicium dictorum hominum, post dictas ferias preteritas et postquam fuerat in curia de Insula litigatum, pro die secunda reassignata, et in statu merito processus dicti Roberti debebat nullus, inordinatus ac eciam discontinuatus reputari, quare dicebat dictus procurator, per raciones predictas et plures alias per ipsum allegatas, dictum dominum suum debere absolvi ab impeticione dicti Roberti, et dominum suum debere remanere in possessione pacifica hereditatis que, per dictum Robertum, a domino suo, ex causa retractus, petebatur, petendo eciam se admitti ad probandum ea que in facto consistebant de premissis, dicto Roberto plures raciones in contrarium proponente, que omnia poterant liquide, per dictum processum, apparere, quibus non obstantibus, per judicium hominum dicte curie de Dossemer, dictus miles fuit admissus ad probandum, de premissis omnibus propositis pro ipso, ea que in facto consistebant; quo facto, testibusque super premissis productis, per judicium dictorum hominum, fuit dictum predictum militem intencionem suam bene probasse, manumque domini appositam in illa terra, inde debere amoveri, dictumque militem debere remanere in possessione pacifica dicte terre; a quo judicato, tamquam a nullo, et, si esset aliquid, tamquam a falso et pravo, predictus Robertus ad nostram curiam appellavit; quibus sic, per partes predictas, in nostra curia, propositis, fuerunt

PHILIPPE V, 1318.

PHILIPPE V, 1318.

commissarii, per nostram curiam, deputati qui, super premissis omnibus propositis, inquirerent, cum diligencia, veritatem, inquestamque, super hiis, factam, ad nostram curiam remitterent judicandam : Qua inquesta facta, tam super principali quam super reprobacionibus, ac eciam, ad curiam nostram, ad judicandum, remissa, visisque eciam omnibus contentis in ipsa et diligenter examinatis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictos homines male judicasse et dictum Robertum bene appellasse, dicti autem homines hoc emendabunt, principalisque causa predicta super dicto retractu, in nostra curia remanebit.

Duodecima die julii.

M. J. de Nonancort reportavit.

Taxata fuit ista emenda ad ducentas libras Parisienses domino Regi solvendas.

LXXII. Cum, in causa que, in curia nostra, dudum mota fuit, inter procuratorem nostrum senescallie Carcassonne, ex una parte, et dilectam et fidelem nostram Alienordim de Monte-Forti, comitissam Vendocinensem, ex altera, super possessione locorum de Casnac, alias cognominatorum Brama-Vaca, ac boerie que quondam fuit Johannis Bauderii et terrarum contiguarum eidem, et super inquietacione possessionis dictorum locorum, que quidem loca incursa fuerant, racione condempnacionis Raymundi Calverie et dicti Johannis Bauderii, pro heretica pravitate condempnatorum, dati fuerunt, a curia nostra, certi commissarii qui, super premissis, secundum articulos a partibus tunc tradendos et per dictos commissarios concordandos, inquirerent, cum diligencia, veritatem, et inquestam inde factam remitterent judicandam, ad nostrum tunc proxime parlamentum; cumque, coram dictis commissariis, procurator dicte comitisse, ex una parte, necnon procurator noster et eciam procurator episcopi Albiensis qui se procuratori nostro, in dicta causa, adjuncxit, propter hoc quod dictus episcopus habet partem dimidiam in dictis incursibus nobiscum pro indiviso, ut ipse dicebat, comparentes, articulos

suos tradidissent eisdem, super quibus articulis, factis responsionibus et lite legittime contestata, instrumentis ac testibus productis ab utraque parte juratis, examinatis et publicatis, objectionibusque, contra personas et dicta predictorum testium, ab utraque parte propositis, et, super hiis, testibus productis, examinatis et publicatis, tandem procurator noster et procurator dicti episcopi, coram dictis commissariis, proposuerunt quod procuratores qui, pro nobis et pro dicto episcopo, in dicta terra, processerunt, per facti errorem seu per culpam et negligenciam suam, obmiserunt proponere et probare, in causa presenti, quosdam articulos quos de novo proposuerunt dicti procuratores, dicentes nos et dictam ecclesiam Albiensem, propter dictorum procuratorum culpam et negligenciam in hujusmodi enormiter esse lesos, quare petebant se admitti ad probandum articulos de novo propositos per eosdem, plures ad hoc raciones proponendo, procuratore dicte comitisse plures raciones in contrarium proponente ad illum finem quod dicti procuratores noster et dicti episcopi, ad proponendum et probandum dictos articulos, de cetero non admitterentur, petente eciam et requirente, cum instancia, predictam inquestam claudi et remitti ad parlamentum nostrum, Parisius, judicandam; auditis ergo racionibus dictarum parcium ad finem predictum propositis, et in dicto processu, per commissarios predictos, scriptis et insertis, dicti commissarii predictam inquestam et totum presens negocium, in statu in quo erat tunc, coram eis, ad nostrum tunc proximum parlamentum remiserunt, ad finem videlicet judicandi vel dictos articulos admittendi, si et prout, de racione et stilo ac consuetudine curie nostre Parisiensis, ipsa curia nostra viderit faciendum: Partibus predictis igitur, in parlamento nostro, super hoc, auditis, dictaque inquesta per curiam nostram admissa, ad finem predictum, visoque processu diligenter et specialiter visis et consideratis racionibus, ab utraque parte, super admissione predictorum articulorum, propositis, attentaque, in similibus casibus, curie nostre consuetudine, per arrestum ipsius curie nostre, cui constitit de predicto defectu, dictum fuit quod dictus procurator noster et procu-

PHILIPPE V. 1318.

PHILIPPE V, 1318.

rator dicti episcopi Albiensis, ad proponendum et probandum articulos de novo propositos per eosdem admittentur, et fiet commissio, super illis, ad certos commissarios, per nostram curiam, deputandos, quibus tradentur inquesta et processus predicti, ut ipsi, predictam inquestam totaliter completam, nostre remittant curie judicandam, ad diem senescallie Carcassonne futuri proximo parlamenti, dictis partibus, ad hoc, per eos adjornatis.

Duodecima die julii.

M. Robertus de Magna-Villa reportavit.

Tradita fuit inquesta, ad perficiendum, M. J. de Roya.

LXXIII. Lite mota, in curia nostra, inter Thomam Coignet, portitorem litterarum obligatoriarum magistri Jordani le Mareschal nunc defuncti, summam trecentarum librarum continencium, ex una parte, et Reginaldum Leschamps, militem, ex altera, super eo quod dictus Thomas requirebat dictas litteras, sigillo prepositure Parisiensis sigillatas, secundum earum tenorem, in bonis dicti militis, execucioni mandari, dicto milite, ad sui defensionem, proponente, de summa pecunie in dictis litteris contenta, satisfactum fuisse dicto magistro Jordano, dum vivebat, offerente quod se dictam satisfactionem, per testes legittimos, probaturum, dicto Thoma dictam satisfactionem negante; inquesta igitur, super articulis dictarum parcium, super hoc traditis, de mandato curie nostre facta, et ad judicandum, curie nostre, vocatis et auditis dictis partibus, tradita, visaque inquesta predicta et diligenter examinata, per quam liquido curie nostre constitit militem predictum predicto Jordano obligatum fuisse, cum quibusdam aliis, quolibet in solidum, in summa pecunie in dictis litteris contenta, pro Reginaldo, quondam comite de Donno-Martino, nunc defuncto, et quod dictus comes, dum vivebat, certam habuit convencionem cum dicto magistro Jordano, pro dicti debiti satisfactione, de consensu utriusque, quodque dictus comes, pro satisfactione dicti debiti et pro liberacione dicti militis et aliorum secum obligatorum, in dictis litteris, tradidit tunc seu tradi fecit dicto

magistro Jordano plura vasa aurea et argentea et plura alia jocalia in dicta inquesta contenta et nominata, de quibus dictus Jordanus se tenuit pro contento, et eciam quod, post mortem predictorum comitis et Jordani, comitissa de Donno-Martino, predicti Reginaldi relicta, dicta gagia a dicto Thomas Coignet, herede dicti Jordani, et ab aliis coheredibus ejusdem, redemit et eisdem heredibus, de totali summa pro qua tradita fuerant dicta vadia, per se vel alios, nomine suo, totaliter satisfecit, et ab eisdem heredibus recuperavit vadia supradicta, quodque, post omnia predicta, dictus Thomas peciit, contra dictum militem, litteras predictas execucioni mandari, et negavit satisfactionem, super hoc, per dictum militem allegatam : Quibus diligenter attentis, per curie nostre judicium, dictum fuit predictum militem intencionem suam, super hoc, sufficienter probavisse, et, per idem judicium, dictum fuit dictas litteras execucioni nullatenus debere demandari, immo debere frangi, quodque dictus Thomas, qui scienter bis dictam pecunie summam exigebat, hoc nobis emendabit, cujusmodi emendam curia nostra taxavit ad viginti libras Parisienses nobis reddendas a dicto Thoma, et tenebit idem Thomas in Castelleto nostro, Parisius, quamdiu placuerit nostre curie, prisionem; salva eciam, dicto militi, actione sua contra dictum Thomam, ad dampna que ipse, per hoc, eidem militi intulit et injuste. PHILIPPE V, 1318.

Nona die augusti.

M. Robertus de Magna-Villa reportavit.

LXXIV. Cum, coram senescallo Petragoricensi, a nobis, super hoc, commissario deputato, seu coram ejus locum tenente constituti nobilis mulier Tranqua de Noalhano, pro se, et procurator noster dicte senescallie, pro nobis, proponerent quod Galhardus de Cantalo, frater Amaneui, mariti quondam dicte Tranque, qui Galhardus, sicut ipsi dicebant, cum, coram senescallo Agenensi seu ejus curia, ad instanciam dicte Tranque, vocatus ad judicium fuisset, super raptu Contorine, dictorum Amaneui et Tranque filie, et jocalium dicte Tranque, ab audiencia ipsius senescalli Agenensis, ut posset penam

PHILIPPE V, 1318.

